J. 57

Digitized by Google

Digitized by Google

ENNODII
FAVENTINI
DE
ROMANI PONTIFICIS
PRIMATU
ADVERSUS
JUSTINUM FEBRONIUM
Theologico - Hiſtorico - Critica
DISSERTATIO.



FAVENTIÆ

EX TYPOGRAPHIA ARCHIANA.
MDCCLXXI.
PRÆSIDUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

P*roœmium* pag. 1.

PARS PRIMA.

DE PRIMATU S. PETRI APOSTOLI.

CAPUT I.

S. Petrum obtinuiſſe a Chriſto Primatum juriſdictionis in univerſa Eccleſia, oſtenditur ex Matth. cap. 16. 9.

CAPUT II.

Febronii argumenta adverſus Caput I. exponuntur, & refutantur. 13.

CAPUT III.

Oſtendit, Claves Regni Cælorum non Eccleſiæ, ſed Petro immediate datas eſſe 21.

CAPUT IV.

Alterum pro S. Petri Primatu argumentum ducitur ex Joann. cap. 21. 28.

CAPUT V.

Argumenta, quibus Febronius æquali poteſtate Apoſtolos omnes præditos fuiſſe, demonſtrare conatur, refutantur. 31.

PARS SECUNDA.

DE PRIMATU ROMANI PONTIFICIS.

CAPUT I.

Romanus Pontifex in B. Petri Primatum ſuccedit; nec ulla humana auctoritate Primatus a Romana Sede ad aliam transferri poteſt. 36.

CAPUT II.

Primatus Rom. Pontificis Auctoritatis, & Juriſdictionis Primatus eſt. 38.

CAPUT III.

S. Cyprianus agnovit in Rom. Pontifice Primatum Juriſdictionis. Quæ Febronius opponit, refutantur. 40.

CAPUT IV.

Oſtendit, non æqualem eſſe Epiſcoporum, & Rom. Pontificis juriſdictionem. 47.

CAPUT V.

Immediatam eſſe Rom. Pontificis juriſdictionem in univerſam Eccleſiam, & in omnes Fideles, S. Irenæi, S. Hieronymi, & Synodorum Florentinæ, atque Tridentinæ auctoritate oſtenditur. 55.

CAPUT VI.

Immediatæ Rom. Pontificis juriſdictionis argumentum eſt vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudo, eum conſulendi de gravioribus, ac difficilioribus negotiis, majoreſque cauſas ejus judicio reſervandi. 58.

CAPUT VII.

Rom. Pontifex ferre poteſt leges ab univerſa Eccleſia ſervandas. 63.

CAPUT VIII.

Rom. Pontifex quemlibet ſive Fidelem, ſive Epiſcopum ab Eccleſiæ communione, ſi res ferat, abſcindere poteſt, eaque juriſdictionis poteſtas eſt. 68.

CAPUT IX.

Quod Rom. Pontifici divino jure convenit jus appellationum. 72.

CAPUT X.

Sardicenſis Synodus Rom. Pontifici jus appellationum Epiſcoporum aſſeruit. 73.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XI.

Sardicenſes Canones tum in Oriente, tum in Africa obtinuiſſe. 77.

CAPUT XII.

Quædam Febronii argumenta refutantur. 81.

CAPUT XIII.

De Rom. Pontificis in fidei cauſis decernendis auctoritate. Hanc ſummam eſſe, nec errori obnoxiam, oſtenditur ex Scripturis. 83.

CAPUT XIV.

Vetuſtiſſima Eccleſiæ Traditio eſt, fidei cauſas eſſe ad Rom. Pontificem referendas, ſive ut eas decernat, ſive ut quæ Synodi de iis decreverint, Apoſtolica auctoritate confirmet. 87.

CAPUT XV.

Rom. Pontifices Hæreticos ſupremo judicio damnare conſueverunt. 90.

CAPUT XVI.

S. Auguſtinus exiſtimavit, ſupremam eſſe R. Pontificis in fidei cauſis definiendis auctoritatem. 93.

CAPUT XVII.

Febronii argumentum ex Jeroſolymitano Concilio deſumptum refellitur. 95.

CAPUT XVIII.

De Conciliorum neceſſitate. 97.

CAPUT XIX.

Generalium Conciliorum convocatio tum divina tum humana lege R. Pontifici vindicatur; atque Generalia Concilia abſque R. Pontificis auctoritate neque convocari, neque celebrari legitime poſſe, oſtenditur. 101.

CAPUT XX.

Octo priora Concilia generalia a Romanis Imperatoribus non ſuo jure, ſed alias ob cauſas, neque abſque R.

Pontificis

Digitized by Google

Pontificis auctoritate convocata ſunt, præter Conſtantinopolitanum I. quod non fuit œcumenicum. 104.

CAPUT XXI.

Generalibus Conciliis præeſſe, divina, humanaque lege Rom. Pontificis, ejuſve Legatorum eſt. Oſium Cordubenſem R. Pontificis nomine Nicæno Concilio præfuiſſe, oſtenditur. 109.

CAPUT XXII.

Oſtendit, Apoſtolicæ Sedis definitionum examen ab œcumenicis Synodis inſtitutum, earumdem definitionum auctoritati nihil officere. 113.

CAPUT XXIII.

Quæ tum a S. Cæleſtino, tum ab Epheſina Synodo in cauſa Neſtorii geſta ſunt, ea ſummam Rom. Pontificis juriſdictionem, & in fidei cauſis definiendis auctoritatem oſtendunt. 115.

CAPUT XXIV.

In eamdem rem expenduntur quæ in cauſa Eutychis tum a S. Leone M., tum a Chalcedonenſi Synodo geſta ſunt. 122.

CAPUT XXV.

Expenduntur in eamdem rem Acta Synodi V. 130.

CAPUT XXVI.

Summa R. Pontificis auctoritas etiam ex VI. Synodi Actis oſtenditur. 131.

CAPUT XXVII.

Expenduntur in eamdem rem Acta Synodorum generalium VII. & VIII. Febronii argumentum ex Tridentina Synodo ductum refellitur. 137.

CAPUT XXVIII.

Generalium Conciliorum decreta rata non eſſe, niſi Rom. Pontificis conſenſu, & auctoritate confirmata ſint. 139.

Digitized by Google

PARS TERTIA.

Oſtendit, Romanum Pontificem Eccleſiæ, et cuivis Synodo auctoritate præcellere.

CAPUT I.

Controverſiam conſtituit, eamque inviƈtiſſimis argumentis definit. 154.

CAPUT II.

Rom. Pontifex ne ab œcumenica quidem Synodo judicari poteſt. 161.

CAPUT III.

A Rom. Pontificis judicio nunquam appellare licet. 166.

CAPUT IV.

Expendit decreta a Synodo Conſtantienſi edita in Seſſionibus IV. & V. 172.

CAPUT V.

Baſileenſis Synodi decreta refutantur. 183.

CAPUT VI.

Diluit argumenta, quæ ducit Febronius ex Tridentinæ Synodi Actis. 193.

CAPUT VII.

Continet Febronii argumenta, eaque refellit. 196.

CAPUT VIII.

Refellit argumenta, quibus Julianus Synodi Baſileenſis Præſes pro Conciliorum in R. Pontificem auctoritate depugnavit. 201.

CAPUT IX.

Continet propoſitiones totius Diſſertationis conſectarias. 209.

VIDIT

Digitized by Google

V I D I T

Pro Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. D. Vitale Joſepho de Bobus Epiſcopo Faventino Bonifacius Pontiroli Societatis Jeſu Theologus.

AVendo per ordine del Molto Reverendo Padre Maeſtro Tommaſo Vincenzo Pani dell' Ordine de' Predicatori Vicario Generale del S. Uficio riveduto il Libro intitolato = *Ennodii Faventini de Romani Pontificis Primatu adverſus Juſtinum Febronium Theologico-Hiſtorico-Critica Diſſertatio* = non ho trovato in eſſo coſa alcuna, che ſia contraria alla noſtra Santa Fede, o a' Principi, e buoni coſtumi, e perciò lo giudico degno della ſtampa. In fede queſto dì 16. Agoſto 1771.

Fr. Pio Michele Ghislieri dell' Ordine de' Predicatori, Lettore Maggiore nel Convento di Faenza, e Conſultore della Santa Inquiſizione.

Attenta ſupradicta Atteſtatione

Die 17. Auguſti 1771.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Vincentius Pani Ordinis Prædicatorum Vicarius Generalis S. Officii Faventiæ.

PROŒMI-

Digitized by Google

PROOEMIUM.

I. CUM Juſtini Febronii Librum impugnaturus ego ſim, meum forte quis eſſe putaverit, de ejus Libri Auctore, de varia ejus fortuna, de turbis ab eo in Eccleſia excitatis, ac demum de ejus Impugnatoribus diſſerere. Sed cum Libri quidem Auctor nondum ſe palam prodiderit, cætera vero notiſſima cuique ſint, nulla de his diſſerendi cauſa mihi eſſe videtur. Quare ea tantum proœmio complectar, quæ ad Febroniani Syſtematis prænotionem efformandam ſpectant.

Et principio quidem cum Febronii Liber inſcriptus ſit: *De Statu Eccleſiæ*; operæ pretium eſſe arbitror, varias tum Hæreticorum, tum Catholicorum de inſtituta a Chriſto in Eccleſia regiminis forma ſententias exponere. Itaque aliquam Eccleſiæ adminiſtrandæ formam a Chriſto inſtitutam eſſe, ex Scripturis perſpicua res eſt. Ait enim Chriſtus Petro (*Jo.* 21. 17.): *Paſce oves meas*. Petrus ipſe (*epiſt.* 1. *cap.* 5. 2.): *Paſcite*, inquit, *qui in vobis eſt gregem Dei*. Paulus (*Act.* 20. 28.): *Attendite vobis*, inquit, *& univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Et Timotheo (*epiſt.* 1. *cap.* 4. 11.) ait: *Præcipe hæc, & doce*. Sunt igitur in Eccleſia Paſtores, & Oves: ſunt qui regunt, & qui reguntur, qui præcipiunt, & qui obtemperare debent: quæ quidem res abſque aliqua regiminis forma nec eſſe, nec cogitari poteſt.

II. Eſt autem regiminis forma duplex, *Monarchia* nempe, ſeu unius, & *Polyarchia*, ſeu multorum Principatus. Sed & Polyarchia duplex eſt; *Ariſtocratia* ſcilicet, ſeu Optimatum, & *Democratia*, ſeu Populi imperium.

Democraticam eſſe Eccleſiæ formam, ſenſit cum pluribus Proteſtantibus Matthias Flaccius Illyricus (*lib. de Epiſcop. elect.*): ſed eorum plerique cum Marco Antonio de Dominis (*lib.* 1. *de Rep. Eccl. cap.* 3.) Ariſtocraticam eſſe, volunt.

Catholici vero omnes Monarchicam Eccleſiæ formam a Chriſto inſtitutam eſſe, ſentiunt: quamquam in unam ejus formæ explicandæ rationem non conveniunt. Nonnulli enim perfecte Monarchicam, plerique Ariſtocratia temperatam eſſe, arbitrantur. Sed neque poſtremi hi eodem modo hujuſmodi temperamentum explicant. Plurimi cum Bellarmino (*lib.* 1. *de R. P. cap.* 3.) ajunt, Romanum quidem Pontificem eſſe ſummum Eccleſiæ Principem, eique Epiſcopos omnes ſubjici; ſed Epiſcopos tamen ſingulos Eccleſiam ſibi creditam *ordinaria* poteſtate regere: neque Romani Pontificis vices dumtaxat gerere; ſed veros Paſtores, & Eccleſiæ Principes eſſe. Sed cum id primi quoque fateantur, in eumdem ſenſum convenire utrique mihi videntur. Galli vero Theologi, præſertim poſt celebrem Gallicani Cleri declarationem *de Eccleſiaſtica poteſtate* editam anno 1682. Eccleſiæ regimen Monarchico-Ariſtocraticum in hunc modum explicant. Volunt nempe, Romanum Pontificem non honoris modo, & ordinis, verum etiam juriſdictionis Primatum in univerſa Eccleſia divino jure obtinere, ſed eum generalium Conciliorum auctoritati ſubjici, contendunt.

III. Denique Edmundus Richerius Pariſienſis Doctor (*lib. de Eccl. & polit. pot. edito anno* 1611.) exiſtimavit, poteſtatem clavium, ſeu ſummam auctoritatem, & juriſdictionem immediate a Chriſto datam eſſe Eccleſiæ, atque in Eccleſia *formaliter reſidere*: Romano vero Pontifici, & Epiſcopis ab Eccleſia ipſa veluti Miniſtris ſuis creditam eſſe. Hinc vero collegit, Eccleſiæ formam Monarchicam eſſe Ariſtocratia temperatam; ſed cum ſummam poteſtatem non R. Pontifici, aut Epiſcopis, ſed Eccleſiæ, ideſt Fidelium multitudini a Chriſto datam eſſe, ſtatuerit, longe verius Eccleſiæ formam democraticam a Chriſto inſtitutam eſſe, collegiſſet. Interea Richerii Liber anno 1612. ab Academia Pariſienſi, atque a Synodis Aquenſi, & Senonenſi damnatus eſt.

IV. Febronii nunc de Eccleſiæ forma ſententiam inveſtigemus. Cum Librum ſuum Febronius inſcripſerit: *De Statu Eccleſiæ, & legitima poteſtate Romani Pontificis*, credideris facile, eum aliquam ex memoratis regiminis formam Eccleſiæ tribuiſſe. Sed primum quidem Monarchicam, atque Ariſtocraticam formam rejicit: *Non expedit illi*, inquit (cap. 1. §. 8. n. 5.), *forma regiminis Monarchica, quia facile ſolet in deſpotiſmum declinare... Sed nec ex altera parte expediret imperium mere Ariſtocraticum, cum ſit ſemen diſcordiarum, pro*

in uni-

in unitas vix poſset ſervari. Igitur vel Monarchico-ariſtocraticam, vel Democraticam eſſe, vult Eccleſiæ formam. Sed a Monarchia abhorret quammaxime, imo Librum ſuum edidit, ut Monarchicum Eccleſiæ regimen quamlibet temperatum evertat. Democraticum igitur eſſe vult Eccleſiæ regimen. Atque hæc quidem concluſio præcipui dogmatis a Febronio conſtituti conſectaria eſt. *Poteſtas clavium*, inquit (cap. 1. §. 6.), *univerſitati Eccleſiæ data eſt: Illam hac per miniſtros ſuos exercet: inter quos Romanus Pontifex primarius quidem eſt; nihilo tamen minus univerſitati ſubordinatus*. Porro ſecernit Febronius Eccleſiam ab ejus miniſtris, ideſt ab Epiſcopis, & Romano Pontifice: Ergo Eccleſiæ nomine univerſam Fidelium multitudinem intelligit: Poteſtas autem clavium, ſeu ſumma juriſdictio Eccleſiæ immediate data eſt: ergo data eſt Fidelium multitudini: ergo ſumma juriſdictio, & auctoritas penes multitudinem eſt: Ubi autem in Rep. penes multitudinem ſumma juriſdictio, & auctoritas eſt, ibi Reip. forma Democratica eſt. Ergo Eccleſiæ forma Democratica a Chriſto inſtituta eſt.

Alibi vero dogma cum memorato pugnans ſtatuit; nempe Epiſcopos omnes, & Romanum Pontificem regendæ Eccleſiæ auctoritatem habere non ab Eccleſia, ſed a Deo *immediate*. Statuit nempe (cap. 7. §. 1.), *Omnes Epiſcopos, præveniendo omnem humanam ordinationem, eſſe in poteſtate, & auctoritate gubernandi Eccleſiam æquales... Hoc ipſo quod juriſdictionem ſuam immediate a Chriſto acceperint Apoſtoli, ex regulis legitimæ ſucceſſionis ex eodem fonte ſuam quoque habere noſcuntur Apoſtolorum Succeſſores, ſicut ſuam habent Petri Succeſſores ab eo, a quo Petrus ipſe*. Hujuſce autem dogmatis conſectaria eſt hæc concluſio, Eccleſiæ formam Ariſtocraticam a Chriſto inſtituram eſſe. Juriſdictio enim, & poreſtas gubernandi Eccleſiam, ſeu Fidelium multitudinem, Epiſcopis immediare a Chriſto data eſt. Ergo Epiſcopi conſtituti ſunt a Chriſto Eccleſiæ Optimates cum ſumma poteſtate. Ubi autem in Rep. penes Oprimares eſt ſumma poreſtas, ibi Reip. forma Ariſtocratica eſt. Forma igitur Eccleſiæ Ariſtocratica a Chriſto inſtitura eſt.

Concluſiones hujuſmodi ſecum pugnantes ex ſcitis a ſe conſtitutis neceſſario fluere, perſpexit etiam Febronius. Quamobrem cum hinc quidem Monarchicam formam quamlibet temperatam ab Eccleſia excludere voluerit; inde vero aut Democraticam cum Illyrico, aut Ariſtocraticam cum Marco Antonio de Dominis Eccleſiæ formam tribuere auſus non ſit; nullam cum Samuele Puffendorfio, quam Monarchicam, aut Monarchico-Ariſtocraticam cum Catholicis Eccleſiæ formam tribuere maluit: *Quiſquis a nobis*, inquit (cap. 2. §. 12. n. 6.) *hoc interrogat (quæ in hac Civitate Dei dicenda ſit vigere regiminis forma)*,

ma), *non ſuccenſeat, ſi ei reſpondemus cum Viro Sacris quidem Proteſtantium addicto, ſed docto, & rerum politicarum cum primis perito, atque in hac parte vera tradente* = *In Eccleſiis formandis non opus eſt decreto ſuper certa regiminis forma introducenda: abſurdæque adeo ſunt quæſtiones, Monarchica, Ariſtocratica, an Democratica forma competat Eccleſiæ. Hæ quippe formæ cadunt in Statum aliquem, ſeu Civitatem. Eccleſia autem Status non eſt* =. Sed ego quidem Febronii conſilium nihil certi hac de re ſtatuendi non valde miror. Quid enim certi ex Scitis ſecum pugnantibus collegeris? Illud potius miror, Febronianum Syſtema, quod partim ex Catholicorum, partim ex Proteſtantium Dogmatibus tam inepte contextum eſt, & ſecum pugnat, Viris quibuſdam non indoctis, & cætera Catholicis probari potuiſſe. Sed nemini invidiam creare volo. Interea & Eccleſiam eſſe Statum, & aliquam illi regiminis formam a Chriſto datam eſſe, egregie poſt alios demonſtravit Cl. Mamachius (*tom. 4. Orig. Chriſt.*), quem Eccleſiæ hoſtibus refellendis diu incolumem vivere, velim. Et ego quidem Monarchicam a Chriſto Eccleſiæ formam inſtitutam eſſe, invicte, niſi fallor, demonſtrabo.

V. Quia vero jactat ſæpe Febronius Gallicanæ Eccleſiæ ſententiam, non abs re fuerit, hac de re, antequam ad diſſertationem aggredior, pauca diſſerere, ut perſpicuum fiat, longe ab Eccleſiæ Gallicanæ ſententia aberrare Febronium. Itaque primo Facultas Pariſienſis in Articulis contra Lutherum declaravit, *Unum eſſe jure divino Summum in Eccleſia Chriſti militante Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere tenentur*. Et anno 1656. Theſim quamdam Franciſci Guilloü corrigens, ait: *S. Petrus totius Eccleſiæ fundamentalis Petra, & Paſtor univerſalis, Apoſtolorum Princeps a Chriſto conſtitutus eſt. Succeſſores habet Romanos Pontifices cum plenitudine poteſtatis. Eccleſia de jure divino Monarchia eſt, tametſi Ariſtocratia temperata*. Addit Natalis Alexander, qui hæc narrat (in H. E. ſæc. 1. diſſ. 4. §. 2. ſub finem): *In eo eum Pariſienſibus Doctoribus Theologos omnes Catholicos conſentire*. Præterea in cenſura edita die 18. Maji anno 1683. profeſſi ſunt Pariſienſes Doctores: *Unum eſſe jure divino Summum in Eccleſia Pontificem .... qui immediate a Chriſto non honoris ſolum, aut dignitatis, ſed & poteſtatis, ac juriſdictionis Primatum habet in tota Eccleſia*. Denique, ut plura alia, quæ afferre poſſem in hanc rem, monumenta prætermittam, Petrus Meldenſis Epiſcopus una cum aliis Caroli VII. Francorum Regis Oratoribus anno 1441. (*apud Raynald. ad an. 1441. n. 10.*) in Concilio Florentino, Regis ipſius, & Synodi Biturigenſis nomine ait: *Nimio fervore reſiſtendi Baſileenſes ad hanc veſaniam devenerunt, quod ſupremam poteſtatem in uno Suppoſito conſiſtere, negent, ſed eam in multitudine collocant, & ſic pulcherrimam*

Digitized by Google

mam Monarchiam Eccleſiæ, quæ Chriſtianos hucuſque tenuit in unitate fidei ..... nunc abolere, & ſupprimere contendunt, nobiliſſimam politiam ad Democratiam, vel Ariſtocratiam redigentes.

Quod igitur ait Febronius (*cap.* 1. §. 8.), quæſtionem de forma Eccleſiæ Monarchica in Concilio Tridentino agitatam eſſe, & Canoni, quo ea adſtruebatur, a Romanis parato Gallos cum Cardinali Lotharingo obſtitiſſe, Febronii ipſius commentum eſt. Nunquam enim Galli formam Eccleſiæ Monarchicam eſſe, negarunt; imo Eccleſiam Monarchiam eſſe, in ipſa Tridentina Synodo Cardinalis Lotharingus profeſſus eſt. Itaque neque de Eccleſiæ forma Monarchica, neque de Primatu juriſdictionis, ſed de explicanda Primatus ratione quæſtio agitata eſt: paratumque Canonem ea tantum de cauſa improbarunt Galli, quod Romano Pontifici etiam ſupra Concilium œcumenicum auctoritas tribui ipſis viſa ſit: Quemadmodum ex Card. Pallavicini Hiſtoria, & ex Puteani commentariis narrat vel ipſe Natalis Alexander (*in h. e. ſæc.* 16. *diſſ.* 12. *art.* 13. *n.* 4.)

Secundo. Galli quandoque Romanum Pontificem Eccleſiæ Caput miniſteriale vocant; ſed *non ad ſenſum Richerii*, inquit Tournely (*de Eccl. q.* 5. *art.* 2.), ut alios Pariſienſes Theologos prætermittam, *quaſi omnem ſuam auctoritatem acceperit ab Eccleſia, illiuſque dumtaxat ſimplex ſit Miniſter quoad executionem poteſtatis, ut ille volebat. Recto nihilominus ſenſu*, addit, *R. Pontifex dici poteſt Caput miniſteriale tum reſpectu ipſius Chriſti, tum etiam reſpectu ipſius Eccleſiæ. Reſpectu quidem Chriſti:* = Pro Chriſto legatione fungimur =, *ait Paulus* 2. *Cor.* 5. 20. *Reſpectu etiam Eccleſiæ, cujus & ipſe omnium primus decreta obſervare tenetur, & ut ab omnibus obſerventur, ex officio invigilare.*

Tertio denique Galli Claves Eccleſiæ *immediate*, ſeu, ut ait Natalis Alexander (*in H. E. ſæc.* 15. & 16. *diſſ.* 4. *a.* 1. *n.* 14.), *immediatius* datas eſſe, volunt; verum Eccleſiæ vocabulo non Fidelium multitudinem, ſed Romanum Pontificem, & Epiſcopos intelligunt. *Poteſtas Clavium*, inquit Habert (*p.* 2. *de hier. Eccl. cap.* 5. §. 5. *q.* 2.) *data eſt Eccleſiæ, hoc eſt Pontifici, & Epiſcopis, & his quidem cum ſubordinatione ad Pontificem Petri Succeſſorem.*

Eſt igitur Gallicanæ Eccleſiæ ſententia, Eccleſiæ formam Monarchicam a Chriſto inſtitutam eſſe: Romanum Pontificem non modo honoris, ſed etiam juriſdictionis Primatum in univerſa Eccleſia obtinere: & poteſtatem clavium non Fidelium multitudini, ſed Romano Pontifici, & Epiſcopis a Chriſto traditam eſſe. Hæc autem dogmata Febronius præfracte negat, imo data opera impugnat. Febronius igitur a Gallicanæ Eccleſiæ ſententia quam longiſſime aberrat.

VI. Sed ſingularem tamen habet Eccleſia Gallicana de Romani Ponti-

Pontificis auctoritate ſententiam. Nam Clerus Gallicanus anno 1682. declaravit. I. *Sic ineſſe Apoſtolicæ Sedi, ac Petri Succeſſoribus Chriſti Vicariis rerum ſpiritualium plenam poteſtatem, ut ſimul valeant, atque immota conſiſtant Sanctæ œcumenicæ Synodi Conſtantienſis a Sede Apoſtolica comprobata, ipſoque Romanorum Pontificum, ac totius Eccleſiæ uſu confirmata, atque ab Eccleſia Gallicana perpetua Religione cuſtodita decreta de auctoritate Conciliorum generalium, quæ ſeſſ. IV. & V. continentur; nec probari a Gallicana Eccleſia, qui eorum decretorum, quaſi dubiæ ſint auctoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad ſolum Schiſmatis tempus Concilii dicta detorqueant.* II. *Hinc Apoſtolicæ poteſtatis uſum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos: valere etiam regulas, mores, & inſtituta a Regno, & Eccleſia Gallicana recepta; Patrumque terminos manere inconcuſſos; atque id pertinere ad amplitudinem Apoſtolicæ Sedis, ut Statuta, & Conſuetudines tantæ Sedis, & Eccleſiarum conſenſione firmata propriam ſtabilitatem obtineant.* III. *In Fidei quoque quæſtionibus præcipuas Summi Pontificis eſſe partes, ejuſque decreta ad omnes, & ſingulas Eccleſias pertinere, nec tamen irreformabile eſſe judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.*

Declaratio hæc magnas in univerſa Eccleſia, & in ipſis Galliis turbas excitavit, eaque non modo ab Apoſtolica Sede, ſed ab aliis etiam Eccleſiis improbata eſt. Imo Georgius Szelepcheny Strigonienſis in Hungaria Archiepiſcopus coacta nationali Synodo memoratas Cleri Gallicani propoſitiones proſcripſit veluti *Chriſtianis auribus abſurdas, & plane deteſtabiles.* (*Petitdidier de auctor. & infallib. Pontif. cap.* 15. §. 5.). Quamobrem ut invidiam a Gallicano Clero apud alias Eccleſias amoveret celeberrimus Boſſuetus, teſtatus eſt, *Gallicanos Patres, non eo animo fuiſſe, ut decretum de fide conderent, ſed eam opinionem ut potiorem adoptarent.*

Interea vero illud certum eſt, Gallicanæ Eccleſiæ opinionem circa tempora Concilii Conſtantienſis, cum Eccleſia magno Schiſmate ſcinderetur, originem habuiſſe. Catholicorum enim Doctorum nemo Petro Alliacenſi, & Johanne Gerſone antiquior, qui eam tradiderit, memoratur. Gerſon ipſe (*de poteſt. Eccl. conſid.* 12.): *Fallor*, inquit, *ſi non ante celebrationem Sacroſanctæ hujus Conſtantienſis Synodi ſic occupaverat mentes plurimorum iſta traditio, ut oppoſitorum dogmatizator fuiſſet de hæretica pravitate vel notatus, vel damnatus. Cujus rei ſignum accipe, quia poſt declarationem, & quod urgentius eſt, poſt determinationem ejuſdem Sanctæ Synodi inveniuntur, qui talia paſſim aſſerere non paveant.* Novitas autem in re tanti momenti non leve ſaltem falſitatis argumentum eſt.

In eo vero egregie fallitur Gerſon, imo & Clerus Gallicanus,

quod

quod eam rem a Conſtantienſi Synodo definitam eſſe, putent; quemadmodum ego, cum de ejus Synodi decretis differendum erit oſtendam. Et plurimi quidem, imo plerique Epiſcopi, ac Theologi etiam poſt Conſtantienſem Synodum pro ſumma Romani Pontificis auctoritate depugnarunt. Eorum plures recenſent Raynaldus (*opuſc.* [illegible]), & Cardinalis Aguirre (*auctor. Cathedr. S. Petri tract.* 1. *diſp.* 7. *&* 19.). Imo etiam Galliarum Epiſcopos, & Synodos, Academiam Pariſienſem, alioſque ejus Nationis Theologos ſummam R. Pontificis in cauſis Fidei decernendis auctoritatem ſemper aſſeruiſſe, perpetuis hiſtoriæ monumentis demonſtrarunt, præter memoratum Aguirre (*ib. diſp.* 3. 4. 6.), Antonius Charlas (*de libert. Eccl. Gallic. lib.* 7. *cap.* 10. *&* 11.), & Hyacinthus Serry (*append. ad diſſert. de R. P.*). Duo tantum in hanc rem monumenta ego afferam celebri Gallicani Cleri declaratione paulo antiquiora. Anno 1653. Epiſcopi 85. in Cauſa Janſenii, his verbis ad Innocentium X. ſcripſerunt: *Majores Cauſas ad Sedem Apoſtolicam referre, ſolemnis Eccleſiæ mos eſt, quem Fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri, pro jure ſuo poſtulat. Æquiſſimæ huic legi obſequentes de graviſſimo circa Religionem negotio Sanctitati tuæ ſcribendum eſſe, cenſuimus.* Et eodem anno damnatis ab Innocentio pridie Kal. Junii quinque Janſenii propoſitionibus, Epiſcopi 30. Pariſiis congregati ſcripſerunt: *Judicia pro ſancienda regula Fidei a Summis Pontificibus lata... divina æque, ac ſumma per univerſam Eccleſiam auctoritate niti, cui Chriſtiani omnes ex officio ipſius quoque mentis obſequium præſtare tenentur.* Ea ſcilicet fuit uſque ad annum 1682. Cleri Gallicani ſententia. Cur autem ab ea publice eo anno receſſerit, diligentius inquirere, non eſt hujus diei, ac temporis. Illud ego perſpicuum eſſe, arbitror, doctrinam, quæ memorata declaratione continetur, recentiorem eſſe, quam ut univerſæ Eccleſiæ, aut etiam Eccleſiæ Gallicanæ doctrina dici poſſit.

VII. Jactat equidem ſæpe Febronius Alliacenſis, Gerſonis, Nicolai Cuſani, Juliani Cæſarinii, Toſtati, Panormitani, Almaini, aliorumque ſimilium, qui tamen perpauci ſunt, auctoritatem; ſed noverit, velim, Febronius, parvi privatos iſtos Doctores a nobis pendi, quin vereamur, ne a quoquam cenſura notemur. Nam præterquamquod, ſi nobiſcum Doctorum numero, & auctoritate contendere vellet, eum facile vinceremus; nihil cauſæ eſt, cur nos, qui ex ſacris Literis, ex Patrum Traditione, & ex Conciliorum definitionibus Romani Pontificis cauſam acturi ſumus, privatorum Doctorum auctoritate, aut potius temeritate commoveamur.

VIII. Objicit quoque nobis Febronius (*cap.* 1. §. 10) Eccleſias Græcam, Africanam, & Germanicam, quaſi ſummam, quam

nos

nos Romano Pontifici vindicamus, auctoritatem non agnoverint: Sed Eccleſiarum quidem Græcæ, & Africanæ ſententiam fruſtra a Febronio jactari, pluribus monumentis in tota diſſertatione oſtendam. De Eccleſiæ vero Germanicæ ſententia in tertia diſſertationis parte, ubi de Synodis Conſtantienſi, & Baſileenſi ſermo erit, agam, ut ſpero, diligenter.

IX. De his interim ante differere, quam ad controverſiam aggredi mihi viſum eſt, nequid poſtea quaſi alienum, quod me remoretur, offendam. Non enim aliunde, quam ex ſinceris Theologiæ Locis Scriptura, atque Traditione, & ex certiſſimis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumentis, pro Romani Pontificis auctoritate argumenta depromam. Sed cum argumenta plura ducturus ſim etiam ex veterum Romanorum Pontificum epiſtolis, non iis quidem, quæ ab Iſidoro confictæ, ſed quæ genuinæ ſunt, atque ex eorum agendi conſuetudine, præſertim vero SS. Innocentii I. Zoſimi, Bonifacii I. Cœleſtini I. Leonis Magni, & Gelaſii, qui V. Sæculo non modo Romanam, ſed etiam univerſam Eccleſiam ſcriptis, & vitæ Sanctitate illuſtrarunt, non erit, opinor, iniquus adeo Febronius, ut eorum auctoritatem quaſi ſuſpectam rejecturus ſit. Nam etiam ipſe eorum & agendi rationem ſæpe ſæpius commendat, & auctoritate nobiſcum pugnat. Ergo ad diſſertationem aggredior, non adulandi cupiditate permotus, aut commodi alicujus ſpe illectus, quod noſtratibus Viris, ac præſertim Monachis exprobrat ſæpe Febronius; ſed tum ſummo quidem in Apoſtolicam Sedem obſequio, tum vero potiſſimum interiori veritatis perſuaſione ductus.

PARS

Digitized by Google

PARS PRIMA.

De Primatu S. Petri Apostoli.

CAPUT I.

S. Petrum obtinuiſſe a Chriſto Primatum juriſdictionis in univerſa Eccleſia, oſtenditur ex Matth. cap. 16.

I. SAnctus Matthæus (cap. 16. v. 13. ſeqq.): *Venit autem Jeſus*, inquit, *in partes Cæſareæ Philippi, & interrogabat Diſcipulos ſuos dicens: Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? At illi dixerunt: Alii Joannem Baptiſtam: Alii autem Eliam: Alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit illis Jeſus: Vos autem quem me eſſe, dicitis? Reſpondens Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Reſpondens autem Jeſus, dixit ei: Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: & tibi dabo claves regni cælorum; & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis.* Hoc autem loco Diſcipulos quidem omnes interrogat Chriſtus: *Vos autem, quem me eſſe dicitis?* Sed eorum unus Petrus reſpondet: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi:* Quamobrem uni Petro ait Chriſtus: *Beatus es, Simon Bar-Jona.... & ego dico tibi, quia Tu es Petrus*, ideſt *Saxum, Rupes, Petra*; hæc enim ſignificat Syriacum vocabulum *Cephas*, quo Chriſtus uſus eſt; *& ſuper hanc Petram*; ideſt *ſuper te*, qui es Petra, *ædificabo Eccleſiam meam*.

II. Et Petram quidem, ſuper quam promiſit ibi Chriſtus, ſe ædificaturum eſſe Eccleſiam ſuam, eſſe Simonem Bar-Jona, docent omnes Eccleſiæ Patres, Origenes, Tertullianus, Cyprianus, Hilarius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Epiphanius, Ambroſius, Paulinus Nolanus, Johannes Chryſoſtomus, Auguſtinus, Bonifacius I., Cyrillus Alexandrinus, Philippus Presbyter Cœleſtini I. Legatus, Leo Magnus, Petrus Chryſologus, Synodus Chalcedonenſis, Sergius Cypri Epiſco-

pus,

Digitized by Google

pus, Maximus Taurinenſis (1), aliique plurimi, quos prætermitto, quia quos attuli, ii ad fidem de perpetua Eccleſiæ Tradi-

---

(1) *Origenes hom. 5. in Exod.* Vide magno illi Eccleſiæ fundamento, & Petræ ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fundavit Eccleſiam, quid dicatur a Domino: modicæ, inquit, fidei, quare dubitaſti? *Vide & comment. in cap. 6. Epiſt. ad Rom.*

Tertullianus de præſcr. cap. 20. Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ Petram dictum?

Cyprianus Epiſt: 73. Eccleſia eſt una, & ſuper unum, qui & claves ejus accepit, Domini voce fundata. *Et ib.* Nam Petro primum Dominus, ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam, & unde unitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit, ut id ſolveretur in cœlis, quod ille ſolviſſet in terris.

Hilarius in Matth. cap. 16. Dignum plane confeſſio Petri præmium conſecuta eſt... o in nuncupatione novi nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra!

Baſilius lib. 2. contra Eunom. memorat Petrum, quoniam fide præſtabat, Eccleſiæ ædificationem in ſe recipientem.

Gregorius Nazianzenus orat. 26. Vides, quemadmodum ex Chriſti diſcipulis... hic Petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta in fidem ſuam accipiat.

Epiphanius hær. 59. Qui negavit aliquando S. Petrus, & ſummus Apoſtolorum, qui factus eſt nobis vere firma Petra fundans Domini fidem, in qua ædificata eſt modis omnibus Eccleſia.

Ambroſius ſerm. 11. de Ss. Petro, & Paulo. Si ergo Petrus Petra eſt, ſuper quam ædificatur Eccleſia, recte prius pedes ſanat (*Claudi, de quo Act. 3. loquitur S. Lucas*), ut ſicut in Eccleſia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. *Et ſerm. 2. de Sanctis.* Petra dicitur (*Petrus*), eo quod primus in nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tamquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molemque contineat.

Hieronymus lib. 1. adv. Pelag. Quid Platoni, & Petro? Ut enim ille princeps Philoſophorum, ita hic Apoſtolorum, ſuper quem Eccleſia Domini ſtabili mole fundata eſt.

Paulinus Nolanus epiſt. 23. al. 3. & 4. ad Severum n. 43. Petra eſt Chriſtus... Etiam diſcipulo ſuo hujus vocabuli gratiam non negavit, cum ait: Super hanc Petram &c.

Johannes Chryſoſt. hom. 3. de pœnit. Cum Petrum dico, Petram nomino infragilem, crepidinem immobilem. *hom. 4. in illud:* vidi Dominum. Quid autem Petrus baſis Eccleſiæ? *hom. in illud*: hoc ſcitote. *n. 4.* Petrus itaque Chori illius coriphæus, os Apoſtolorum, caput illius familiæ, orbis totius præfectus, fundamentum Eccleſiæ.

Auguſtinus in pſalm. 69. Petrus, qui paulo ante eum confeſſus erat Filium Dei, & in illa confeſſione appellatus erat Petra, ſuper quam fabricaretur Eccleſia &c. *Et ſerm. 29. de Sanctis.* Solus inter Apoſtolos meruit audire: amen dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: dignus certe, qui ædificandis in Domo Dei populis lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clavis ad Regnum.

Digitized by Google

Traditione faciendam hac in re, ſatis ſuperque ſunt: Eſt igitur Simon Petrus Eccleſiæ Petra, & fundamentum. Quod autem eſt in ædificio fundamentum, eſt in Corpore Caput, in Regno Rex, in Civitate Rector: ergo Simon Petrus conſtitutus eſt a Chriſto Eccleſiæ Caput, Rex, Rector, ſeu Præſes cum ſumma auctoritate, & juriſdictione.

III. Rurſus, Chriſtus Petro dedit Claves Regni cœlorum; quod etiam docent Eccleſiæ Patres, Origenes, Cyprianus, Firmillianus, Hilarius, Baſilius, Ambroſius, Optatus Milevitanus, Johannes Chryſoſtomus, Epiphanius, Cœleſtinus I. Philippus Cœleſtini Lega-

---

Bonifacius I. *epiſt.* 5. *ad Rufum Theſſalon.* Beatiſſimus Petrus &c. in quo univerſalis Eccleſiæ poſitum legimus fundamentum.

Cyrillus Alexandrinus in Jo. lib. 2. *cap.* 12. Nec Simon fore jam nomen ſibi, ſed Petrus, prædicit; vocabulo ipſo commode ſignificans, quod in eo tamquam in Petra, lapideque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.

Philippus Presbyter Cœleſtini I. R. P. Legatus act. 3. *Synodi Epheſ.* Nulli dubium, imo ſæculis omnibus notum eſt, quod Sanctus, Beatiſſimuſque Petrus Apoſtolorum Princeps, & Caput, fideique columna, & Eccleſiæ Catholicæ fundamentum a Domino Noſtro .... Claves Regni accepit.

Leo M. ſerm. 98. *al.* 93. *cap.* 1..... Beatitudinis felicitate donatus (*Petrus*), ſacram inviolabilis Petræ acciperet firmitatem, ſuper quam fundata Eccleſia portis inferi, & mortis legibus prævaleret.

Act. 3. *Synodi Chalced. vocatur Petrus* Petra, & crepido Eccleſiæ Catholicæ, & rectæ fidei fundamentum.

Petrus Chryſologus ſerm. 107. Ipſe (*Petrus*) eſt ergo Cuſtos fidei, Petra Eccleſiæ, janitorque cœlorum. *Et ſerm.* 154. Petrus a Petra nomen adeptus eſt, qui primus meruit Eccleſiam fidei firmitate fundare.

Gregorius M. epiſt. 76. *lib.* 2. *ad Marcianum Auguſtum, ubi improbat Johannis C. P. ſuperbiam*, qui Epiſcopi univerſalis *nomen ſibi arrogaverat*. Cunctis enim ſcientibus Evangelium, quod voce Dominica Sancto, & omnium Apoſtolorum Petro Principi Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſi quippe dicitur, *Petre amas me? paſce oves meas*. Ipſi dicitur: *Ecce Satanas expetivit vos &c.* Ipſi dicitur: *tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam &c.* Ecce claves regni cœleſtis accipit, poteſtas ei ligandi, & ſolvendi tribuitur: Cura ei totius Eccleſiæ, & Principatus committitur, & tamen univerſalis Apoſtolus non vocatur.

Sergius Cypri Epiſcopus epiſt. ad Theodorum Papam inſerta Actis Synodi Lateran. II. Martino I. R. P. habita: Tu es enim, ſicut divinum veraciter pronunciat Verbum, Petrus, & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ confirmatæ ſunt, tibi & claves cœlorum commiſit, atque ligare, & ſolvere cum poteſtate quæ in terra, & in cœlis ſunt, promulgavit.

Maximus Taurinenſis ſerm. 31. Hic eſt Petrus, cui Chriſtus Dominus communionem ſui nominis libenter indulſit: ut enim, ſicut Paulus Apoſtolus docuit, Petra erat Chriſtus, ita per Chriſtum Petrus factus eſt Petra, dicente ei Domino: Tu es Petrus &c.

Digitized by Google

tus, Gregorius M. Sergius, Vigilius Papa, Paſchaſius Ratbertus, & alii plures (2). Claves autem poteſtatem ſignificant, uti ex Scripturis

---

(2) *Origenes tom. 13. in Matth.* Verum quæ uni Petro ſupra (*Matth. 16*) conceſſa ſunt, hic (*Matth 18.*) omnibus quoque videtur tribuiſſe... At quoniam præ iis, qui ter arguerunt, peculiare aliquid Petro tribui oportebat, etiamſi de Petro, & qui ter fratres arguerunt, commune aliquid dictum ſit, privatim illud Petro attributum eſt: *dabo tibi claves regni cœlorum*; priuſquam illud: *quæcumque alligaveritis ſuper terram &c.* Ac ſane ſi ad evangelica ſcripta animum diligenter appellamus, ibi magnum inveniemus diſcrimen, & excellentiam eorum, quæ Petro præ iis, quæ aliis dicta ſunt.... quia Petro quidem datæ ſunt claves non unius cœli, ſed multorum cœlorum, ut quæcumque ligaverit ſuper terram, ſint ligata non tantum in uno cœlo, ſed in omnibus cœlis... Ad eos autem, qui multi ſunt ligatores, & ſolutores in terra, ſic dicit, ut ſolvant, & alligent non in cœlis, ſicut Petrus, ſed in uno cœlo, quia non ſunt in tanta perfectione ſicut Petrus, ut alligent, vel ſolvant in omnibus cœlis.

Cyprianus l. c.

Firmilianus epiſt. ad Cypr. Hinc intelligi poteſt, quod ſoli Petro Chriſtus dixerit: *Quodcumque ligaveris &c.*

Hilarius lib. 6. de Trin. n. 37. Poſt Sacramenti confeſſionem B. Simon ædificationi Eccleſiæ ſubjacens, & claves regni cœleſtis accipiens &c. *Et in cap. 16. Matth. n. 7.* O Beatus Cœli Janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur.

Baſilius proœm de jud. Dei n. 7. Prælatus quidem (*Petrus*) diſcipulis, cui uni majora data, quam aliis, ſunt teſtimonia, qui prædicatus eſt beatus, cui claves cœlorum commendatæ ſunt.

Gregorius Nyſſenus adv. eos, qui caſtigationes ægre ferunt: Per Petrum Epiſcopis dedit clavem cœleſtium regnorum.

Ambroſius in Luc. lib. 7. cap. 13. Petrus, qui omnem habuit fidem, regni cœlorum claves, ut aliis reſeraret, accepit. *Et lib. 10. cap. 22.* Tollit ergo Petrus aurem. Quare Petrus? Quia ipſe eſt, qui accepit claves regni cœlorum. Ille enim condemnat, qui & abſolvit, quoniam idem & ligandi, & ſolvendi adeptus eſt poteſtatem. Tollit aurem male audientis: tollit autem gladio ſpiritali aurem interiorem male intelligentis. Caveamus, necui tollatur auricula. Legitur Paſſio Domini. Si ad divinitatem ejus referimus infirmitatem corporeæ paſſionis, exciditur auricula, & exciditur a Petro, qui non eſt paſſus, Chriſtum Prophetam æſtimari, ſed Dei Filium docuit fideli confeſſione ſignari. *Et ib. in cap. 24.* Denique Petrus ſine metu advenit (*ad Sepulchrum Chriſti cum Johanne*), & conſtanter qui poſterior venerat, primus ingreditur, quaſi qui claves regni, ut aliis aperiret, acceperat.

Optatus Milevitanus lib. 7. contr. Parmen. Præferri Apoſtolis omnibus meruit (*Petrus*), & claves regni cœlorum communicandas cæteris ſolus accepit.

Johannes Chryſ. hom. 54. al. 55. in Matth. deinde alterum dicit honorem: *ego autem dabo tibi claves regni cœlorum*..... Quæ uni Deo ſunt propria, nempe peccata ſolvere, Eccleſiam in tanto fluctuum concurſu immotam

Digitized by Google

pturis (*Iſaiæ cap.* 22. *v.* 21. *&* 22. *Luc.* 11. 52. *Apoc. cap.* 1. *v.* 18. *& cap.* 3. *v.* 7.), & ex Patribus, & ex ipſo loquendi uſu conſtat: Ergo dedit Chriſtus Petro ſummam in Eccleſia poteſtatem, ſeu Primatum jurisdictionis.

CAPUT II.

Febronii argumenta adverſus Caput I. exponuntur, & refutantur.

I. FAtetur Febronius (*cap.* 1. §. 2. *n.* 6. *& cap.* 2. §. 1. *n.* 1.), ex allatis ſuperius Chriſti Verbis rite colligi Primatum S. Petri, ſed honoris dumtaxat, & ordinis non vero jurisdictionis Primatum eſſe, vult. Id vero ut conficiat, varias affert (*cap.* 1. §. 2.), Sanctorum Patrum interpretationes in Chriſti verba, de quibus agimus.

Ait itaque primo (*ib. n.* 1.): *Multi per Petram hanc intelligunt*

reddere, hominemque piſcatorem, toto impugnante Orbe, petra firmiorem reddere, hæc ſe illi daturum pollicetur..... Mortali homini omnem in cœlo poteſtatem dedit, dum claves illi tradidit, qui Eccleſiam per totum Orbem terrarum extendit, & cœlis firmiorem monſtravit.

Epiphanius in Ancor. Juxta omnem enim modum in ipſo (*Petro*) firmata eſt fides, qui accepit clavem cœlorum, & ſolvit in terra, & ligat in cœlo..... Princeps Apoſtolorum Petrus, qui dignus factus eſt habere clavem regni cœlorum.

Cæleſtinus I. epiſt. 3. *ad Epiſc. Illyrici.* Pontificem præcipua circa omnes cura conſtringit, cui neceſſitatem de omnibus tractandi Chriſtus in Sancto Petro Apoſtolo, cum illi claves aperiendi, claudendique daret, indulſit.

Philippus Presbyter, Petrus Chryſologus, Sergius, Gregorius M. ll. ſuperi cc.

Vigilius epiſt. ad univerſ. Eccleſ. data anno 552. Confitenti enim ſalutariter, ac dicenti: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, perennis beatitudo rependitur, & columbæ filius vocitatur, & claves regni cœleſtis accipit.

Paſchaſius Ratbertus in cap. 18 *Matth.* Hæc poteſtas ſolvendi, atque ligandi videtur eadem, quæ Petro ſupra data eſt; ſed non eſt ita per omnia, quoniam oportebat Petrum aliquod privilegium habere præ iſtis, qui ter arguere jubentur: *Tibi dabo claves &c.* Ubi non modica differentia eſſe ſentitur, quia Petro datæ claves non unius cœli, ſed claves regni cœlorum, ut quæcumque ligaverit ſuper terram, ſint ligata non tantum in uno cœlo, verum & in omnibus cœlis. *Et lib.* 6. *cap.* 10. Jure in meritis primus æſtimatur, per quem, & in quo ad alios dona tranſmittuntur. Accipiunt autem reliqui a Domino claves, cum ei a Domino ſpecialius committuntur.

gunt Fidem, ſeu confeſſionem, quam de Chriſti divinitate Petrus fecerat? *Hoc agunt Hilarius* (lib. 6. de Trin. n. 36.), *Gregorius Nyſſenus* (in oper. de adv. Dom.), *Chryſoſtomus* (hom. 55. in Matth.), *Ambroſius* (lib. 6. in Luc. & in cap. 11. epiſt. ad Epheſ.), *Gregorius M.* (lib. 4. epiſt. 38.), *Theodoretus* (epiſt. 77.) *& alii ſaltem triginta quinque Patrum, & antiquorum graviorum Scriptorum commentarii præter S. Leonem, Adrianum I. Nicolaum I. Stephanum VI.* Innocentium II. & Urbanum II. apud Natalem Alexandrum tom. 8. edit. pari. pag. 375. *Eumdem ſenſum retinet oratio in Miſſa Vigiliæ Apoſtolorum Petri, & Pauli in Miſſali Romano:* Præſta, quæſumus, Omnipotens Deus, ut nullis nos ſinas perturbationibus concuti, quos in Apoſtolicæ confeſſionis petra ſolidaſti... *Itaque cum non aliter oret Eccleſia, videtur eſſe doctrina Eccleſiæ, ut hac ipſa ſupra confeſſionem S. Petri fundata credatur.* Hactenus Febronius.

II. Sed fruſtra iſtiuſmodi Patrum interpretationem nobis opponit. Ut enim ex ea concludat Febronius, *Petram* non eſſe Petrum, ſed Fidem, Fideive confeſſionem a Petro editam, oſtendendum præterea illi eſt, eos Patres Petrum excludere, eorumque ſententiâ non ſuper Petrum, ſed ſuper fidem, fideive confeſſionem Eccleſiam ædificatam eſſe. Si enim *Petram* fidei confeſſionem interpretentur non proprie, ſed figurate, nempe ut Petram ad cauſam referant, cur Eccleſiæ Petra, & fundamentum Petrus a Chriſto conſtitutus ſit, inepte plane concludit Febronius, eorumdem Patrum ſententiâ, non Petrum, ſed fidem, aut fidei confeſſionem eſſe Petram, & fundamentum Eccleſiæ, de quo loquitur Chriſtus Matth. 16. Quemadmodum fere inepte quis conficeret, Sancti Hieronymi ſententiâ, proprie *ſuper aquas Petri corpus non ambulaſſe, ſed fidem,* quod id ſcripſerit. Sanctus Doctor in epiſt. 61. ad Pammachium: aut ſententiâ Ambroſii, non pedibus, ſed dilectione, Petrum ſuper aquas ambulaſſe, quod affirmaverit comm. in ep. ad Gal. cap. 2. *Petrum in mari ambulaſſe magis dilectione, quam pedibus.* Jamvero Patres, qui a Febronio memorantur, primo quidem Petræ vocabulo Petrum ad verbum intelligunt, aut Petrum ſignificari, veluti certum ſumunt. Hilarii, Johannis Chryſoſtomi, Ambroſii, Leonis, Gregorii hac de re teſtimonia ſuperius allegavi. Deinde vero ii, & alii, qui Petram interpretati ſunt fidem, ſeu fidei confeſſionem, hanc a Petro non ſecreverunt, ſed ad Petrum retulerunt, ut cauſam tantæ dignitatis Petro collatæ ſignificarent. Id facile colligitur ex verbis ſuperius deſcriptis (*cap. 1.*) Hilarii, Baſilii, Gregorii Nazian., Epiphanii, Auguſtini, Philippi Presb. Synodi Chalced. Petri Chryſologi & Vigilii. S. Hilarius (*in Matth. cap. 16. n. 6.*) *Dignum plane*, inquit, *confeſſio Petri Præmium conſecuta eſt.* Sanctus Johannes Chry-

Chryſoſtomus ait quidem (*l. c.*): *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: ideſt ſuper fidem confeſſionis;* ſed addit: *Quæ uni Deo ſunt propria, nempe peccata ſolvere, Eccleſiam in tanto fluctuum concurſu immotam reddere, hominemque piſcatorem Petra firmiorem reddere, hæc ſe illi daturum, pollicetur.* Alibi vero vocat Petrum *fundamentum Eccleſiæ, baſim Eccleſiæ.* S. Ambroſius l. c. ait Fidem eſſe Eccleſiæ fundamentum; ſed alibi (*ib. in cap. 9.*) quem in ſenſum id intelligat, his verbis explicat: *Petra eſt Chriſtus: etiam diſcipulo hujus vocabuli gratiam non negavit, ut & ipſe ſit Petrus, quod de Petra habeat ſoliditatem conſtantiæ, fidei firmitatem. Enitere ergo, ut & tu Petra iis... Petra tua actus eſt: Petra tua mens eſt: Petra tua fides eſt: fundamentum Eccleſiæ fides eſt:* Quibus verbis ſignificat ob fidem, fideique firmitatem Petrum conſtitutum eſſe a Chriſto Eccleſiæ fundamentum. Sed in re facili laborem ego quæro. Sive enim Petrum, ſive fidem, quam Petrus confeſſus eſt, ipſamve fidei confeſſionem Eccleſiæ fundamentum eſſe, dicas; perinde eſt. Petri enim fides nunquam defectura eſt (*Luc.* 22.): ubi igitur Petrus eſt, ibi & vera fides eſt; & ubi vera fides, ibi Petrus. Ubi autem vera fides eſt; ibi eſt Eccleſia: ergo etiam ubi Petrus eſt, ibi Eccleſia eſt. Ergo quoniam Fides, fideique confeſſio a Petro non ſecernuntur, ſi fidem Petri cum memoratis Patribus Eccleſiæ fundamentum eſſe, dicas, Petrum Fundamentum Eccleſiæ eſſe, fateris. Quare S. Ambroſius (*enarr. in pſal.* 40.) *Ipſe*, inquit, *eſt Petrus cui dixit*: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: *ubi Petrus, ibi Eccleſia; ubi Eccleſia, ibi nulla mors, ſed vita æterna. Et ideo addidit*: Et portæ inferi non prævalebunt ei, & tibi dabo claves regni cœlorum. *Beatus Petrus, cui non inferorum porta prævaluit, non cœli porta ſe clauſit.* In eumdem autem ſenſum cæteros Patres intelligendos eſſe, manifeſta res eſt. Patres igitur a Febronio allegati *Petram* interpretati ſunt Fidem, Fideive confeſſionem non ſeorſim a Petro ſumptam, & *in abſtracto*, ut ajunt, ſed *in concreto*, ideſt Fidem Petri, ſeu Petrum, qui ob egregiam Fidei confeſſionem Eccleſiæ Petra a Chriſto conſtitutus eſt. Ergo Petram interpretati ſunt Petrum. Sed primum Febronii argumentum diligenter ſatis, ut arbitror, refutavi.

III. Ait 2. Febronius (*ib. n.* 2.): *Alii hoc loco per Petram intelligunt Jeſum Chriſtum, qui revera eſt Eccleſiæ ſuæ fundamentum, Lapis angularis, & eſſentiale Caput juxta plures Sacræ Scripturæ textus... facit hoc præ cæteris S. Auguſtinus tract. 124. in Jo. ubi* = Eccleſia fundata eſt ſuper Petram, unde Petrus nomen accepit... Super hanc ergo, inquit, Petram, quam confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam. Petra enim erat Chriſtus, ſuper quod fundamentum etiam ipſe ædificatus eſt Petrus = *Eadem interpretatio legitur in commentariis S. Hieronymi in cap. 7. S. Matthæi*

Digitized by Google

Matthæi, nec non in Theodoreto ſuper cap. 3. ep. 1. ad Corinth. aliiſque.

Sed iſtud quoque argumentum facillime refutatur. Patres enim, qui Petram Chriſtum interpretati ſunt, primi quidem, & præcipui Eccleſiæ fundamenti rationem habuerunt; ſed Petrum veluti alterum fundamentum a Chriſto ipſo conſtitutum non excluſerunt. Præter S. Ambroſium ſuperius (*n.* 2.) memoratum, S. Hieronymus (in cap. 16. Matth.): *Sicut ipſe*, inquit, *lumen Apoſtolis donavit, ut lumen mundi appellarentur... ita & Simoni, qui credebat in Petram Chriſtum, Petri largitus eſt nomen, ac ſecundum metaphoram Petræ recte ei dicitur: Ædificabo Eccleſiam meam ſuper te.* Et alibi (in Jerem. cap. 16.) *Non ſolum enim*, inquit, *Chriſtus Petra, ſed & Apoſtolo Petro donavit, ut vocaretur Petra.* Eſt igitur Chriſtus Petra, & fundamentum Eccleſiæ, præter quod nemo aliud ponere poteſt, ut ait Apoſtolus (*1. Cor. 3. 11.*), *Et ſuper quod etiam ipſe ædificatus eſt Petrus*, ut ait S. Auguſtinus; ſed Petra tamen eſt etiam Simon, cui Chriſtus prima, & præcipua Petra Petræ nomen donavit, ut Eccleſiæ fundamentum eſſet; *ac ſecundum metaphoram Petræ recte ei dicitur: ædificabo Eccleſiam meam ſuper TE*; ut ait S. Hieronymus.

IV. Auguſtinus ipſe, qui Petram Chriſtum interpretatus eſt, interpretatus eſt etiam ſæpe Simonem Petrum, ut ipſe fatetur (*lib. 1. Retract. cap. 21.*); *qui ſenſus etiam*, inquit, *cantatur ore multorum in verſibus BB. Ambroſii, ubi de gallo gallinaceo ait. Hoc ipſa Petra Eccleſiæ canente culpam diluit.* Et concludit: *Harum autem duarum ſententiarum, quæ ſit probabilior, eligat Lector.* Cæterum Petram Chriſtum aliquando interpretatus eſt Auguſtinus, aut ne, ſi ſuper Petrum Eccleſiam ædificatam eſſe diceret, Sacramentorum vim in Miniſtrorum Sanctitate collocare videretur, ut ſenſit Natalis Alexander (*in h. e. ſæc. 1. diſſert. 4. §. 3.*); aut quod Syriaci vocabuli *Cephas*, quo Chriſtus uſus eſt, vim non perſpexerit, uti cum Baronio (*ad annum 33.*) & Bellarmino (*lib. 1. de R. P. cap. 10.*) non temere opinantur plures eruditi Viri. Ejus enim interpretationis hanc affert Auguſtinus cauſam (*lib. 1. Retract. cap. 21.*), quod *non dictum eſt illi:* = Tu es Petra: = ſed: tu es Petrus = quaſi aliud Petrus (Πέτρος) aliud *Petra* (Πέτρα) ſignificet; aut non utrobique eodem Syriaco vocabulo *Cephas* Chriſtus uſus ſit. Neque video, cur hoc reſponſum minus verum eſſe, ſentiat Cl. Zacharia (*Anti-Febbr. p. 1. diſſ. 1. cap. 4. §. 1. n. 3.*). Quamvis enim eamdem interpretationem tradiderint Euſebius, & Hieronymus Syriacæ linguæ periti; hi tamen neque vulgatam, & Patribus omnibus communem interpretationem excluſerunt, ut excludit Auguſtinus, neque eamdem atque Auguſtinus ſuæ interpretationis cauſam dederunt, ut aliud ſignificare exiſtimaverint *Petram*, aliud *Petrum*. Sed quidquid ea de re ſit, Auguſtinus communi aliorum Patrum interpretationi non adverſatur.

V. Ait

Digitized by Google

V. Ait tertio. Febronius (*ib. n. 3.*): *Communior autem ſententia eſt eorum Patrum, ac Sacrorum Interpretum, qui Chriſti verba de S. Petro quidem, ſed ita accipiunt, ut quemadmodum Petrus Domino omnes interroganti ſuo, & condiſcipulorum ſuorum nomine reſpondit, ita & in replica Chriſti cum Petro intelligantur reliqui quoque Apoſtoli, quippe qui omnes revera ſunt fundamenta Eccleſiæ, juxta illud S. Pauli ad Epheſ.* cap. 2. v. 20. *Ædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, nec non Apoc.* 21. *In ſumma: Chriſtus ipſe eſt unicum, & primarium fundamentum ſuæ Eccleſiæ; & ſi S. Petrus dicatur ſecundum, & miniſteriale fundamentum, debebit & tantumdem aſſeri de reliquis Apoſtolis. Itaque ſi de ſecundario hoc fundamento accurate loqui velimus, Petrus erit primus, ſed non unicus fundamenti lapis. Sic Origenes tract.* 1. *in cap.* 16. *Matth.* = Tu es Petrus, Petra enim eſt quilibet Chriſti diſcipulus, & ſuper talem Petram conſtruitur omnis Eccleſiaſtica Doctrina.... Quod ſi ſuper illum unum Petrum tantum exiſtimas ædificari Eccleſiam, quid dicturus es de Johanne filio tonitrui, & Apoſtolorum unoquoque. *S. Hieronymus lib.* 1. *adv. Jovin.* = At dicis: ſuper Petrum fundatur Eccleſia: Licet idipſum alio in loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claves regni Cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper illos fortitudo Eccleſiæ ſolidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio. = *S. Auguſtinus tract.* 108. = Unus pro omnibus dicit: Tu es Filius Dei vivi, & propter hoc claves cum omnibus, tamquam perſonam gerens Eccleſiæ, accepit. = *Leo M. ſerm. 3. de anniv. aſſupt. ſuæ cap. 3.* = Tranſivit in alios Apoſtolos vis iſtius poteſtatis; & ad omnes Eccleſiæ Principes hujus decreti conſtitutio commeavit; ſed non fruſtra uni commendatur, quod omnibus intimatur; Petro enim ſingulariter hoc creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus forma præponitur. = *Theophilactus in hunc locum Matth.* = Licet ad Petrum tantum dictum ſit illud: tibi dabo claves &c. tamen omnibus Apoſtolis olim datum eſt; quando dicit: Quorum remiſeritis &c. *Eucherius Lugdun. hom. in Nat. Petri* = Hoc enim quod Petro principaliter dicitur, cæteris quoque Apoſtolis dictum eſſe, intelligi debet = *Paſchaſius Ratbertus lib. 8. cap. 16. in Matth.* = Non ſuper unum Petrum, verum ſuper omnes Apoſtolos, Apoſtolorumque Succeſſores Eccleſia Dei ædificatur = *Eodem ſenſu hunc textum intelligunt Hincmarus Epiſt. 33. cap. 20. Odo Cluniacenſis lib. 4. Collat. cap. 19. Petrus Bleſenſis ſerm. 44. aliique innumeri*. Hæc ille.

VI. Sed neque tertium iſtud argumentum id conficit, quod Febronius intendit. Non hic quærimus, an etiam Apoſtoli ſint Eccleſiæ fundamenta; ſed an Petra, ſuper quam ſe ædificaturum eſſe Eccleſiam, Chriſtus promiſit *Matth.* 16. proprie, & *ſecundum lite-*

ram, ut ajunt, ſint omnes ſimul Apoſtoli, an Petrus tantum? Hujuſmodi Petram eſſe Petrum tantummodo, omnes Eccleſiæ Patres docent, iique ipſi, qui a Febronio memorantur, nempe præter Origenem, Hieronymum, Auguſtinum, & Leonem ſuperius allatos, etiam Theophilactus, qui (*l. c.*) ait: *Remunerat Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quod ſupra eum ædificavit Eccleſiam*, & alibi (*in cap. 22. Luc.*) Chriſti verba: *confirma fratres tuos;* ſic explicat: *Confirma cæteros; hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ Petra es, & firmamentum*. Eucherius fatetur, ea verba *principaliter* Petro dicta eſſe: non ergo eodem modo, & æque primum cæteris Apoſtolis dicta eſſe, vult.

Paſchaſius (*lib. 8. in Matth. cap. 16.*) ait, Petrum a Petra Chriſto dictum eſſe, & addit: *Licet ſuper eodem fundamento primus, ac ſi caput Petrus recte poſitus credatur, tamen in ea Petra, de qua nomen ſibi ex Deo traxit, tota conſtruitur cæleſtis Hieruſalem .... de cujus nimirum firmitate prior Abraham in veteri teſtamento firmatus, & conſolidatus in ipſo legitur, deinde Petrus in novo*. Ut hinc ſcilicet intelligas, nullum afferri a Febronio veterem Patrem, qui Petram Petrum interpretatus non ſit.

VII. Quamquam autem Petra, de qua ſermo eſt, proprie, & κατὰ λέξιν eſt ſolus Petrus, nihilo ſecius cæteri etiam Apoſtoli recte dicuntur Eccleſiæ fundamenta, non quidem quod omnes ſimul ſint prima illa petra, ſuper quam Eccleſia ædificata eſt; ſed quod primi Eccleſiæ ædificium conſtruxerint, quod ſcilicet primi Evangelium ubique terrarum evulgaverint, Ethnicos ad Chriſti Religionem amplectendam adduxerint, Eccleſias ubique fundaverint, Epiſcopos conſtituerint &c. Nam & Prophetæ, non ſecus atque Apoſtoli, vocantur a S. Paulo Eccleſiæ fundamenta (*l. c.*): *ædificati*, inquit, *ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*. Prophetæ autem proprie Petra illa non ſunt, de qua ait Chriſtus: *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam;* ſed Eccleſiæ fundamenta dicuntur, quod Chriſti Religionem, & quæ ad Eccleſiam ſpectant, longe ante, quam evenerunt, prædixerint, doctrinæque Chriſti veluti fundamenta jecerint. Ergo ſimilem ob cauſam etiam Apoſtoli Eccleſiæ fundamenta ſunt.

VIII. Rurſus: ea Chriſti verba ita explicant aliqui Patres, ut petram eſſe velint quemlibet fidelem. Origenes (*l. c.*) ait: *Si illud idem dicamus, ſicut Petrus, Petrus efficimur;* & ſtatim poſt verba a Febronio deſcripta: *Unicuique enim perfecto habenti congregationem ſermonum beatitudinem efficientium, & operum, & cognitionum, ineſt Eccleſia a Deo ædificata*. S. Ambroſius (*lib. 6. in Luc. cap. 9.*) ait: *Qui enim carnem vicerit, Eccleſiæ fundamentum eſt, & ſi æquari Petro non poteſt, imitari poteſt .... Enitere ergo, ut & tu Petra ſis*.

Theo-

Digitized by Google

Theophilactus (*in cap.* 16. *Matth.*) poſtquam dixit, Eccleſiam ſuper Petrum ædificatam eſſe, addit: *Eſt autem & unuſquiſque noſtrum Eccleſia, quæ ſit domus Dei*. Denique Paſchaſius Ratbertus ante verba a Febronio allata, hæc habet: *Et notandum, quod tantum Petra eſt unuſquiſque fidelium, quantum imitator eſt Chriſti: ac per hoc tantum Eccleſia Chriſti ſuper eos fundatur, quantum & ipſi firmantur in Chriſto. Unde non ſuper uno Petro, verum ſuper omnes Apoſtolos, Apoſtolorumque Succeſſores Eccleſia Dei ædificatur*. At inepte quis dixerit, quemlibet fidelem eſſe proprie Petram, & fundamentum Eccleſiæ. Si enim omnes fideles fundamentum Eccleſiæ ſunt, fruſtra ædificium quæſieris. Sunt igitur fundamentum Eccleſiæ minus proprie, & in ſenſum moralem, quia ſcilicet veram confitentur fidem, ob quam veluti Petræ cum Chriſto prima Petra, & cum Petro altera Petra a Chriſto ipſo conſtituta conglutinatæ, unum ædificium conſtituunt.

IX. Itaque e Patribus, qui a Febronio allegantur, Origenes, & Paſchaſius Ratbertus Petram interpretantur non modo Apoſtolos, ſed etiam Fidelium unumquemque, non quidem proprie, ſed allegorice. Auguſtinus, Leo Magnus, Eucherius, Theophilactus laudatis locis non de Petra, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia, ſed de clavibus loquuntur, uti ex eorum verbis perſpicuum eſt. De Clavibus autem paulo inferius diſſerendi locus erit. Reliquos, ut pote recentiores, perſequi opus non eſt: quamquam audentius, quam verius *innumeros* appellat Febronius. Unus igitur S. Hieronymus affirmat, ſuper omnes Apoſtolos fundatam eſſe Eccleſiam. Sed neque S. Hieronymus Febronii aſſertum juvat. Joviniano enim virginitatem improbanti, objecit S. Hieronymus, S. Johannem Apoſtolum, qui Virgo erat, magis a Chriſto dilectum eſſe, quam Petrum, qui uxorem habuerat: *At dicis*, inquit S. Hieronymus: *ſuper Petrum*, qui uxorem habuit, *fundatur Eccleſia*; reſpondetque: *licet idipſum alio in loco &c.* Ergo fatetur Petram, ſuper quam promiſit Chriſtus, ſe ædificaturum eſſe Eccleſiam (*Matth.* 16.), eſſe Petrum; non enim ibi, ſed *alio in loco idipſum ſuper omnes Apoſtolos fit*. At vero alio in loco non legimus, Apoſtolos omnes dictos eſſe *Petram*, aut ſuper omnes æque Apoſtolos Eccleſiam ædificatam eſſe; ergo ait S. Doctor, *idipſum alio in loco ſuper omnes Apoſtolos fieri*, non quod omnes æque ſint Petra, & fundamentum Eccleſiæ, ſed quod & alii Apoſtoli fundamenta Eccleſiæ ſint, & omnes acceperint claves regni cœlorum. Neque ſane aliud præterea opus erat, ut Joviniani argumentum refutaret. Si enim etiam Johannes eſt fundamentum Eccleſiæ, & claves regni cœlorum accepit, atque etiam ſuper illum fortitudo Eccleſiæ ſolidatur, fruſtra ex eo quod Eccleſia ſuper Petrum, qui uxorem habuerat, fundata eſſet, colligebat Jovinianus, virginitatem reprobandam

eſſe. Ne quis tamen ex S. Doctoris reſponſo concluderet, æqualem eſſe Apoſtolorum omnium auctoritatem, addidit: *Tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut, Capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio*. Si autem unus inter duodecim eligitur, & Caput conſtituitur, non ſunt omnes eodem plane modo Eccleſiæ fundamenta, non æqualis eſt omnium auctoritas: Si unus eſt Caput, cæteri ſunt membra Capiti ſubjecta. Falſum igitur eſt, omnes æque Apoſtolos eſſe proprie Petram illam, de qua ait Chriſtus: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*: Eſt enim hujuſmodi Petra proprie ſolus Petrus, quemadmodum cum omnibus Eccleſiæ Patribus Hieronymus ipſe docet.

X. Sed Febronius: *admittamus tamen interim*, inquit (ib. n. 7.), *eorum interpretationem, qui in textu Matthæi Petrum per fundamentum Eccleſiæ deſignari aſſerunt; demus etiam, fundamentum eſſe fixum, & inconcuſſum; an non ex alio capite moles ædificii poteſt corruere? Quod ſi lapides angulares non adeo firmo nexu conglutinati diſſolvantur?* Ruet ædificii pars, reſpondeo ego, ſed immotum perſiſtet fundamentum; atque ideo immota perſiſtet Eccleſia. Quot enimvero lapides angulares, ut Febronii verba uſurpem, diſſoluti ſunt? an ideo ædificium corruit? Quot Eccleſiæ etiam ab Apoſtolis fundatæ, ab Eccleſia Catholica defecerunt? An ideo Eccleſia Catholica, ejuſve fundamentum everſum eſt? Nonne vero tot lapides diſſoluti ſunt, tot ædificii partes corruerunt, quia cum Petri Cathedra cohærere noluerunt? Ne igitur partes aliæ labantur, Cathedræ Petri, quæ fundamentum immotum eſt, cohærento. Si cui myſtico lapidi ruendi periculum impendeat, S. Hieronymum imitator. Hunc enim cum diſſentientes Orientales in ſuas quique partes pertrahere conarentur, omnes contempſit, atque ne ab Eccleſiæ Catholicæ fundamento diſgregaretur, veritus, Petri Cathedræ ſe adhærere, palam profeſſus eſt, ſtatimque Damaſo R. P. his verbis ſcripſit (*Epiſt. 57.*): *A Paſtore præſidium ovis flagito: Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt*. Etiam S. Auguſtinus, imo omnes Eccleſiæ Patres Petri Cathedram veluti Eccleſiæ fundamentum a Chriſto conſtitutum hæreticis, & Schiſmaticis ſemper indigitarunt, rati eos ideo extra veram Chriſti Eccleſiam eſſe, quod cum Petri Cathedra non convenirent. S. Auguſtinus (*in pſal. contr. part. Donati, & Epiſt. 53. al. 165.*): *Numerate*, inquit, *Sacerdotes vel ab ipſa Petri Sede, & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſit, videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*. Interim ego tertio quoque Febronii argumento ſatisfeci. Quare concludam, Petram, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia, eſſe

ſolum

Digitized by Google

ſolum Petrum; eique totum Eccleſiæ ædificium, & præcipuos etiam; ac nobiliſſimos ejus lapides Apoſtolos veluti primo poſt Chriſtum fundamento inniti.

CAPUT III.

Oſtendit, Claves regni Cælorum non Eccleſiæ, ſed Petro immediate datas eſſe.

I. PRogrediamur nunc ad ea, quæ ſequuntur, Chriſti verba: *Et tibi dabo claves regni cælorum.* Febronius vult (*cap.* 1. §. 6.), *Petrum ſolum non eſſe ſubjectum immediatum poteſtatis Eccleſiaſticæ, ſed clavium poteſtatem univerſitati Eccleſiæ proprie, & ita tranſcriptam eſſe, ut illa per ejus miniſtros pro ſua cujuſque portione, ac inter hos per ſummum Pontificem exerceatur. Ea eſt communis ſententia Theologorum Galliæ tam veterum, quam recentiorum .... Hanc Doctrinam* (ib. n. 1.) *agnovit Tridentinum, quod Seſſ.* 14. *can.* 15. *decernit* = Si quis dixerit, claves Eccleſiæ datas eſſe tantum ad ſolvendum, & non ad ligandum &c. = ... *Sed neque alia fuit Patrum ſententia omnibus* (ib. n. 2.) *retro ſæculis. Sic Tertullianus Scorpiaci cap.* 10. *Auguſtinus Tract.* 50. *&* 124. *in Jo. ſerm.* 108. *de diverſis cap.* 2. *S. Cyrillus Alex. lib.* 12. *in Jo. v.* 22. *&* 23. *S. Fulgentius lib.* 1. *de Remiſſ. peccat. cap.* 19. *Gregorius I. lib. in cap.* 16. *lib.* 1. *Reg. cap.* 3. *Ven. Beda in cap.* 19. *Matth.* quorum ego teſtimonia poſtea referam. *Quamplurima alia*, addit Febronius, *Patrum, & Doctorum in hanc rem loca, quaſi continuata ſerie uſque ad tempora Concilii Tridentini refert Jo. Launojus Epiſt. ad Adrianum Vallentium. Itaque*, concludit, *Eccleſia ipſa principaliter, & radicaliter obtinet poteſtatem clavium, quæ ab illa in omnes ejus miniſtros, ipſumque Summum Pontificem derivatur.*

II. Quoniam vero nunc de totius Febroniani Syſtematis fundamento agimus, eſt Febronii argumentum non pluribus quidem verbis, ſed aliquanto tamen diligentius refellendum. Ac primo quidem quod ait Febronius, eam eſſe communem Theologorum Galliæ ſententiam, ejus impoſtura eſt. Longe enim alia eſt Gallorum Theologorum, atque Febronii ea de re ſententia (*vide proœm. n.* 1.). Sed quia iiſdem fere, quæ a Febronio afferuntur, Patrum, ac præſertim Auguſtini teſtimoniis Galli nituntur, eâdem operâ & Gallorum Theologorum, & Febronii ſententiam refellam.

Itaque Chriſtus quidem non Eccleſiæ, nec cœteris Apoſtolis, ſed ſoli Petro claves regni cœlorum promiſit Matth. 16. Ait enim

ſoli

ſoli Petro : *Tibi dabo claves regni cælorum*. Patres vero à me ſuperius allegati (*cap.* 1. *n.* 3.), claves Petro, imo eorum plutes ſoli Petro, alii *ſpecialius* Petro datas eſſe, docent. Horum igirur Patrum ſententiâ, Claves regni cœlorum Petro primum, & *immediate*, imo ſoli Perro datæ ſunt.

III. Sed Concilium Tridentinum, inquit Febronius, & Parres plurimi docent, Claves datas eſſe Eccleſiæ. Quid vero? An ideo negant, Petro immediate datas eſſe? Minime gentium; Idque ur oſtendam, quæ a Febronio afferuntur, Patrum reſtimonia exſcribam. Tertullianus ait : *Memento, claves hic Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe*. Ergo Tertulliani ſenrentiâ, claves non Eccleſiæ, ſed Petro immediare datæ ſunt, & per Petrum datæ ſunt Eccleſiæ. S. Cyrilli reſtimonium plane eſt abs re. Quærit enim ibi S. Cyrillus, an S. Thomas Apoſtolus Spiritum Sanctum acceperit, quamvis abfuerit, cum dixit Chriſtus diſcipulis = *Accipite Spiritum Sanctum* = : Porro, *reſpondemus*, inquit, *virtutem in omnes permanaſſe, & ſcopum largientis impleſſe. Dedit autem Chriſtus non aliquibus ſeorſum, ſed univerſis diſcipulis*. Ergo omnes æque diſcipuli Spiritum Sanctum acceperunt. Quî vero hinc confici poſſit; Claves regni cœlorum univerſæ Eccleſiæ immediate datas eſſe, craſſioris ego minervæ non intelligo.

IV. S. Fulgentius air : *In ſola ergo Eccleſia Catholica datur, & accipitur remiſſio peccatorum, quam ipſe Sponſus unam dicit eſſe columbam ſuam, unam electam ſuam, quam ſuper Petram fundavit, cui Claves regni Cælorum dedit, cui etiam poteſtatem ligandi, ſolvendique conceſſit; ſicut B. Petro veritas veraciter repromittit, dicens* = Tu es Petrus &c. = *Ab hac Eccleſia, quæ Claves regni Cælorum accepit, quiſquis foris eſt, non Cæli viam graditur, ſed inferni*. Jamvero S. Fulgenrius, ur ex ejus verbis manifeſtum eſt, eo ſpectat, ut conficiat, neminem exrra Eccleſiam Catholicam remiſſionem peccatorum dare, vel accipere poſſe. Id vero hoc argumento conficit, quod non Hæreticorum, aut Schiſmaticorum cœtibus, ſed ſoli Eccleſiæ Catholicæ datæ ſint claves regni Cœlorum. At vero ſi claves Perro immediate, & a Petro cæteris Catholicæ tantum Eccleſiæ Paſtoribus datæ ſunt, nonne recte concludit S. Fulgenrius, ſoli Eccleſiæ Catholicæ datas eſſe claves regni cœlorum, ideoque in ſola Eccleſia Catholica dari, & accipi remiſſionem peccatorum? Et Petro quidem immediare daras eſſe Claves, ſignificat S. Fulgentius iis verbis: *Sicut B. Petro veritas veraciter repromittit, dicens* : Tu es Petrus &c. Quare huc redit S. Fulgentii argumentum : Soli Petro Eccleſiæ Catholicæ fundamento, & Capiti claves regni cœlorum datæ ſunt : ergo ſoli Eccleſiæ Catholicæ datæ ſunt : ergo in ſola Eccleſia Catholica datur, & accipitur remiſſio peccatorum. Ergo etiam S. Ful-

gentii

gentii ſententia eſt, Claves regni cœlorum Petro immediate datas eſſe.

V. Expoſitionis Librorum Regum, quam allegat Febronius, auctor non eſt S. Gregorius M. ſed Claudius ejus diſcipulus, qui ex Magiſtri ſui dictis ſæpe non rite intellectis eam adornavit. Quamobrem de hujuſmodi expoſitione ſcribit S. Gregorius (*epiſt.* 24. *lib.* 12.): *Quæ cum mihi legiſſet, inveni dictorum meorum ſenſum valde inutilius fuiſſe permutatum.* Ea de re legenda eſt præfatio doctiſſ. Monachorum Maurinorum in opera S. Gregorii. Cæterum quod ex ea expoſitione depromit Febronius teſtimonium, in eumdem ſenſum cum paulo ſuperius allata S. Fulgentii ſententia intelligendum eſt. Ait enim expoſitionis Auctor: *Cornu quidem ſalutis, quid eſt, niſi ſublimitas Eccleſiaſticæ poteſtatis? Nam quod antiquis nuſquam dicitur, modo univerſali Eccleſiæ dicitur* = quodcumque ligaveris ſuper terram &c. = Affirmat nempe univerſali, ideſt Catholicæ Eccleſiæ tantum datam eſſe ligandi, ſolvendique poteſtatem; non quia Fidelium multitudini, ſed quia Petro multitudinis, ſeu totius Eccleſiæ Principi, & Capiti data eſt: Non enim Eccleſiæ, ſed Petro dictum eſt: *quodcumque ligaveris &c.* Ergo ne illius quidem expoſitionis Auctor Febronii ſententiam juvat. Sed callide Febronius ad ſpurium S. Gregorii opus confugit; quod probe noverit, S. Gregorium longe aliam in germanis ſuis operibus doctrinam tradidiſſe. Claves enim regni cœlorum Petro datas eſſe, ſæpe diſſertiſſime docet S. Gregorius. Etenim præter ea, quæ ſuperius allata ſunt, ſcribens Bonifacio *Magnifico Africæ &c.* (*lib.* 2. *epiſt.* 41.), eum Romam vocat, ut fidem ſuam apud Apoſtolicam Sedem probet: *Per vos*, inquit, *venite, & B. Petri Apoſtolorum Principis liminibus voſmet præſentate*, & addit: *Hortor tamen, ut dum vitæ ſpatium ſupereſt, ab ejuſdem B. Petri Eccleſia, cui claves cæleſtis regni commiſſa ſunt, & ligandi, atque ſolvendi poteſtas attributa, veſtra anima non inveniatur diviſa, ne ſi hic beneficium ejus deſpicitur, illic vitæ aditum claudat.* Præterea Conſtantiam Auguſtam laudat (*ib. epiſt.* 78.), quod una cum filiis ſuis *in cauſis B. Petri Apoſtolorum Principis magna juſtitia ſe impendat*, & addit: *Nec dubium eſt, peccatorum vinculis ſolutos æterna vos bona recipere, qui in cauſis ejus Eccleſiæ ipſum vobis, cui poteſtas ligandi, & ſolvendi data eſt, debitorem feciſtis.* En iterum, iterumque affirmat S. Gregorius, claves datas eſſe Petro Apoſtolorum Principi, ipſique totius Eccleſiæ curam commiſſam eſſe. Igitur Petrus immediate claves accepit; nec aliam ob cauſam eas accepiſſe dicitur Eccleſia, niſi quia eas accepit Petrus Eccleſiæ Princeps, & Caput, cui ipſius Eccleſiæ cura commiſſa eſt.

VI. Ven. Beda (*in cap.* 19. *Matth.*) ait: *Claves regni cœlorum*

Petrus,

Petrus, tamquam perſonam gerens ipſius unitatis, accepit. Ergo claves immediate accepit Petrus. Et (*in cap.* 21.): *Eccleſia ergo*, inquit, *in Petro claves regni cælorum accepit*: ergo rurſus claves immediate accepit Petrus: non enim eas accepiſſet Eccleſia in Petro, niſi immediate eas accepiſſet Petrus. Denique (*hom. de S. Petro*) ait: *Omni igitur Electorum Eccleſiæ juxta modum culparum, vel pœnitentiæ ligandi, atque ſolvendi datur authoritas.* Sed hæc authoritas Petro primum immediate data eſt, & per Petrum Eccleſiæ, ita ut ea utatur Eccleſia cum ordine ad Petrum. En in hanc rem perſpicua Ven. Bedæ ſententia (*hom. in die Ss. Petri, & Pauli*): *Nec non etiam nunc in Epiſcopis, ac Presbyteris omni Eccleſiæ officium idem committitur; ſed ideo B. Petrus .... ſpecialiter claves regni cælorum, & principatum judiciariæ poteſtatis accepit &c.* Ergo etiam Ven. Bedæ ſententia eſt, claves immediate, & *ſpecialiter* datas eſſe Petro; imo ipſi datum eſſe *judiciariæ poteſtatis principatum*.

VII. Sed Auguſtini præſertim auctoritate nos urget Febronius (*ib. n.* 4.): Auguſtinus enim affirmat ſæpe, Claves regni cœlorum Eccleſiæ datas eſſe, cum Petro datæ ſunt, quod is claves accipiens. Eccleſiæ perſonam geſſerit: (*lib. de agone Chriſtiano cap.* 30.); *Huic enim Eccleſiæ*, inquit, *claves regni cælorum datæ ſunt, cum Petro datæ ſunt; & cum ei dicitur, ad omnes dicitur: paſce oves meas.* (tract. 50. in Jo.): *Petrus, quando claves accepit, Eccleſiam Sanctam ſignificavit.* (tract. 124. in Jo.): Cujus Eccleſiæ Petrus *propter Apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate perſonam .... Eccleſia ergo, quæ fundatur in Chriſto, claves ab eo regni cælorum accepit in Petro, ideſt poteſtatem ligandi, ſolvendique peccata.* (ſerm. 108. de diver.) *Inter Apoſtolos pene ubique ſolus Petrus totius Eccleſiæ meruit geſtare perſonam. Propter ipſam perſonam, quam totius Eccleſiæ ſolus geſtabat, audire meruit: tibi dabo claves regni cælorum. Has enim claves non unus homo, ſed unitas accepit Eccleſiæ ..... Nam ut noveritis Eccleſiam accepiſſe claves regni cælorum, audite in alio loco, quid Dominus dicat omnibus Apoſtolis ſuis: Accipite Spiritum Sanctum: & continuo: ſi dimiſeritis peccata, dimittentur eis; ſi cujus tenueritis, tenebuntur. Hoc enim ad claves pertinet.* (ſerm. 149. n. 7.): *Numquid iſtas claves Petrus accepit, & Paulus non accepit?* (lib. 3. de bapt. cap. 4. n. 6.): *Si ergo perſonam gerebant Eccleſiæ, & ſic eis hoc dictum eſt, tamquam ipſi Eccleſiæ diceretur, pax Eccleſiæ dimittit peccata, & ab Eccleſia pace alienatio retinet peccata.*

VIII. Conſtans igitur Auguſtini dogma eſt, Petrum, quando claves accepit, geſſiſſe figuram, & perſonam Eccleſiæ. Inde vero colligit Febronius, claves immediate datas eſſe Eccleſiæ: Ego vero colligo, datas eſſe Petro. Uter noſtrum recte collegerit, quivis Logices non imperitus judex eſto. Docet Auguſtinus (*lib.* 15. *de*

Trin.

Trin. cap. 24.), *Chriſtum geſſiſſe figuram Eccleſiæ*, *quando baptizatus eſt*: Ergo ne non immediate Chriſtus baptizatus eſt? Alibi *(in pſal. 108. & tract. 50. in Jo.)*: *Judas malus*, inquit, *corpus malorum ſignificavit* (cum Chriſtum prodidit), *quomodo Petrus corpus bonorum*, *imo corpus Eccleſiæ*, *ſed in bonis*. *Nam ſi in Petro non eſſet Eccleſiæ Sacramentum*, *non ei diceret Dominus*: *& tibi dabo claves regni cælorum*; *quæcumque ſolveris &c.* Atqui non corpus malorum, quod Judas ſignificabat, ſed Judas ipſe immediate Chriſtum prodidit: ergo non Eccleſia, quam Petrus ſignificabat, ſed Petrus ipſe immediate Claves accepit. Hoc idem reſponſum dat Natalis Alexander (*in h. e. ſæc. 1. diſſert. 4. §. 3.*): quamquam alibi (*ſæc. 15. & 16. diſſ. 4. art. 1. n. 14. & diſſ. 8. art. 3. n. 54.*) eorum forte, quæ olim ſcripſerat, immemor, aut, quod ego opinari malim, partium ſtudio ductus ſcripſit, claves *immediatius datas eſſe Eccleſiæ*, *immediate illi collatam a Sponſo ligandi*, *& ſolvendi authoritatem*. Quamobrem qui in ſuam ſententiam allegaretur, perperam licet, dignus Febronio viſus eſt (*ib.*). Sed eâdem operâ uterque refutatur.

IX. Rurſus *Eccleſiæ Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate perſonam*. Ergo Petrus gerebat perſonam Eccleſiæ, non ut miniſter ab Eccleſia delegatus, ſed ut Eccleſiæ Princeps a Chriſto ipſo conſtitutus. Ergo claves accepit a Chriſto non ut miniſter, ſed ut Princeps Eccleſiæ. Claves ergo non accepit Eccleſia Petro quaſi Miniſtro tradendas, ſed accepit Petrus Eccleſiæ Princeps cum aliis Eccleſiæ Principibus ſibi ſubjectis communicandas.

Sed cur ego his immoror, cum Auguſtinus ipſe legem ſtatuat memorata Chriſti verba: *tibi dabo Claves*, aliaque ſimilia interpretandi? *Quædam dicuntur*, inquit, (in pſal. 108. n. 1.) *quæ ad Apoſtolum Petrum proprie pertinere videntur*, *nec tamen habent illuſtrem intellectum*, *niſi cum referuntur ad Eccleſiam*, *cujus ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam propter Primatum*, *quem in diſcipulis habuit*, *ſicut eſt*: *tibi dabo claves regni cælorum*, *& ſiqua hujuſmodi*. Ergo Chriſti verba: *tibi dabo Claves*: ad Petrum quidem pertinent, ſed non *proprie*; ideſt ad Petrum pertinent, non ut privatus homo eſt, ſed ut eſt Eccleſiæ Caput, & Princeps: *non enim habent illuſtrem intellectum*, ſi referantur ad ipſum, ut privatum hominem; ſed habent, *ſi referantur ad Eccleſiam*, *cujus ille propter ſuum primatum perſonam geſtabat*: hoc eſt ad ipſum ut Eccleſiæ Caput, & Principem. Ergo non equidem ut privatus homo, ſed ut Eccleſiæ Princeps claves a Chriſto accepit Petrus, ſed immediate tamen non Eccleſia, ſed ipſe claves accepit. Ex his vero facile intelligitur, quem in ſenſum ſcripſerit Auguſtinus, *Eccleſiam accepiſſe Claves in Petro*: *non unum hominem*,

ſed unitatem Eccleſiæ accepiſſe claves, & ſimilia. Nempe claves immediate accepit Petrus ut Eccleſiæ Princeps, & Caput non ſibi uni vindicandas, ſed cum cæteris Eccleſiæ Principibus communicandas; nec ſecum perituras, ſed in Eccleſia, ideſt in Petri Succeſſoribus ſummis Eccleſiæ Principibus, atque in aliis inferioribus uſque ad mundi finem conſervandas. Quod autem ita Eccleſiæ Capiti datum eſt, Eccleſiæ ipſi datum eſſe, vere dicitur, quemadmodum fere privilegia, quæ Patri familias, aut Regi perpetuo duratura data ſunt, Familiæ, aut Regno data eſſe vere dicuntur. Quamobrem vere eſt in Eccleſia poteſtas non tantum ad ſolvendum, ſed etiam ad ligandum, uti definivit Tridentina Synodus; eſt enim poteſtas hæc in Eccleſiæ Capite, atque in aliis Eccleſiæ Principibus, ipſis non ab Eccleſia, ſed a Deo data.

X. Sed ut quæ hactenus diſſerui, in pauca contraham, Chriſtus Claves Petro immediate promiſit: Patrum nemo affirmat, Claves non Petro, ſed Eccleſiæ datas eſſe, imo Origenes, Tertullianus, Cyprianus, Firmillianus, Hilarius, Baſilius, Ambroſius, Gregorius Nyſſenus, Optatus, Johannes Chryſoſtomus, Philippus Presbyter, Vigilius, Gregorius Magnus, Sergius, Venerabilis Beda, Paſchaſius Ratbertus, & alii aſſerunt, claves Petro, & eorum plures ſoli Petro datas eſſe. His non adverſantur Tertullianus, Auguſtinus, Cyrillus Alexandrinus, Fulgentius, Gregorius Magnus, & Ven. Beda, qui a Febronio allegantur; Horum enim nemo claves Petro datas eſſe, negat; imo omnes, ſi Cyrillum, qui ea de re non agit, excipias, Claves Petro datas eſſe, affirmant. Ergo ex ſacris Literis, & ex perpetua Eccleſiæ Traditione Iſidoriano commento multo antiquiore conſtat, claves regni cœlorum, ideſt ſummam, & *univerſalem* juriſdictionem non *univerſitati Eccleſiæ*, ſed Petro immediate datam eſſe. Ergo poteſtatem clavium *principaliter*, & *radicaliter* obtinet non Eccleſia, ſed Petrus, Petrique Succeſſores. Falſa igitur eſt Natalis Alexandri, aliorumque Galliæ Theologorum ſententia, claves *immediatius* datas eſſe Eccleſiæ, *immediate ipſi collatam a Sponſo auctoritatem ligandi*; *poteſtatem juriſdictionis in tota univerſalitate Eccleſiæ principaliter reſidere*, ideſt in Concilio generali, uti ipſe Natalis Alexander explicat. Multo vero magis falſa eſt Febronii ſententia, Claves *univerſitati Eccleſiæ*, ut a Paſtoribus diſtinguitur, datas eſſe.

XI. Ne vero quid eorum, quæ in rem ſuam Febronius adducit quamquam levia, & futilia, prætermittam, ea etiam afferam. Ac primo prolixum deſcribit Toſtati Abulenſis teſtimonium, quod huc fere redit: Claves neque Petro, neque Apoſtolis datæ ſunt tamquam *determinatis perſonis*; *alioquin defunctis illis non manſiſſent in Eccleſia*

cleſia Claves: ergo illis datæ ſunt tamquam miniſtris Eccleſiæ: Ergo Eccleſia habet claves radicaliter.

Verum claves datas eſſe Petro, non tamquam determinatæ perſonæ, ſeu ut privato homini, ego quoque ſuperius affirmavi: Quod vero inde concludit Toſtatus, ſcilicet datas eſſe claves Petro, ut miniſtro Eccleſiæ, eſt plane falſum. Ut enim ex Auguſtino oſtendi, claves datæ ſunt Petro ut Eccleſiæ Capiti, & Principi. Petrus autem ea dignitate inſignitus eſt non ab Eccleſia, ſed a Chriſto. Ergo ſicuti Primatus, ita & Claves, quæ Primatui adnexæ ſunt, non ab Eccleſia, ſed a Chriſto Petro traditæ ſunt. Ergo claves non ſunt *radicaliter* in Eccleſia, ſed in Petro. Sed quærit: Ubinam ergo ſuperfuerunt claves, Petro defuncto? Nonne in Eccleſia? Nequaquam, reſpondeo ego. Claves enim, ſeu peculiaris, & limitibus circumſcripta juriſdictio penes Epiſcopos ſemper eſt, ut ſinguli in ſuis quique Eccleſiis ea utantur: univerſalis vero juriſdictio penes neminem hominum ſupereſt, ſed penes Chriſtum. Neque quidquam cauſæ eſt, cur id mirentur Toſtatus, & Febronius. Defuncto enim Petro, ejuſve Succeſſore Romano Pontifice, Eccleſiæ Primatus penes neminem hominum ſupereſt, imo neque penes Eccleſiam, ut patet, ſed penes Chriſtum. Qui vero in defuncti Pontificis locum ſuffectus eſt, is & primatum, & claves regni cœlorum, ideſt univerſam juriſdictionem obtinet non ab Eccleſia, ſed a Chriſto immediate; quemadmodum & Eccleſia Gallicana ſæpe faſſa eſt, & Florentina Synodus definivit (defin. Fidei).

XII. Sed *Paſtores, & Epiſcopi*, addit Febronius *(ib. n. 1.) in uſu Clavium nunquam non ſe agnoverunt miniſtros Eccleſiæ, exemplo Pauli Apoſtoli* ſcribentis ad Coloſſ. cap. 1. v. 25. = Pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia, cujus factus ſum ego Miniſter =.

Egregie quidem. Sed etiam Chriſtus (*Luc.* 22. 27.): *Ego autem*, inquit, *in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat*. Ergo ne Chriſtus ſuam auctoritatem acceperat ab Eccleſia? Acceperat ne ab Eccleſia ſuam auctoritatem S. Paulus? Scilicet Epiſcopi ſunt miniſtri Eccleſiæ, non quod ſuam auctoritatem ab Eccleſia acceperint, ſed quod Eccleſiæ, ſeu Fidelium cœtui ſibi commiſſo quæ ad ſalutem utilia, & neceſſaria ſunt, adminiſtrent. Cætera Chriſti Miniſtri ſunt, a Chriſto ipſo, & a Spiritu Sancto *poſiti Epiſcopi regere Eccleſiam Dei* (*act.* 20. 28.). Quare idem Apoſtolus (1. *Cor.* 4. 1.): *Sic nos*, inquit, *exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Non ergo ab Eccleſia, ſed a Chriſto ſuam habent auctoritatem, immediate ne, an mediate per Petri Succeſſores, quærere nunc opus non eſt, nec magni refert, ut alibi dicam.

XIII. Denique Concilium Tridentinum, inquit Febronius, ſeſſ.

14. cap. 5. de Confeſſione, ait = Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit = . *Hic Eccleſia diſtinguitur a Concilio; alioquin Concilium ſtatuiſſet per Concilium, quæ nugatoria foret propoſitio.*

Sed ego cum hæc legerem, riſum tenere vix poteram. Mirabar enim, hominem, qui & eruditus, & acutus videri vult, hujuſmodi ineptiis detineri potuiſſe. Quid enimvero ſignificat Tridentina Synodus, cum ait, *Eccleſiam per Lateranenſe Concilium ſtatuiſſe?* Nempe Eccleſiam, ſeu Epiſcopos Romæ in Laterano congregatos ſtatuiſſe: ut non diſtinguatur Eccleſia a Concilio, niſi quia Eccleſia ſignificat Epiſcopos diſperſos, Concilium Epiſcopos congregatos. Idque uſu quoque loquendi receptum eſt, ut eos, qui cœtum aliquem conſtituunt, ſi ad aliquid ſtatuendum in unum locum conveniant, per ſuum conventum, vel in ſuo conventu, ſeu Concilio ſtatuiſſe, dicamus.

CAPUT IV.

Alterum pro S. Petri Primatu argumentum ducitur ex Joann. cap. 21.

I. CHriſtus Jo. 21. ait Simoni Petro: *Simon Joannis, diligis me plus his? dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te: dicit ei: paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: etiam Domine tu ſcis, quia amo te: Dicit ei: paſce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? .... Et dixit ei: Domine, tu omnia noſti, tu ſcis, quia amo te. Dixit ei: paſce oves meas.* Hoc loco Chriſtus Petrum dumtaxat alloquitur, quem & proprio nomine Simonem Joannis appellat, eique non agnos tantum, ideſt Fideles, & plebem; ſed etiam oves, ideſt Paſtores paſcendos committit. Paſtoris autem eſt gregem non modo ad paſcua ducere, ſed etiam tueri, regere, errantem cohibere, paucis cum ſumma poteſtate gregi præeſſe: Id enim ſignificat in Scripturis tam latinum verbum *paſcere*, quam græcum Ποιμαίνειν (2. *Reg.* 5. 1. *Iſaiæ* 44. 28. *Matth.* 26. *Apoc.* 19. 15.), quemadmodum etiam Theophilacto notatum eſt (*in hunc loc.*): ait enim: *diſcrimen autem quis inveniat inter agnos, & oves, & inter* βόσκειν, & ποιμαίνειν *quaſi dicas inter paſcua præbere, & gregem gubernare. Siquidem agni fortaſſe dicuntur ſimpliciores, qui facile introducuntur, oves vero perfectiores.* Egregie vero Eucherius Lugdunenſis (hom. in Nat. Ss. Petri, & Pauli): *Prius Agnos*, inquit, *deinde oves commiſit ei, quia non ſolum Paſtorem, ſed etiam Paſtorum Paſtorem eum*

rem eum

Digitized by Google

rem eum conſtituit. Paſcit igitur Petrus Agnos, paſcit & Oves: paſcit filios, paſcit & matres: regit & ſubditos, & Prælatos. Omnium igitur Paſtor eſt, quia præter oves, & agnos in Eccleſia nihil eſt.

II. Atque ex iis quidem Chriſti verbis ſummam in Eccleſia dignitatem, & auctoritatem Petro collatam eſſe, colligunt Sancti Patres Hilarius (*lib. 6. de Trin. n. 37.*), Ambroſius (*in Luc. lib. 10.*), Johannes Chryſoſtomus (*hom. 87. in Jo.*), Epiphanius (*in Aucor.*), Leo Magnus (*ſerm. 3. de Aſſumpt. ſua*), Petrus Chryſologus (*ſerm. 6. in pſal. 99.*), Vigilius Papa (*epiſt. ad univ. Eccl.*), Gregorius Magnus (*lib. 2. ep. 76.*), Maximus Taurinenſis (*ſerm. de Ss. Petro, & Paulo*), Arnobius Junior (*in pſal. 138.*), Bernardus (*lib. 2. de conſid. ad Eugenium Papam c. 8.*), aliique plures. Unius Bernardi teſtimonium etſi fuſius exſcribam, quod ejus auctoritate adverſus Romanum Pontificem pugnet ſæpe Febronius. *Age,* inquit S. Bernardus, *indagemus adhuc diligentius, qui ſis, quam geras videlicet pro tempore perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex: Tu Princeps Epiſcoporum: Tu hæres Apoſtolorum. Tu Primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, judicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt. Sunt quidem & alii cæli Janitores, & gregum Paſtores, ſed tu tanto glorioſius, quanto & differentius præ illis nomen hæreditaſti. Habent illi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos: tibi univerſi crediti, uni unus. Nec modo ovium, ſed & Paſtorum omnium tu unus Paſtor. Unde id probem, quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Epiſcoporum; ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolute, & indiſcrete totæ commiſſæ ſunt oves? Si me amas, Petre, paſce oves meas. Quas? Illius, aut illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur, ubi nihil diſtinguitur.* Hactenus S. Bernardus, quem inter Romanæ Curiæ adulatores recenſere Febronius quidem, opinor, non audet. Quid vero præclarius de S. Petri, & Romani Pontificis Primatu, & auctoritate ſcribere potuerunt Merlinus, Rubeus, Fagnanus, Cardinalis de Luca, & immortalis memoriæ Benedictus XIV. quos veluti Curiæ adulatores ille carpit (*cap. 3. §. 11.*)? Jamvero ex S. Bernardo, & ex Eucherio Lugdunenſi diſcat, velim, Febronius, diſtinctionem agnorum, & ovium, *quaſi per hat Epiſcoporum, per illos cæterorum Fidelium cura Petro a Chriſto commiſſa fuerit,* non eſſe *imaginariam ſubtilitatem antiquitati incognitam, noviter a Scholaſticis ad ſuſtinendam abſolutam poteſtatem R. Pontificis adinventam,* ut impudenter ipſe ſcribit (*cap. 1. §. 3. n. 2.*).

III. Nihilominus ſi Patres Eccleſiæ conſulamus, inquit Febronius

Digitized by Google

nius (*cap.* 1. §. 3.), *etiam hoc loco Chriſti verba in perſona Petri ad omnes Paſtores Eccleſiæ diriguntur*, uti docent Auguſtinus (*ſerm.* 108. *de diver. cap.* 4.), Ambroſius (*lib.* 2. *de dignit. Sacerd. qui tamen genuinus Ambroſii fœtus non eſt, cap.* 2.), Johannes Chryſ. (*hom.* 79. *in Matth.*), & Baſilius (*Conſtit. Monaſt. cap.* 22.). Et multi alii.

Quidni? Ego reſpondeo. Opus equidem non eſt, ut hanc in rem Patrum teſtimonia congerat Febronius. Quemadmodum enim claves regni cœlorum Petro immediate datæ ſunt, & per Petrum cæteris Eccleſiæ Paſtoribus, ita etiam omnium ovium, totiuſque gregis Paſtor Petrus a Chriſto conſtitutus eſt, ut alii tamen ſint Paſtores, qui commiſſam ſibi gregis partem ordinaria poteſtate paſcant. Non enim ii ſumus nos, qui alios Epiſcopos eſſe Romani Pontificis Vicarios tantum, & Conſiliarios exiſtimemus, ſed ut veros Paſtores, & Eccleſiæ Principes eos veneramur, quibus Chriſtiani gregis portio paſcenda, & regenda commiſſa eſt. Hoc itaque dicimus, atque tum ex Sacris Literis, tum ex Traditione oſtendimus, reliquis Paſtoribus gregis partem, Petro, Petrique Succeſſoribus univerſum gregem, ipſoſque Paſtores commiſſos eſſe. *Sunt quidem alii cœli Janitores, & gregum Paſtores*, ut ait S. Bernardus, *ſed habent illi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos: Petro univerſi crediti, uni unus. Nec modo ovium, ſed & Paſtorum omnium* Petrus *unus Paſtor*. Idque ex verbo Domini probat S. Bernardus. Longe ante S. Bernardum rem hanc nos docuit S. Leo, qui (*ſerm.* 3. *de aſſumpt. ſua*), *De toto mundo*, ait, *unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Patribus præponatur, ut quamvis in Populo Dei multi ſint Sacerdotes, multique Paſtores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus*. Quare Synodus Florentina (*defin. fid.*) definivit, Romano Pontifici in *Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam a Domino Noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe*. Igitur Chriſti verba *paſce oves meas*, etiam ad alios Paſtores ſpectant, ſed Petro veluti Paſtorum ſummo dicta ſunt, cui totius Eccleſiæ primatum cum ſumma paſcendi regendique omnes poteſtate Chriſtus dedit.

IV. Sed *contineat de reliquo*, inquit Febronius (*ib. n.* 3.) *verbum* paſcendi *Petro* (*ſuppone etiam ſoli*) *dictum, quantamcumque auctoritatem, & poteſtatem; non repugno: hoc contendo, nullam verbo paſcendi ineſſe, quæ non æque, imo amplius contineatur illis Chriſti dictis ad omnes Apoſtolos*: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos; *item his*: Euntes docete omnes gentes.

Hic vero Febronius malo genio, quo ducitur, nimium indulgere, mihi videtur. Præterquam quod enim Patrum plerique ea Chriſti

verba:

Digitized by Google

verba: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, ita exponunt, ut ſicut Chriſtum Pater, ita Chriſtus ipſe diſcipulos ſuos ad perferendos labores, & ad mortem ſubeundam miſerit: quis præjudicio liber dixerit, æqualem, imo majorem dari Apoſtolis auctoritatem iis verbis, quam Petro his: *paſce agnos meos, paſce agnos meos, paſce oves meas*? Et prioribus quidem verbis docendi, & baptizandi munus Apoſtolis defertur; ſed eorum quos illi docuerint, & baptizaverint, paſcendorum, & regendorum cura Petro committitur. Sed hac in re oſtendenda opus non eſt, ut diu immorer; eſt enim per ſe perſpicua.

V. Denique obſervari, vult Febronius (*ib. n.* 4.), Ss. Patres, alioſque *primæ notæ Tractatores* varios in ſenſus Scripturæ teſtimonia hactenus allata exponere; *unde concludimus*, inquit, *Romanorum ſententiam ... in ſacris literis ſolidum non invenire præſidium*.

Sed fruſtra varietatem iſtam jactat Febronius. Omnes enim Patres Petræ vocabulo (*Matth.* 16.) Simonem Petrum intelligunt. Et qui ex iis Fidem, aut fidei confeſſionem, Chriſtum, aut alios quoque Apoſtolos eſſe Eccleſiæ fundamentum dicunt, ii non modo non excludunt Petrum, ſed hiſtorice, & κατὰ λέξιν Petrum primo, ſaltem poſt Chriſtum, ſignificari, aut aperte tradunt, aut veluti certum aſſumunt. Rurſus claves regni cœlorum Petro datas eſſe (*ib.*), & totius Chriſtiani gregis paſcendi curam ipſi commiſſam eſſe, Patres omnes docent, & Florentina Synodus definivit. Huc vero interpretationum varietas redit, quod Patres doceant, Eccleſiæ, ideſt cæteris etiam Eccleſiæ Paſtoribus & claves datas, & oves paſcendas commiſſas eſſe. Sed iidem ipſi docent Petro primum, ac per eum cæteris Eccleſiæ Principibus id muneris delatum eſſe, & præterea cæterorum poteſtatem diœceſeon, & provinciarum limitibus eſſe circumſcriptam, & Petro ſubjectam, Petri vero poteſtatem tota, qua patet, Eccleſia diffundi. Hæc ego hactenus oſtendi, & deinceps adhuc luculentius oſtendam. Iſta ergo interpretationum varietas Romanorum ſententiæ nihil officit.

CAPUT V.

Argumenta, quibus Febronius æquali poteſtate Apoſtolos omnes præditos fuiſſe, demonſtrare conatur, refutantur.

I. O*mnium Apoſtolorum in Eccleſiaſtica poteſtate æqualitas (ſalvo Petri Primatu) ex Scriptura demonſtratur*, inquit Febronius (*cap.* 1. §. 7.). Orta enim inter eos diſceptatione, *quis eorum videretur eſſe major?* (Luc. 22.), reſpondit Chriſtus: *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper*

Digitized by Google

eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic, ſed qui major eſt inter vos, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator.

Ex Epiſtola ad Galatas Cap. 2. v. 7. ſeqq. clare ſatis eruitur Apoſtolorum in poteſtate æqualitas, ait Febronius (*ib. n. 2.*). Eamdem firmat *Cyprianus in lib. de unit. Eccl. ſcribens*: = Et quamvis Apoſtolis omnibus parem poteſtatem tribuat poſt reſurrectionem; Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio prædi-ti honoris, & poteſtatis... *Hinc & omnes Apoſtoli a Patribus, imo ab Eccleſia Vicarii Chriſti appellantur.*

Alibi (*ib.* §. 4. *n.* 2.) in hanc rem affert, quæ narrat S. Lucas Act. 8. 14. nempe Petrum miſſum eſſe ab Apoſtolis Samariam, atque inde colligit non modo æqualem cæteris Apoſtolis fuiſſe Petrum, ſed etiam eorum collegio ſubditum.

Affert etiam (*ib.* §. 5.) ea Chriſti verba Matth. 23. *Nolite vocari Rabbi, unus enim eſt magiſter veſter; omnes autem vos fratres eſtis.* Alia, quæ tum ibi, tum alibi habet Febronius, opportuniori loco expendentur. Interea quæ relata ſunt, paucis refellam; ſunt enim a noſtris ſæpe perſpicue refutata.

II. Duplicem nos diſtinguimus collatam Apoſtolis poteſtatem; alteram Apoſtolatui *eſſentialem*, & *intrinſecam*, ſic enim vocant; alteram *accidentalem*, & *extrinſecam*. Prior eſt poteſtas evulgandi ubique terrarum Evangelium, Sacramenta conficiendi, & adminiſtrandi, Epiſcopos, alioſque inferiores Miniſtros conſecrandi, Spiritum Sanctum dandi, Eccleſias fundandi &c. Poſterior eſt poteſtas Fidelibus præſidendi, eoſque regendi, in officio continendi, errantes corrigendi, uno verbo, in unitate continendi, & Schiſmata avertendi. Jamvero priorem poteſtatem æqualem Apoſtolis omnibus a Chriſto collatam eſſe, nos quoque libenter fatemur; idque colligitur ex iis Chriſti verbis (*Matth.* 18.): *Quæcumque ligaveritis ſuper terram &c. Euntes docete omnes Gentes &c.* Poſteriorem vero poteſtatem æqualem omnibus Apoſtolis datam eſſe, negamus; idque ex iis, quæ a me ſuperius allata ſunt, Scripturæ teſtimoniis (*Matth.* 16. & *Jo.* 21.) manifeſtum eſſe, arbitror. Utriuſque vero poteſtatis diſtinctionem, & inæqualitatem non marte noſtro confingimus, ſed ex Scripturis (*Matth.* 16. & *Jo.* 21.), & ex Patribus diſcimus. Nam Ss. Patres Petrum ſæpe Apoſtolorum *Summum*, *Caput*, *Principem*, *Coriphæum* vocant: eum Apoſtolis omnibus prælatum, claves illi datas, & oves omnes commiſſas eſſe, docent. Egregie rem hanc explicat S. Leo M. (*epiſt.* 12. *al.* 84.) his verbis: *Inter Beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cum omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt, ut cæteris præemineret.* Si autem *in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis*, non æqualis profecto pote-

poteſtas Apoſtolis omnibus data eſt, ſed major Petro, quam cæteris. Petro enim datum eſt, ut cæteris præemineret, non honore Apoſtolatus; cum fuerit inter omnes *honoris ſimilitudo, & par electio*; ſed poteſtate; non enim fuit inter omnes poteſtatis æqualitas, ſed *diſcretio*. Honoris autem ſimilitudinem, & parem omnium electionem conſequitur æqualis poteſtas Apoſtolatui *eſſentialis*: ergo diſcretio eſt poteſtatis *accidentalis*. Rurſus, quemadmodum Origeni, & Paſchaſio Ratberto ſuperius (*cap.* 1. *n.* 3. *not.* 2.) memoratis notatum eſt, *Poteſtas ſolvendi, & ligandi* (quæ Apoſtolis Matth. 18. data eſt iis verbis: quæcumque ligaveritis &c.) *videtur eadem, qua Petro ſupra* (Matth. 16.) *data eſt; ſed non eſt ita per omnia .... quia Petro datæ Claves non unius Cœli, ſed Claves regni Cœlorum*. Claves autem juriſdictionem ſignificant. Non ergo æqualis juriſdictio Apoſtolis data eſt.

III. Ad S. Cyprianum quod attinet, en integrum ejus teſtimonium ex editionibus Pauli Manutii, & Pamelii ad vetuſtiſſimorum Codicum fidem adornatis: *Loquitur Dominus ad Petrum: ego dico tibi, quia tu es Petrus &c. Et iterum eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oves meas. Super illum unum ædificat Eccleſiam, & illi paſcendas mandat oves ſuas. Et quamvis Apoſtolis poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat: ſicut miſit me Pater &c. tamen ut unitatem manifeſtaret, unam Cathedram conſtituit, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris, & poteſtatis; ſed exordium ab unitate proficiſcitur, & Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtretur. Et Paſtores ſunt omnes, & grex unus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus unanimi conſenſione paſcatur, ut Eccleſia Chriſti una monſtretur .... Qui Cathedram Petri, ſuper quem fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?* Quod ſi cum Fello, & Balutio, quamquam immerito, expungi velis verba: *unam Cathedram conſtituit*, & pronomen *illum*; nec non: *Et Primatus Petro datur, ut Eccleſia Chriſti una, & Cathedra una monſtretur*; reliqua tamen, quæ illi veluti genuina agnoſcunt S. Cypriani verba, Petri Primatum, ſummamque ejus poteſtatem evincunt. Nonne enim S. Cypriani ſententiâ Chriſtus ſoli Petro dixit: *Tu es Petrus &c. paſce oves meas?* Nonne Chriſtus *ſuper unum ædificat Eccleſiam: & quamvis Apoſtolis omnibus parem poteſtatem tribuat, tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit?* Unus vero ille quinam eſt, niſi Petrus? Si autem unitatis origo non ab Andrea, aut a Johanne, aut ab Apoſtolorum alio, ſed a Petro incipit; Petrus aliis Apoſtolis prælatus eſt; eique major, quam cæteris Apoſtolis poteſtas data eſt. Par igitur Apoſtolis omnibus tributa eſt a Chriſto po-

Digitized by Google

ſto poteſtas Apoſtolatui *eſſentialis*, impar poteſtas *accidentalis*. Idque ex ipſa inſtituendi Primatus cauſa neceſſario conſequi, inferius datâ operâ oſtendam.

IV. Nunc reliqua Febronii argumenta paucis expediam. Quod narrat S. Lucas, non modo juriſdictionis Primatum Petro datum non evertit, ſed imo confirmat. Cum enim ait Chriſtus: *Qui major eſt inter vos, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator*, indicat profecto, inter Apoſtolos majorem aliquem, & præceſſorem, imo ducem, & Principem eſſe. Ubi enim habet latina verſio *præceßor*, habet græcus textus ὁ ἡγούμενος, ideſt *Dux*, *Princeps*. Quinam autem Apoſtolorum Dux, & Princeps erat, niſi Petrus? Non igitur vetat Chriſtus Apoſtolorum quemquam cæteris auctoritate præcellere, ſed vetat eum, qui auctoritate præcellit, primatum ſuum cum faſtu, atque exteriori apparatu Regum inſtar exercere. Reſponſum hoc Febronio non probatur, ſed ex ſacro textu eſt perſpicuum. Chriſtus enim vult, ut *qui præceßor eſt, fiat ſicut miniſtrator*; ejuſque rei hanc affert cauſam, quod ipſe inter eos verſetur ut miniſter: *Ego autem*, inquit, *in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat*. Hinc autem non conficitur, Chriſtum non fuiſſe Apoſtolorum Caput, Dominum, & Magiſtrum, iiſque non ſumma auctoritate præcelluiſſe: ergo neque ex eo quod velit, Apoſtolorum *præceſſorem* fieri ſicut *qui miniſtrat*, confici poteſt, hunc non eſſe aliorum Caput, & Principem, iiſque auctoritate non præcellere. Vult ergo Chriſtus, ut qui *præceſſor* eſt, fiat ſicut *miniſtrator* humilitate, manſuetudine, & ſingulari erga omnes charitate, non vero ut Regum inſtar cum faſtu, & pro libidine dominetur.

V. Apoſtolus ad Galatas ſcribit, ſibi *creditum eſſe Evangelium præputii, ſicut & Petro Circumciſionis*, & ſe *reſtitiße in faciem Cephæ*. Sed neutrum horum indicat æqualem Paulo, atque Petro auctoritatem datam eſſe. Primum enim indicat tantum, Paulo Evangelii inter Gentes promulgandi curam commiſſam eſſe, ſicuti ejus inter Judæos evulgandi cura Petro commiſſa erat. Quamquam & Petrus Gentibus, & Paulus Judæis Evangelium promulgavit; imo etiam Gentes eſſe ad Evangelii Fidem vocandas, Petro primum revelatum eſt (*Act.* 10. & 11.). De altero, quod ait Apoſtolus, audi Auguſtinum, qui (*epiſt.* 19. *ad Hieronymum*): *Rarius*, inquit, *& Sanctius exemplum Petrus poſteris tribuit, quo non dedignarentur a poſterioribus corrigi, quam Paulus; quo confidenter auderent minores majoribus pro defendenda veritate, ſalva charitate, reſiſtere*. Reſtitit igitur Paulus Petro, ſed ut minor majori.

VI. Quod Apoſtoli Petrum, & Johannem Samariam miſerint, argumento non eſt, Petrum Apoſtolis ſubditum fuiſſe. Nam etiam

fideles,

Digitized by Google

fideles, qui erant Antiochiæ, *ſtatuerunt* (act. 15. 12.), *ut aſcenderent Paulus, & Barnabas, & quidem alii ex aliis ad Apoſtolos, & Presbyteros in Jeruſalem;* nec tamen inde collegeris, Paulum, & Barnabam Antiochenis fidelibus ſubditos fuiſſe; niſi forte & Petrum ab Apoſtolis Samariam, & Paulum, & Barnabam ab Antiochenis Jeroſolymam non conſilio, ſed imperio, & auctoritate miſſos fuiſſe, demonſtraveris. Itaque cum de maximi momenti re ageretur; periculum nempe eſſet, ne Samaritani, qui paulo ante fidem amplexi erant, a Simone Mago vaferrimo homine deciperentur, atque a fide averterentur, opus eſſe exiſtimarunt Apoſtoli, ut ipſorum præcipui Petrus, & Johannes Samariam pergerent, atque Samaritanos in fide confirmarent.

VII. Chriſtum *Matth.* 22. 8. vetare Apoſtolos Magiſtrorum, & Patrum nomina, Phariſæorum in morem ambitu quærere, & oſtentare, non opus eſt, ut pluribus oſtendam. Si enim quamlibet modeſtam Magiſtri, & Patris appellationem improbaſſet Chriſtus, non ſcripſiſſet Apoſtolus (1. *Tim.* 27.), ſe *poſitum eſſe Prædicatorem, & Apoſtolum Doctorem Gentium*, & (*Eph.* 3. 15.), ex Deo Patre *omnem paternitatem in Cælo, & in terra nominari*. Eſt igitur unus Pater Deus, & unus Magiſter Chriſtus *κατ' ἐξοχήν*, *per excellentiam;* ſed ſunt tamen alii inferiores Patres, ac Magiſtri; quorum Petrus non modo honore, ſed etiam juriſdictione ſummus eſt; uti hactenus demonſtratum eſt.

PARS SECUNDA.

De Primatu Romani Pontificis.

CAPUT I.

Romanus Pontifex in B. Petri Primatum ſuccedit; nec ulla humana auctoritate Primatus a Romana Sede ad aliam transferri poteſt.

I. Romanum Pontificem in B. Petri Primatum ſuccedere, non eſt, cur pluribus oſtendam. Nam & Febronius, & alii Romano Pontifici cætera infenſi Catholici id fatentur. Sed putat Febronius (*cap.* 2. §. 3.), *per rationes convenientiæ, humana auctoritate Romanæ Urbis Antiſtiti Sacrum Primatum creditum fuiſſe; ideoque ex rationabilibus motivis, auctoritate Eccleſiæ eumdem ad alium Epiſcopum, e. g. Mediolanenſem, Pariſienſem &c. transferri poſſe.* Hæc autem ex atra bile, & ex capitali in Romanum Pontificem odio ſcripſiſſe Febronium, nemo non intelligit. Quamvis enim S. Petrus quamcumque ſibi Sedem eligere, eique Primatus ſucceſſionem affigere forte potuerit, quamobrem Primatus humana auctoritate, ſeu Petri voluntate Romanæ Sedi affixus eſſe, dici poteſt; cum tamen Petrus Romanam Sedem elegerit, eique Primatus ſucceſſionem affixerit; quiſnam hujuſmodi ſucceſſionem a Romana Sede ad aliam transferri poſſe, dixerit?

II. Quid vero, quod Chriſti ipſius auctoritate, Eccleſiæ Primatus Romanæ Sedi affixus eſt? Ut enim prætermittam celebrem S. Ambroſii narrationem (*lib. contra Auxentium*) a Baſnagio quidem impugnatam, ſed a Cll. Viris Fogginio (*de Rom. divi Petri itinere exercit.* 17.), & Mazzochio (*Kalend. Neap.*) egregie vindicatam, nempe Petro perſecutionis metu Roma diſcedenti occurriſſe Chriſtum, atque interroganti, quo iret? reſpondiſſe, ſe *ire iterum crucifigi*; eoque reſponſo permotum Petrum Romam rediiſſe, ibique pro Chriſti Fide Cruci affixum fuiſſe: Romanam Sedem Chriſti ipſius auctoritate cæteris prælatam eſſe, affirmant Leo M. (*ſerm.* 82. *al.* 80. & *epiſt.* 120. *al.* 93.), Gelaſius Papa in Concilio Romano (*tom.* 8. *Concil. edit. Manſ.*), & Concilium Lateranenſe III. (*cap.* 5.). *Romanam Sedem*, inquit Leo, *cæteris omnium Dominus ſtatuit præſidere. S. Romana Eccleſia*, ait Gelaſius, *nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis prælata eſt, ſed evangelica voce Domini, & Salvatoris Noſtri Primatum*

obtinuit.

obtinuit. Concilium Lateranenſe ait: Romana Eccleſia *diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet Principatum*. Præterea ſi perſuaſum Eccleſia habuiſſet, Primatum a Romana Sede ad aliam transferri poſſe, quidni transferendum curaſſent tot potentiſſimi Imperatores, & Reges Romani Pontificis hoſtes infenſiſſimi: & Epiſcopi præſertim Conſtantinopolitani, qui Imperatorum gratiâ freti cum Romanis Pontificibus ſæpe contendere auſi ſunt? Sed bene eſt, quod eam rem ne cogitaverint quidem. Idque argumento eſt, perpetuam eam fuiſſe Catholicæ Eccleſiæ perſuaſionem, non humana, ſed plane divina auctoritate, Sacrum Primatum Romanæ Sedi adnexum fuiſſe. Sed e re Febronii erat, Epiſcopis adulari, eoſque ſpe conſequendi aliquando Primatus in Romanum Pontificem commovere.

III. Denique perpetua, & conſtans Eccleſiæ Traditio eſt, Eccleſiam Romanam eſſe unitatis Catholicæ centrum, fontem, & originem, ita ut qui cum Romana Eccleſia communione conjuncti non fuerunt, extra Eccleſiam eſſe, ſemper crediti fuerint. Hanc in rem Conciliorum, & Patrum teſtimonia congerere opus non eſt. Ea enim is tantum ignorare poteſt, qui Patrum opera, & Conciliorum Acta nunquam legerit. Ponamus nunc, Eccleſiæ Primatum ad alium Epiſcopum, e. g. Mediolanenſem, aut Pariſienſem transferri. Primo qui vera eſset perpetua Eccleſiæ Traditio, Romanam Eccleſiam obtinere Primatum, & eſſe *Eccleſiam Principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt*, ut ait S. Cyprianus (*epiſt. 59.*)? 2. Romana Eccleſia eſſet ne adhuc Petri Cathedra, & Romanus Pontifex Petri Succeſſor? Eſset procul dubio: Neque enim fieri poteſt, ne Petrus Eccleſiam Romanam fundaverit, & ad obitum uſque adminiſtraverit, neve Romanus Epiſcopus in Petri Epiſcopatum ſuccedat. Igitur translato etiam ad Pariſienſem Epiſcopum Primatu, Romani quidem cum ſuo tantum Epiſcopo communionem ſervarent, & Pariſienſem Epiſcopum quantalibet auctoritate inſignitum contemnerent, tantique facerent, quanti Photium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, qui primatum impudentiſſime ſibi arrogavit. Divina, & Apoſtolica traditione edocti, dicerent cum S. Cypriano, Romanam Eccleſiam eſſe *Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt*: Cum S. Irenæo (*lib. 3. adv. hær. cap. 3.*), ad Eccleſiam Romanam *propter potiorem principalitatem, omnem neceſſe eſſe convenire Eccleſiam, hoc eſt eos, qui ſunt undique, Fideles*: cum S. Optato Milevitano (*lib. 7. adver. Parmen. cap. 3.*), *in Urbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus, unde & Cephas appellatus eſt, in qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, ut jam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram, alteram collocaret*.

Hæc

Hæc Romani dicerent; ac deinde eorum quilibet his Beati Hieronymi verbis (*epiſt. 57. ad Damaſum*) Epiſcopum ſuum alloqueretur: *Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri, communione conſocior: Super illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt... Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.*

Præterea Romanorum Epiſcoporum a Petro continenti ſerie ſibi ſuccedentium catalogum contexerent, eumque cum Irenæo, Euſebio, Epiphanio, Optato, Auguſtino recens conſtituto Eccleſiæ Principi, ejuſque Sectatoribus objicerent, dicerentque cum Auguſtino (*in pſal. contra part. Donati, & ep. 53. al. 165.*): *Numerate Sacerdotes vel ab ipſa Petri Sede, & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſit, videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ:* Et cum Optato (*lib. 2. contra Parmen.*): *Vos veſtræ Cathedræ originem reddite, qui vobis vultis Sanctam Eccleſiam vindicare.* Paucis, Romani recentioris Principis aſſeclas iis omnibus argumentis impugnarent, quibus Catholici omnes Proteſtantes ſaltem ſchiſmaticos eſſe, demonſtrant. Quid vero cum Febronio reſponderent illi? Nempe Eccleſiæ, cui claves immediate datæ ſunt, auctoritate Sacrum Primatum a Romana Sede ad aliam translatum eſſe. Sed Eccleſiam, quæ novo Præſidi pareret, ſchiſmaticam eſſe, nec eam, cui Chriſtus claves dedit, iiſdem argumentis conficerent; adderentque, etiam Hæreticos, & Schiſmaticos tum veteres, cum recentiores Sanctam Eccleſiam ſibi vindicaſſe, ſed a Ss. Patribus vel eo uno argumento, quod cum Romana Eccleſia communione conjuncti non eſſent, refutatos eſſe. Quare id unum Febronio, aliiſque cum eo novi Præſidis Sectatoribus reliquum eſſet, ut Donatiſtarum inſtar, Eccleſiam in Petri Sede periiſſe, vixque apud ſe, ſicuti olim in Secta Donati, ſuperſtitem eſſe dictitarent. Sed eſt forte, qui me redarguat, quod deliri hominis ſomnia ſerio refutanda ſuſceperim.

CAPUT II.

Primatus R. Pontificis auctoritatis, & juriſdictionis Primatus eſt.

AC primo quidem Romanus Pontifex in B. Petri Primatum ſuccedit (*ex cap. ſuper.*): Petrus autem primatum juriſdictionis a Chriſto obtinuit (*ex 1. p.*): ergo & Romanus Pontifex obtinet in Eccleſia primatum juriſdictionis.

Deinde

Deinde eam ob cauſam primatus a Chriſto inſtitutus eſt, ut unitas in Eccleſia ſervetur, uti Patres omnes docent, & Febronius ipſe aſserit. S. Hieronymus (*lib. 1. contr. Jovin.*): *Propterea*, inquit, *inter duodecim unus eligitur, ut Capite conſtituto, Schiſmatis tollatur occaſio*. *Ut unitatem manifeſtaret*, ait S. Cyprianus (*lib. de unit. Eccl.*), *unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit*. Qui ergo Primatum obtinet, ei quoque ſervandæ unitatis cura a Chriſto commiſsa eſt. Primatum autem obtinet R. Pontifex: ſervandæ ergo unitatis cura R. Pontifici a Chriſto commiſsa eſt. Niſi autem auctoritatem, & juriſdictionem in omnem Eccleſiam, & in ſingulos fideles obtinet, munere ſibi credito fungi nequit: ut enim ait S. Hieronymus (*dial. contra Lucif. n. 9.*): *Eccleſiæ ſalus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quædam, & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes*. Romanus igitur Pontifex primatum obtinet poteſtatis, & juriſdictionis in omnem Eccleſiam.

Et Patres quidem primatum Romani Pontificis *Principatum* plerique vocant, Irenæus (*lib. 3. cap. 3.*) *potiorem*, vel *potentiorem principalitatem*, Zoſimus (*epiſt. ad Aurelium Carthag.*) *potentiam*, & *poteſtatem*, Leo Magnus (*epiſt. ad Anaſtaſium Theſſalon.*) *plenitudinem poteſtatis*: quæ quidem Primatum juriſdictionis ſignificant.

Febronius ipſe (*cap. 2. §. 6. & 7.*) affirmat, *ea, quæ ad Eccleſiæ ſtatum attinent, ubivis gerantur, ad R. Pontificem eſſe referenda, ut is ſollicitudinem ſuo miniſterio convenientem expleat: eſſe eum tutorem, & vindicem Canonum per univerſam Eccleſiam*. Qua autem ratione, quæro ego, ſollicitudinem ſuo miniſterio convenientem explere, atque canones tueri, & vindicare debet? Monendo, reſpondet Febronius, cohortando. Egregie quidem. Si vero monita, & cohortationes inutiles ſint? Niſi cogendi quoque inobſequentes, & puniendi auctoritate pollet, fruſtra ea, quæ ad Eccleſiæ ſtatum attinent, ad eum referuntur, atque inutilis illi vindicandorum canonum per univerſam Eccleſiam cura commiſſa eſt. Has autem conſecutiones non probat Febronius: fateatur igitur neceſſe eſt, Primatum R. Pontificis auctoritatis, & juriſdictionis primatum eſſe.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT III.

S. Cyprianus agnovit in R. Pontifice Primatum juriſdi-ctionis. Quæ Febronius opponit, refutantur.

I. SAnctus Cyprianus de Schiſmate, quod in Eccleſia Romana fecerat Novatianus, certior factus, Romam miſit Caldonium, & Fortunatum Epiſcopos, qui *eniterentur, quantum poſſent, & elaborarent, ut ad Catholicæ Eccleſiæ unitatem ſciſſi corporis membra componerent. Sed quoniam*, inquit (epiſt. 42. ad Cornelium Papam), *diverſæ partis obſtinata, & inflexibilis pertinacia non tantum radicis, & matris ſinum, atque complexum recuſavit, ſed etiam recrudeſcente in pejus diſcordia, Epiſcopum ſibi conſtituit, & contra Sacramentum ſemel traditum divinæ diſpoſitionis, & Catholicæ unitatis, adulterum, & contrarium Caput extra Eccleſiam fecit, acceptis literis tam tuis, quam collegarum noſtrorum ... literas noſtras ad te direximus*. Et rurſum (epiſt. 45. ad eumdem): *Nos enim*, inquit, *ſingulis navigantibus, ne cum ſcandalo ullo navigarent, rationem reddentes, ſcimus nos hortatos eos eſſe, ut Eccleſiæ Catholicæ radicem, & matricem agnoſcerent, ac tenerent .... placuit, ut .... per omnes omnino iſtic poſitos literæ fierent, ſicut fiunt, ut te univerſi Collegæ noſtri, & communicationem tuam, ideſt Catholicæ Eccleſiæ unitatem probarent firmiter, ac tenerent*. His autem locis radicem, & matricem vocat S. Cyprianus non *unitatem Catholicam*, ut comminiſcitur Febronius (*cap. 3. §. 6. n. 3.*), ſed peculiarem Eccleſiam Romanam, ex qua veluti ex radice, & matrice Catholica unitas originem habet. Alibi enim (*epiſt. 4.*) loquens de Feliciſſimo, aliiſque Presbyteris, qui in Africa abdicati Romam confugerunt: *Poſt iſta*, inquit, *adhuc inſuper Pſeudo-Epiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt*. Radix igitur, & matrix unitatis Catholicæ eſt Petri Cathedra; ex ea enim unitas orta eſt. Si autem Petri Cathedram ut unitatis radicem, & matricem agnovit S. Cyprianus, juriſdictionis quoque Primatum in Romano Pontifice faſſus eſt; Hujuſmodi enim juriſdictionis Primatus ex ea Romanæ Cathedræ prærogativa, quod ſit unitatis origo, & centrum, neceſſario fluit, uti ſuperius (*cap. 2.*) oſtendi.

II. Deinde ſcribit S. Cyprianus (*epiſt. 52.*), S. Cornelium *ſediſſe intrepidum Romæ in Sacerdotali Cathedra eo tempore, cum Tyrannus infeſtus Sacerdotibus Dei fanda, atque infanda comminaretur: cum multo patientius, & tolerabilius audiret, levari adverſus ſe æmulum Principem*

cipem, quam conſtitui Romæ æmulum Sacerdotem. Corneſium autem Imperatoris æmulum Sacerdotem non vocaſſet Cyprianus, niſi Cornelius Primatum non modo honoris, ſed etiam auctoritatis in univerſa Eccleſia, non ſecus atque Imperator in toto orbe, obtinuiſſet.

III. Præterea cum Marcianum Arelatenſem ad Novatianos defeciſſe, cognoviſſet S. Cyprianus, ſcripſit ad S. Stephanum Papam (*ep.* 67.), ut is ſuis literis Marcianum removeret. *Dirigantur*, inquit, *a te literæ in Provinciam, & ad Plebem Arelate conſiſtentem, quibus abſtento Marciano, alius in locum ejus ſubſtituatur.... Servandus eſt enim Anteceſſorum noſtrorum Beatorum Cornelii, & Lucii Martyrum bonor glorioſus, quorum memoriam cum honoremus, multo magis tu, Frater chariſſime, honorificare, & ſervare gravitate, & auctoritate tua debes, qui Vicarius eorum, & Succeſſor factus es. Illi enim.... dandam eſſe lapſis pacem, cenſuerunt, & pœnitentia acta, fructum communicationis, & pacis negandum non eſſe, literis ſuis ſignaverunt; quam rem omnes omnino ubique cenſuimus... Significabis plane nobis, quis in locum Marciani Arelate fuerit conſtitutus, ut ſciamus, ad quem fratres noſtros dirigere, & cui ſcribere debeamus*. Porro his in literis indicat S. Cyprianus, Marcianum Arelatenſem Stephani literis abdicandum fuiſſe: agnovit igitur S. Cyprianus in Stephano Epiſcopi Arelatenſis abdicandi auctoritatem. Marciani vero abdicandi eam eſſe ait juſtiſſimam cauſam, quod Cornelius, & Lucius Romani Pontifices, dandam eſſe pacem lapſis pœnitentia functis, literis ſuis ſignaſſent; quam rem omnes ubique Epiſcopi cenſuerunt. Agnovit igitur in Romano Pontifice auctoritatem decreta ubique ſervanda edendi. Igitur agnovit in R. Pontifice Primatum auctoritatis, & juriſdictionis. Addit quidem S. Cyprianus: *Cui rei noſtrum eſt conſulere, Frater chariſſime, qui divinam Clementiam cogitantes, & gubernandæ Eccleſiæ libram tenentes &c.* Sed his verbis ſignificat dumtaxat curam, charitatem, & ſollicitudinem ſibi eſſe cum Stephano communem, ſed non item auctoritatem; alioquin non ad Stephanum ſcripſiſſet, ut Marcianum abſtineret, ſed aut ipſe ea de re ad Plebem Arelatenſem ſcripſiſſet, aut id curæ Lugdunenſi, aut alii Galliarum Epiſcopo demandaſſet.

IV. Denique cum Baſilides Aſturicæ in Hiſpania Epiſcopus ab Epiſcopis provinciæ in Synodum congregatis, ob Idololatriæ crimen Epiſcopatu privatus fuiſſet, Stephanum R. P. appellavit, a quo in Epiſcopatum reſtitutus eſt. Id ægre ferentes Hiſpaniarum Epiſcopi S. Cypriano, aliiſque Africanis Epiſcopis ſcripſerunt, *deſiderantes, juſtam pariter, & neceſſariam ſuam ſollicitudinem vel ſolatio, vel auxilio ſententiæ ipſorum ſublevari*. Porro S. Cyprianus Stephani judicium improbavit, non quod eum Baſilidis reſtituendi auctoritate caruiſſe,

 arbitra-

arbitratus ſit, ſed quod Baſilides eum deceperit. *Nec reſcindere*, inquit, (*ep.* 68.) *ordinationem* (Sabini Baſilidi ſuffecti) *jure perfectam poteſt, quod Baſilides poſt crimina ſua detecta, & conſcientiam etiam propria confeſſione nudatam, Romam pergens, Stephanum Collegam noſtrum longe poſitum, & geſtæ rei, ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, ut exambiret, reponi ſe injuſte in Epiſcopatum, de quo fuerat juſte depoſitus. Hoc eo pertinet, ut Baſilidis non tam abolita ſint, quam cumulata delicta, ut ad ſuperiora peccata ejus etiam fallaciæ, & circumventionis crimen acceſſerit. Neque enim tam culpandus eſt ille, cui negligenter obreptum eſt, quam hic execrandus, qui fraudulenter obrepſit.* Baſilidem igitur ab Hiſpanis Epiſcopis damnatum appellare potuiſſe Stephanum, ejuſque auctoritate, ſi inique damnatus fuiſſet, potuiſſe in Epiſcopatum reſtitui, exiſtimavit S. Cyprianus. Hinc vero perſpicuum fit, agnoviſſe S. Cyprianum in Romano Pontifice Primatum non modo honoris, ſed etiam juriſdictionis.

V. At vero Febronius (*cap.* 2. §. 11. *n.* 1.) id negat. Nam S. Cyprianus in III. Synodo Carthaginenſi his verbis S. Stephanum Papam perſtrinxit: = Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem Collegas ſuos adigit, quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis, & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tamquam judicari ab alio non poſſit, cum nec ipſe poſſit alterum judicare =. Jam vero *qui bona fide*, inquit Febronius, *contulerit inter ſe, quæ in hac controverſia de baptiſmo hæreticorum Stephanum inter, & Cyprianum acta ſunt, animadvertet facile, S. Cyprianum, licet alias Primatum Romani Pontificis probe recognoverit, verum imperium, & externam coactionem ab eo excluſiſſe. Talem ſcilicet hic S. Martyr præter propter fatebatur Principatum Summi Pontificis in univerſali Eccleſia, qualem Cyprianus gerebat in Africa.*

Alibi vero in hanc controverſiam plura congerit (*cap.* 6. §. 9.), quæ huc fere redeunt. *In hac concertatione tribus munitus præſidiis incedebat R. Pontifex, ſcilicet auctoritate primæ ſuæ Sedis, numeri Epiſcoporum ſibi adhærentium, & Traditione.* Jamvero non quidem Primatum, *ſed exceſſivam Stephani prætenſionem, aut ſaltem ſequelam ab illo ex Petri Succeſſione, & Primatu ductam perſtrinxit*, (verbis habitis in III. Synodo Carthaginenſi), *& pernegavit cum Africanis Patribus Cyprianus. Traditionem negabat, aut ſaltem non legitimam cum ſuis Cyprianus contendebat. Epiſcoporum per Orbem diſperſorum turbam contra numerum reſpective tam modicum, neque Auguſtinus, neque Cyprianus putarunt citra generale Concilium conſtituere regulam firmam credendi, agendique.* Addit (*ib. n.* 1.): *De eo diſceptatur inter Patronos Curiæ Romanæ, & horum Contradictores, an ea quæſtio dogmatica,*

tica fuerit, an diſciplinaris. Et ipſe quidem dogmaticam fuiſſe contendit; Sed concludit (*n. 3.*): *Sicuti Cypriani, & Africanorum factum contradicit infallibilitati R. Pontificis, ſi præceptum Stephani dogmaticum fuit, ita repugnat Monarchiæ*, ſeu Primatui juriſdictionis, *ſi reputetur pro diſciplinari*.

VI. Verum ex iis, quæ a me ſuperius allata ſunt, perſpicuum eſſe, puto, S. Cyprianum ante exortam de hæreticorum baptiſmo controverſiam agnoviſſe in R. Pontifice etiam *verum imperium, & externam coactionem*. Nam Petri Cathedra, Cypriani ſententiâ, eſt unitatis fons, & origo, quam ſummum in Eccleſia imperium, & univerſalis juriſdictio conſequitur (*ex cap. 2.*), Arelatenſis Epiſcopi abdicandi, Aſturicenſis reſtituendi auctoritate Romanum Pontificem Stephanum præditum fuiſſe, Cyprianus faſſus eſt: Id autem abſque *vero imperio*, externaque coactione fieri a Stephano non potuiſſe, nemo non intelligit. Ergo verum quoque imperium, & externam coactionem in Pontifice eſſe, putavit.

VII. Ad celebrem vero de hæreticorum baptiſmo controverſiam quod attinet, neminem latet, S. Cyprianum erraſſe, & S. Stephanum pro veteri Catholicæ Eccleſiæ Traditione pugnaſſe. De ea controverſia Vincentius Lirinenſis (*common. 1. cap. 5.*): *Tunc*, inquit, *Beatæ memoriæ Stephanus Apoſtolicæ Sedis Pontifex cum cæteris collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitit; dignum, ut opinor, exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate ſuperabat.*

Diſceptatur quidem inter eruditos Viros, dogmatis ne fuerit, an diſciplinæ iſtiuſmodi quæſtio; ſed eam primum diſciplinæ quæſtionem fuiſſe, præter pleroſque Theologos, quos *Curiæ Romanæ Patronos* Febronio appellare libet, ſentiunt Natalis Alexander (*ſæc. 3. diſſ. 12. art. 4.*), Auctor diſſertationis de eadem quæſtione editæ Pariſiis anno 1724. Couſtantius (*tom. 1. epiſt. Rom. PP.*), Tournely (*de Sacram. in gen. q. 6. art. 2.*), qui profecto Romanæ Curiæ Patroni non ſunt. Neque tamen id rei ego nunc agam; quoniam & Noſtrates Theologi de ea abunde ſatis diſſerunt, & cujuſvis demum generis ea quæſtio fuerit, ad rem noſtram, niſi fallor, perinde eſt.

Itaque S. Cyprianus, inquit Febronius, S. Stephanum perſtrinxit: Traditionem, qua Stephanus nitebatur, pernegavit: & magnum Epiſcoporum numerum Stephano adhærentium non putavit eſſe firmam regulam credendi, agendique.

Verum primo perſtrictum fuiſſe S. Stephanum a S. Cypriano verbis ſuperius deſcriptis, veluti rem certiſſimam ſtatuit quidem Febronius, ſed multo ego veroſimilius eſſe, arbitror, hujuſmodi verba ad Stephanum Papam nihil ſpectare, ſed ea tantum de cauſa a Cypriano prolata eſſe, ut Epiſcopi, qui Carthaginem ad Synodum venerant, audacter, & libere ſuam ſententiam dicerent, quemadmo-

Digitized by Google

admodum ſenſit etiam, præter alios eruditos Viros, Natalis Alexander (*in h. e. ſæc.* 1. *diſſ.* 4. §. 4.), & egregie oſtendit Auctor diſſertationis de Controverſia inter S. Stephanum, & S. Cyprianum editæ Pariſiis anno 1724.

Deinde eſto ita, ut vult Febronius. Unam tantum, & alteram rem ego quæro. Erravit ne Cyprianus, ita ſentiendo? Liber ne a culpa fuit, Stephanum perſtringendo? Si enim erravit Cyprianus, quod ſenſerit, Romani Pontificis decretum traditione, & totius fere Orbis Epiſcoporum conſenſione ſuffultum, non eſſe firmam credendi, agendique regulam; & præterea ſi a culpa liber non fuit, quod in Stephanum invectus ſit, ejuſque auctoritatem contempſerit, fruſtra concludit Febronius, *Factum Cypriani repugnare Pontificis aut infallibilitati, aut Primatui juriſdictionis*. Erravit autem S. Cyprianus non modo quod ſenſerit, Baptiſmum ab Hæreticis datum, eſſe innovandum, ſed etiam quod putaverit, decretum Pontificis veteri conſuetudine, & majoris Epiſcoporum partis conſenſu firmatum, non eſſe firmam credendi, agendique regulam. Nam S. Auguſtinus perſuaſum habuit, quamvis nullo certo monumento conſtaret, S. Cyprianum ſuam ſententiam correxiſſe: *Correxiſſe autem*, inquit (*epiſt.* 93. *al.* 48. *cap.* 10.), *iſtam ſententiam non invenitur. Non incongruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt, quod correxerit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt*. Alibi (*lib.* 2. *de Bapt. contra Donat. cap.* 4.) ait: *Et fortaſſe factum eſt*, ut ſententiam ſuam deſeruerit, *ſed neſcimus. Neque enim omnia, quæ illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memoriæ, literiſque mandari potuerunt, aut omnia, quæ mandata ſunt, novimus*. Correxit igitur ſententiam ſuam S. Cyprianus, ſaltem S. Auguſtini opinione. At vero S. Cyprianus ſuam ſententiam non correxit, quod argumenta, quibus pro ea depugnabat, falſa eſſe, illi demonſtratum fuerit. Hujuſmodi enim argumentis, quæ plurima ex Scripturis, & ex ratione ducebat, nonniſi Eccleſiæ conſuetudinem, & Traditionem oppoſuit S. Stephanus, uti ſæpe affirmat S. Auguſtinus. Ergo ſententiam ſuam correxit S. Cyprianus S. Stephani, & conſentientium illi totius fere Orbis Epiſcoporum auctoritate permotus. Ergo in eo etiam erravit S. Cyprianus, quod Pontificis decretum Traditione, & plerorumque Epiſcoporum conſenſu firmatum, non putaverit eſſe firmam credendi, agendique regulam. Sed errorem hunc correxit: ergo Romani Pontificis auctoritatem tandem faſſus eſt, putavitque decretum ab eo editum, cui ſaltem magna Epiſcoporum pars adhæreret, firmam credendi, agendique regulam conſtituere.

Deinde vero a culpa immunis non fuit S. Cyprianus, quod Stephani

phani præceptum detrectaverit, eumque perſtrinxerit. Nam S. Auguſtinus (*lib. 5. de bapt. cap. 25.*): *Jam illa*, inquit, *quæ in Stephanum iratus effudit* Cyprianus, *retractare nolo, quia & non opus eſt. Eadem quippe ipſa dicuntur, quæ jam ſatis diſcuſſa ſunt.; & ea prætere melius eſt, quæ periculum pernicioſæ diſſenſionis habuerunt.* Rurſus (*lib. 3. de bapt. cap. 18.*) charitate, inquit, *multum viguit Cyprianus, ut alind de baptiſmo ſentiens, non tamen deſereret unitatem, & eſſet in vite Dominica radicatum ſarmentum, quod etiam ferro paſſionis purgaret cæleſtis agricola.* Denique (*lib. 9. cap. 18.*) ait: *Quod igitur vir ille Sanctus aliter de baptiſmo ſentiens, quam res ſe habebat ... & charitatis ubere compenſatum eſt, & paſſionis falce purgatum eſt.* Igitur S. Cyprianus, S. Auguſtini ſententiâ, quædam in Stephanum iratus effudit, quæ *retractanda* non ſunt, quæque periculum pernicioſæ diſſenſionis habuerunt: præterea ob ſuam agendi rationem fuit *Sarmentum paſſionis falce purgatum.* Ergo ob ſuam agendi rationem a culpa S. Cyprianus liber non fuit. Quod ſi Stephanum perſtringendo, ejuſque imperium detrectando peccavit S. Cyprianus, quid inde argumenti ducere poteſt Febronius contra Romani Pontificis jurisdictionem? His igitur ipſius Auguſtini verbis Donatiſtas alloquentis (*epiſt. 95. ad Vincentium*) Febronium, ejuſque aſſeclas compellare poſſumus: *Porro autem aut Cyprianus omnino non ſenſit, quod eum ſenſiſſe, recitatis; aut hoc poſtea correxit in regula veritatis: aut hunc quaſi nævum ſui candidiſſimi pectoris cooperuit ubere charitatis.*

VIII. Sed etiam Auguſtinus, ait Febronius, in eadem fuit cum Cypriano ſententia, Epiſcopos per Orbem diſperſos Pontifici adhærentes non conſtituere firmam credendi, agendique regulam: Nam: *Illis temporibus*, inquit Auguſtinus (*lib. de un. bapt. contra Petil. cap. 14.*), *antequam plenarii Concilii ſententia, quid hac de re ſequendum eſſet, totius Eccleſiæ conſenſio confirmaſſet, viſum eſt ei* (Cypriano) *cum ferme octoginta Coepiſcopis &c.* Quod nullatenus improbat Auguſtinus. Quod autem ad robur Pontificii decreti attinet, Cypriani ſententiam aperte ſequitur Auguſtinus lib. 2. de Bapt. cap. 4. *Neque nos tale aliquid auderemus aſſerere*, quale Stephanus juſſit, *niſi Eccleſiæ Catholicæ concordiſſima auctoritate firmati: Cui & ipſe* Cyprianus *ſine dubio cederet, ſi jam illo tempore veritas eliquata per plenarium Concilium ſolidaretur.*

IX. Sed ad primum quod attinet, verum quidem eſt, quod ait S. Auguſtinus, *illis temporibus viſum eſſe Cypriano &c.* ſed falſum eſt, quod ait Febronius, *Auguſtinum hoc nullatenus improbare.* Cur enim Auguſtinus putat, correxiſſe Cyprianum ſuam ſententiam, doletque, deſiderari eorum temporum monumenta, quibus id evincat? Cur Cyprianum vocat *ſarmentum paſſionis falce purgatum?* Cur quod Cyprianus

prianus ſenſit, & egit, *ubere charitatis compenſatum, & paſſionis falce purgatum eſſe*, dicit? Improbavit igitur Auguſtinus, quod Cypriano etiam ante plenarii Concilii ſententiam viſum fuit, idque tantum contendit, non tantæ culpæ reum fuiſſe Cyprianum, quantæ rei erant Donatiſtæ; cum ille, veritate nondum plene eliquata, erraverit; iſti vero etiam comperta veritate, totiuſque Eccleſiæ in Concilium coactæ conſenſione firmata, in eodem errore perſtiterint.

Cypriani autem ſententiam *quoad Pontificii decreti robur*, ſecutum eſſe Auguſtinum, non recte concludit Febronius ex citatis ejuſdem Auguſtini verbis. Primo enim cum Auguſtinus Culpæ Cypriano vertat, quod etiam ante plenarium Concilium Stephano veterem Traditionem aſſerenti reſtiterit, fatetur profecto, Cyprianum Stephano parere debuiſſe. Ergo Cypriani ſententiam quoad *Pontificii decreti robur* Auguſtinus ſecutus non eſt. Deinde decrevit quidem Stephanus, ut vetus Traditio ſervaretur, ſed ejus Traditionis fontes, & cauſas non quæſivit, & argumenta, quibus eam Cyprianus impugnabat, neglexit. Nihil enim aliud a Stephano decretum eſſe invenimus, niſi ut vetus traditio ſervaretur. Quamobrem Stephanus controverſiam definiiſſe, & veritatem in aperto poſuiſſe, dici non poterat. Id vero quod Stephanus prætermiſit, a Plenario concilio factum eſt. Ergo jure ait Auguſtinus, veritatem *per plenarium Concilium ſolidatam eſſe*. Sed fatetur tamen, interea temporis Stephani decretum ſervandum fuiſſe. Ergo in eadem cum Cypriano de Stephani decreto ſententia non fuit Auguſtinus.

Cum autem Auguſtinus ait: *Neque nos tale aliquid &c.* non Stephani decretum intendit, ut comminiſcitur Febronius, ſed argumentorum Cypriani refutationem, & perſpicuam controverſiæ definitionem. Nam ante citata verba, hæc habet: *Satis oſtendit* (Cyprianus), *facillime ſe correcturum fuiſſe ſententiam ſuam, ſiquis ei demonſtraret, baptiſmum Chriſti ſic dari poſſe ab eis, qui foras exierunt; quemadmodum amitti non potuit, cum foras exirent; unde multa jam diximus. Nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, niſi Eccleſiæ &c.* & ſtatim addit: *Si enim Petrum laudat, & prædicat ab uno poſteriore collega patienter, concorditerque correctum, quanto citius ipſe cum Concilio Provinciæ ſuæ univerſi orbis authoritate, patefacta veritate, ceſſiſſet, quia profecto & uni verum dicenti, & demonſtranti poſſet facillime conſentire tam Sancta anima, tam pacata, & fortaſſe factum eſt, ſed neſcimus.* Igitur verborum Auguſtini: *neque nos tale aliquid &c.* ſenſus eſt hujuſmodi: Nos non auderemus aſſerere, baptiſmum Chriſti ſic dari poſſe ab eis, qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit, cum foras exirent; neque id facile poſſemus demonſtrare, niſi veritas in plenario Concilio patefacta eſſet, in quo ea quæſtio primum diligenter

pertra-

Digitized by Google

pertractata eſt, & inveſtigati ſunt ejus Traditionis fontes; quod aſſerit Auguſtinus ib. cap. 7. *Sed tamen ſaluberrimam conſuetudinem*, addit (*ib.*), *tenebat Eccleſia, in ipſis quoque Schiſmaticis, & Hæreticis corrigere quod pravum eſt, non iterare quod datum eſt*: Conſuetudinem hanc ſervari juſſerat Stephanus, eique parere debuiſſe Cyprianum, fatetur Auguſtinus, imo paruiſſe, non incongruenter credi poſſe, putat. Ejus vero conſuetudinis cauſas, & originem Stephanus neglexit; eaſque œcumenica tantum Synodus patefecit. De his, non de Stephani decreto ait Auguſtinus: *Neque nos tale aliquid &c.* Ergo non quoad Pontificii decreti robur, ſed quoad Traditionis fontes ante plenarium Concilium non inveſtigatos Cypriani ſententiam Auguſtinus ſecutus eſt. Paucis rem conficiamus. S. Cyprianus, quod baptiſmum ab hæreticis datum improbaverit, erravit: quod S. Stephano veterem Eccleſiæ Traditionem aſſerenti, eaque ut ſervaretur, præcipienti parere noluerit, a culpa liber non fuit; uti ex Auguſtino ipſo colligitur. Ex iis igitur, quæ in hujuſmodi controverſia geſta, ſcriptaque ſunt, inepte colligit Febronius, *factum Cypriani repugnare Pontificis infallibilitati, aut primatui juriſdictionis*: Quemadmodum ex eo quod Orientales Epiſcopi cum Johanne Antiocheno reſtiterint Epheſinæ Synodo, ejuſque decretis parere noluerint, imo Synodi Patres acrioribus verbis perſtrinxerint (*tom. 3. Concil. Labb.*), inepte quis colligeret, Orientalium Epiſcoporum factum repugnare œcumenicæ Synodi infallibilitati, aut juriſdictioni.

CAPUT IV.

Oſtendit, non æqualem eſſe Epiſcoporum, & Romani Pontificis juriſdictionem.

I. FEbronius cap. 3. §. 1. pluribus oſtendit, Chriſtianæ fidei, ſeu doctrinæ propagandæ, conſervandæque curam Epiſcopis omnibus Apoſtolorum Succeſſoribus communem eſſe: Eam ob cauſam Timotheum a S. Joanne Cryſ. hom. 6. contra Judæos, *univerſi orbis Epiſcopum*, S. Cyprianum, & S. Athanaſium a S. Gregorio Nazianzeno *Epiſcopum univerſalem* appellatum eſſe: Euſebium Samoſatenſem extra fines ſuæ diœceſeos Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos ordinaſſe. Hinc natam eſſe dicit, *pervulgatam illam apud Sanctum Cyprianum notionem de uno tantum Epiſcopatu, in quo quilibet Epiſcopus æqualem univerſi curam ſuſtineat. Si autem Epiſcopos*, pergit Febronius (*ib.* §. 2.), *multo magis, imo primario ſubſidiaria hæc cura tenebit Primatem. Quare*, concludit, *quæ*

R. Pon-

R. Pontifex ſæpe legitur fecisse extra fines ſuæ Diœceſeos . . . multum abſunt, ut in agente ſpecialiorem, & proprie dictam, eamque immediatam juriſdictionem aut ſupponant, aut involvant.

Alibi vero (*cap.* 7. §. 1.) Epiſcoporum omnium æqualem eſſe juriſdictionem data opera probat Febronius, quod Chriſtus Apoſtolis omnibus, & Epiſcopis eorum ſucceſſoribus dixerit: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos &c.* Quod S. Hieronymus (*epiſt. ad Evagrium*) ſcripſerit: *Ubicumque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Tanis . . . ejuſdem meriti eſt, ejuſdem eſt & Sacerdotii*: Quod dixerit S. Cyprianus (*lib. de unit. Eccl.*), *Epiſcopatum unum eſſe, cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur*. Quod denique Epiſcopi olim R. Pontificem *Fratrem* compellaverint.

Addit (*ib. n.* 9.): *diviſionem poteſtatis Epiſcopalis in eam, quæ eſt* ordinis, & *quæ* juriſdictionis, *ſeu verius dilacerationem Epiſcopalis dignitatis a Chriſti inſtituto alienam eſſe; non quia diſtinguere non liceat duplicem poteſtatem Epiſcopalis officii, ſed quia dividere nefas eſt, & ejus naturæ repugnat . . . Epiſcopatus plenitudinem Sacerdotii, & paſtoralis muneris perfectionem natura ſua continet, cui Chriſtus non minus juriſdictionis, quam ordinis poteſtatem alligavit.*

II. His argumentis parem Epiſcopis cum R. Pontifice juriſdictionem immediate ipſis a Chriſto datam aſſerit Febronius; cum tamen alibi (*cap.* 1. §. 6.) juriſdictionem *univerſitati Eccleſiæ*, ideſt Fidelium multitudini immediate datam eſſe, velit, & Epiſcopos Eccleſiæ Miniſtros dumtaxat eſſe, apertiſſime ſcribat. Scilicet *Vir duplex animo inconſtans eſt* (*Jac.* 1. 8.). Eam enim ob cauſam adblandiri voluiſſe videtur Epiſcopis, ut hi primum Romani Pontificis imperium detrectent. Deinceps enim facile futurum eſſe ſperat, ut Fidelium multitudini, ac tandem Principibus multitudini imperantibus ſubjiciantur. Eo equidem ſpectaſſe Febronium, ſuſpicionis plurimum ingerunt, quæ ſcribit toto capite IX. *de mediis recuperandæ libertatis Eccleſiaſticæ*. Sed quid ejus rei cauſæ illi fuerit, viderit ipſe: ego nunc ejus argumenta refello.

III. Itaque quoniam Febronius ipſe id licere, non negat, duplicem in Epiſcopis poteſtatem diſtinguimus. Una eſt poteſtas Epiſcopatui *eſſentialis* & *intrinſeca*, quam poteſtatem *Ordinis*: alia eſt *accidentalis*, & *extrinſeca*, quam *juriſdictionis* poteſtatem cum omnibus Catholicis Theologis appellamus. Prior eſt poteſtas Sacramenta conficiendi, & adminiſtrandi, minores miniſtros conſecrandi, & alia, ſiquæ ſunt, Epiſcopalis characteris propria munera obeundi. Poſterior eſt poteſtas Eccleſiam exterius regendi, leges ferendi, cauſas judicandi &c. Duplicem hujuſmodi poteſtatem ſecernendam eſſe, perſpicua res eſt. Nam tum Nicæni, tum Africani Patres ſtatuerunt

Digitized by Google

runt, ut Epiſcopi ab Hæreſi, vel Schiſmate ad Eccleſiam Catholicam redeuntes, dumtaxat in Presbyterii gradum reciperentur. Ergo hujuſmodi Epiſcopos Epiſcopali juriſdictione carere, voluerunt. Rurſus: Qui abdicantur Epiſcopi, ii juriſdictione privantur. Neque enim dixerit Febronius, Neſtorium, exempli cauſa, ab Epheſina Synodo damnatum, ſuam retinuiſſe juriſdictionem. At vero Epiſcopi Hæretici, Schiſmatici, aut Epiſcopatu abdicati, eſſentiali Epiſcopatus, ſeu *ordinis* poteſtate privari non poſſunt: alioquin irrita eſſent confecta ab ipſis Sacramenta, irritæ conſecrationes; quod falſum eſt. Ergo poteſtas Ordinis alia eſt a poteſtate juriſdictionis, & poteſtas juriſdictionis cum poteſtate Ordinis neceſſario connexa non eſt, neque ex hac illa fluit natura ſua. Ergo diviſio Epiſcopalis poteſtatis in eam, quæ eſt *Ordinis*, & quæ *juriſdictionis*, non eſt Epiſcopalis dignitatis dilaceratio; ſed eſt Chriſti ipſius inſtitutio. Quare utramque quidem poteſtatem Epiſcopatui generatim alligavit Chriſtus; cum utraque ad Eccleſiam optime adminiſtrandam neceſsaria ſit; ſed utramque individuo uexu conjunctam cum ſingulis Epiſcopis communicari, noluit. Alioquin earum alterâ, nempe poteſtate juriſdictionis Epiſcoporum nemo privari poſset.

IV. Conſtituta duplicis iſtiuſmodi poteſtatis diſtinctione, quærendum eſt, ſitne utraque æqualis in omnibus Epiſcopis. Jamvero Ordinis poteſtate omnes Epiſcopos pares eſſe, concedimus: Chriſtus enim Apoſtolis omnibus, & Epiſcopis eorum Succeſſoribus dixit: *Accipite Spiritum Sanctum &c. Euntes, docete omnes Gentes &c.* Atque ad eamdem poteſtatem referenda ſunt, quæ ſcripſere S. Cyprianus, *Epiſcopatum unum eſse, cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur*, & S. Hieronymus, *ubicumque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ejuſdem meriti eſse, ejuſdem eſſe & Sacerdotii*. Poteſtate vero juriſdictionis Epiſcopos omnes pares eſſe, negamus. Primo id evincunt ea omnia argumenta, quibus hactenus oſtendi, & oſtendam deinceps, Romanum Pontificem obtinere in Eccleſia primatum juriſdictionis. Deinde ab ipſo Eccleſiæ exordio Romani Pontifices, & Synodi etiam œcumenicæ illud ſemper cautum eſſe voluerunt, ne Epiſcopi extra ſuarum diœceſeon, vel provinciarum fines poteſtatem ſuam veherent. Eo ſpectant plures Nicænæ Synodi, & Synodi Chalcedonenſis Canones. Eadem de re Zoſimus (*epiſt. ad Epiſcopos Galliæ*): *Omnes*, inquit, *admonemus, ut quique finibus, territoriiſque ſuis contenti ſint: nam barbara, & impia iſta confuſio eſt, aliena præſumere*. Egregie vero tum utriuſque memoratæ poteſtatis diſtinctionem, tum juridictionis inæqualitatem adſtruit S. Leo (*epiſt. 12. ad Anaſtaſ. cap. 11.*). De Epiſcopis enim ſcribens: *Quibus*, inquit, *etſi dignitas ſit communis, non eſt tamen ordo generalis; quoniam & inter*

Digitized by Google

Beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quadam diſcretio poteſtatis; & cum omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt, ut cæteris præemineret. De qua forma Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio, & magna ordinatione proviſum eſt, ne omnes ſibi omnia vindicarent, ſed eſſent in ſingulis Provinciis ſinguli, quorum inter Fratres haberetur prima ſententia, & rurſus quidam in majoribus urbibus conſtituti ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem univerſalis Eccleſiæ cura conflueret. Viden' utriuſque poteſtatis diſtinctionem, & juriſdictionis inæqualitatem? Porro quam habent ſinguli Epiſcopi in ſuis Diœceſibus, Metropolitæ in Provinciis ſuis, Patriarchæ in ſuo Patriarchatu poteſtatem, ea poteſtas juriſdictionis eſt. Eamdem autem habet poteſtatem R. Pontifex in univerſa Eccleſia: nam ad ipſum *univerſalis Eccleſiæ cura confluit*: ergo Romanus Pontifex habet in univerſa Eccleſia poteſtatem juriſdictionis: non ergo æqualis eſt Epiſcoporum omnium juriſdictio.

V. Sed Epiſcopi, inquit Febronius, ſunt Apoſtolorum Succeſſores. Quid vero? ajo ego. Nonne primatum juriſdictionis inter Apoſtolos obtinuit Petrus? Id ego in priori hujus diſſertationis parte Scripturæ, & Traditionis auctoritate oſtendi. Quidni igitur & Romanus Pontifex Petri Succeſſor inter Epiſcopos Apoſtolorum Succeſſores juriſdictionis Primatum obtinet?

Cæterum non quoad Apoſtolatus, ſed quoad Epiſcopatus tantum jura Apoſtolis ſuccedunt Epiſcopi. Scilicet Apoſtoli extraordinariam miſſionem, & auctoritatem Petro quidem ſubjectam, ſed nullis Urbium, aut Provinciarum limitibus circumſcriptam a Chriſto habuerunt. *Euntes*, ait illis Chriſtus (*Marc.* 16, 15.), *in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*. Quamobrem Apoſtoli, ſi Petrum, & forte Jacobum Jeroſolymorum Antiſtitem excipias, nullam ſibi peculiarem ſedem vindicarunt, ſed ubique terrarum Evangelium promulgarunt, Epiſcopos conſecrarunt, aliaque Apoſtolatus munera, ubicumque ipſis viſum eſt, obierunt. Quos vero conſtituebant alicubi Epiſcopos, cum his univerſalem hujuſmodi auctoritatem non communicabant, ſed ſingulis Eccleſiis ſingulos præficiebant, quarum fines ipſis prætergredi nefas eſſet. Hinc S. Petrus (*ep.* 1. *cap.* 5. 2.) Epiſcopis ait: *Paſcite*, non univerſum, ſed *qui in vobis eſt gregem Dei*: S. Paulus Titum non univerſæ, ſed Cretenſi tantum Eccleſiæ præfecit: *Hujus rei gratia*, inquit (*ad Tit.* 1. 5.), *reliqui te Cretæ*. Habent nempe Epiſcopi *ſibi aſſignatos greges ſinguli ſingulos*, ut air S. Bernardus. Non ergo in Apoſtolatus, ſed in Epiſcopatus jura tantum ſuccedunt Apoſtolis Epiſcopi, ſeu Epiſcopali charactere non ſecus atque Apoſtoli inſigniti ſunt: In univerſalem ergo juriſdictionem Apoſtolis nequaquam ſuccedunt. Romanus vero Pontifex in Petri Primatum, ideoque in

univer-

univerſalem ipſi a Chriſto creditam juriſdictionem ſuccedit, quemadmodum ex Traditione, & ex Conciliorum definitionibus tum ſuperius oſtenſum eſt, tum oſtendetur deinceps.

VI. Quamquam autem Epiſcoporum juriſdictio ſingularum Urbium, aut Provinciarum finibus coercetur, Fidei tamen, & Religionis ubique propagandæ, conſervandæque cura, & ſollicitudo Epiſcopis omnibus communis eſt. Si enim Deus *mandavit illis unicuique de Proximo ſuo* (*Eccl.* 17. 12.), multo magis id mandavit Epiſcopis. Et ob hanc quidem curam, ac ſollicitudinem, qua maxime excelluerunt Cyprianus, & Athanaſius, utrumque *Epiſcopum univerſalem* appellavit Gregorius Nazianzenus. De eadem ſollicitudine loquitur Auguſtinus, qui Bonifacium I. R. P. alloquens: *Eſt in nobis omnibus*, inquit, *qui fungimur Epiſcopatus officio, ſpecula Paſtoralis, quamvis ipſe in eo celſiore faſtigio praemineas. Facio quod poſſum pro mei particula muneris*. Ea denique ſollicitudine permotus Euſebius Samoſatenſis, cum Ariana hæreſis quaquaverſum graſſaretur, Epiſcopos Catholicos, Presbyteros, & Diaconos, ubicumque opus erat, conſecrabat. Verum hujuſmodi agendi ratio, & ſollicitudo non juriſdictionis, ſed charitatis tantum, & neceſſitatis argumentum eſt, uti Febronius ipſe fatetur. Juriſdictionis enim eſt leges ferre, cauſas cognoſcere, judicare &c. Nihil autem hujuſmodi extra ſuas Provincias geſſere Cyprianus, Athanaſius, Euſebius, Auguſtinus, aliive Epiſcopi. Curam igitur conſervandæ Religionis, ſollicitudinem, & charitatem etiam ad alias Eccleſias evexerunt illi; ſed juriſdictione extra ſuas Eccleſias uſi non ſunt. Romani vero Pontifices & leges ab univerſa Eccleſia ſervandas ediderunt, & graviores, difficilioreſque cauſas ſuo judicio vindicarunt, aliaque ſimilia ubique geſſerunt, uti deinceps oſtendam, quæ ſummam eorum juriſdictionem perſpicue manifeſtant.

VII. Quod vero attinet ad celebrem S. Cypriani ſententiam: *Epiſcopatus unus eſt, cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur*; eâ abutitur cum Hæreticis Febronius. Nos quoque fatemur, ſingulos Epiſcopos non Epiſcopatus partem diviſam, ſed partem in ſolidum, ſeu totum Epiſcopatum tenere; quia nempe Epiſcopatus unus, & indiviſibilis eſt. Nam & qui baptizatur, non baptiſmi partem, ſed totum baptiſmum tenet, quia *unum eſt baptiſma*, ut ait Apoſtolus, & indiviſibile. Hinc vero colligi tantum poteſt, habere ſingulos Epiſcopos quidquid Epiſcopatui eſſentiale eſt, integram ſcilicet Ordinis poteſtatem Epiſcopatui eſſentialem, & intrinſecam, quæ non ſecus atque Epiſcopatus, una, & indiviſibilis eſt. Si quis vero hinc colligat, ſingulos Epiſcopos æque tenere etiam quidquid Epiſcopatui acciden-

accidentale eſt, & extrinſecum, is in Logicæ canones peccat. Juriſdictionis autem poteſtas Epiſcopatui accidentalis eſt, & extrinſeca, uti ſuperius (*n. 3.*) oſtendi. Ergo juriſdictionem non æque Epiſcopi ſinguli, nec in ſolidum tenent.

Sed explicat ſtatim S. Cyprianus ſententiam ſuam: Addit enim: *Eccleſia quoque eſt una, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur: Quomodo multi Solis radii, ſed lumen unum: & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum: & cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copia largitate, unitas tamen ſervatur in origine.* Ergo juxta S. Cypriani ſententiam Epiſcopatus unus eſt, quemadmodum Eccleſia una eſt. Eccleſia autem una eſt ob unitatem *radicis, fontis*, & *originis:* ergo eadem de cauſa unus eſt Epiſcopatus. Radix autem, fons, & origo Eccleſiæ, ſeu ejus unitatis, eſt Petri Cathedra, & Romanus Pontifex, ut ſuperius (*cap. 3. n. 1.*) ex Cypriano ipſo oſtendi: Ergo etiam Epiſcopatus radix, fons, & origo eſt Petri Cathedra, & Romanus Pontifex.

Neque quidquam cauſæ eſt, cur conſecutionem iſtam indignetur Febronius; eam enim apertiſſime tradiderunt Veteres Patres. Innocentius I. (*epiſt. ad Synodum Carthag.*): *Scientes*, inquit, *quid Apoſtolicæ Sedi, cum omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum, debeatur, a quo ipſe Epiſcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emerſit* (A). S. Leo (*ſerm. 4. de aſſumpt. ſua*): *Siquid*, inquit, *cum eo* (Petro) *commune cæteris voluit eſſe Principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid aliis non negavit.* Etiam Africanæ Synodi in epiſtola ad Theodorum Papam, quæ refertur in Actis Concilii Lateranenſis celebrati anno 649. vocant Eccleſiam Romanam cæterarum Eccleſiarum *Natalem Fontem*. Si autem Epiſcopatus radix, fons, & origo eſt Petri Cathedra, & Romanus Pontifex, ipſius Cypriani ſententiâ, fruſtra ex Epiſcopatus unitate concludit Febronius, æqualem eſſe Epiſcopis cum Romano Pontifice juriſdictionem.

VIII. Non minus futile, imo plane ridiculum eſt argumentum, quod ducit Febronius ex communi Epiſcopis omnibus *Fratrum* appellatione. Nam etiam Chriſtus diſcipulos Fratres ſuos vocavit (*Matth. 28. 10.*): *Nunciate*, inquit, *Fratribus meis*. Æqualis ne igitur

(*A*) *Idem Innocentius epiſt. ad Concil. Milev.* Præſertim, *inquit*, quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes Fratres, & Coepiſcopos noſtros nonniſi ad Petrum, ideſt ſui nominis, & honoris auctorem referre debere. *Et epiſt. 2. ad Victricium Rhotomag.* incipiam, *inquit*, adjuvante S. Petro Apoſtolo, per quem & Apoſtolatus, & Epiſcopatus in Chriſto cœpit exordium,

igitur eſt Chriſti, & Diſcipulorum auctoritas, & juriſdictio? Itaque Epiſcopi omnes ſeſe mutuo *Fratres* appellarunt non ob æqualem juriſdictionem, ſed ob humilitatem, & charitatem. Docet S. Gregorius M. (*ep.* 24. *lib.* 1.), neceſſe eſſe, ut Epiſcopus non modo cæteris Epiſcopis, ſed etiam ſubditis bene agentibus per humilitatem Socius ſit, nec eorum ulli ſe præferat, imo æqualem ſe illis eſſe exiſtimet: At vero, *cum pravorum culpa exigit*, vult, ut Epiſcopus *prioratus ſui poteſtatem agnoſcat*; idque Petri exemplo perſuadet, qui ſimilem ſe Centurioni recognovit; *ſed cum Ananiæ, & Saphiræ culpam reperit, mox quanta potentia ſuper cæteros excreviſſet, oſtendit* (A).

Hoc autem loco non abs re fuerit Febronii fraudem notare. Is enim (*cap.* 2. §. 6.) pluribus veteris hiſtoriæ monumentis oſtendit, graviſſima Eccleſiæ negotia ad R. Pontificem referri conſueviſſe, eumque ſollicitudinem ſuo miniſterio convenientem in univerſa Eccleſia expleviſſe. Sed nequis inde colligat, Romanos Pontifices juriſdictione aliqua uſos eſſe, addit (*n.* 13.): *In omnibus autem his, & pro eorum directione, ac pleniore intellectu addendum illud, quod ad Eulogium Epiſcopum Alex. ſcripſit S. Gregorius M. lib. 8. Epiſt.* 30. Scilicet = Verbum juſſionis, peto, a meo auditu removete; quia ſcio, quis ſum, qui eſtis. Loco enim mihi fratres eſtis, moribus Patres. Non ergo juſſi, ſed quæ utilia ſunt, indicare curavi =. Quaſi nempe neque Gregorius, neque Romani Pontifices quidquam unquam juſſerint, imo ſibi jubendi auctoritatem non eſſe, exiſtimaverint. Sed nemo non intelligit, ideo nihil juſſiſſe Eulogio S. Gregorium, quia cur juberet, cauſa non erat. Neque enim muneri ſuo deerat Eulogius, imo Eccleſiæ ſuæ vigilem curam gerebat, quamobrem

(A) Rurſus cum me ad conſiderandum confero, qualis in humilitate, qualiſque eſſe Rector debeat in diſtrictione, perpendo: quoniam neceſſe eſt ut bene agentibus ſit per humilitatem Socius, & contra delinquentium vitia per zelum juſtitiæ erectus; quatenus & bonis in nullo ſe præferat, & cum pravorum culpa exigit, prioratus ſui poteſtatem agnoſcat; ut & honore ſuſpenſo, æqualem ſe ſubditis bene viventibus deputet, & contra perverſorum culpas ex zelo juſtitiæ excreſcat. Hinc eſt namque, quod Petrus auctore Deo Sanctæ Eccleſiæ Principatum tenens, a bene agente Cornelio, & ſeſe ei humiliter proſternente, immoderatius venerari recuſavit, ſeque illi ſimilem recognovit, dicens: ſurge, ne feceris, & ego homo ſum. Sed cum Ananiæ, & Saphiræ culpam reperit, mox quanta potentia ſuper cæteros excreviſſet, oſtendit.... & ſummum ſe intra Eccleſiam contra peccata recoluit, quod honore ſibi vehementer impenſo coram bene agentibus Fratribus non agnovit. Hic communionem æqualitatis meruit Sanctitas actionis, illic zelus ultionis vim aperuit poteſtatis.

obrem cum commendat S. Gregorius. Quod ſi culpam aliquam in Eulogio reperiſſet S. Gregorius, putat ne Febronius, non oſtenſurum eum fuiſſe, *quanta potentia ſuper caeteros excreviſſet, & prioratus ſui poteſtate non uſurum fuiſſe?* Imo cum Eulogius ſcripſerit S. Gregorio: *feci quod juſſiſtis*, oſtendit, ſe in Gregorio jubendi auctoritatem agnoviſſe. Gregorius vero *juſſionis* verbum removeri voluit, non quia ſe jubere non potuiſſe, putabat; ſed quia cur juſſionis verbo uteretur, nulla cauſa erat.

Igitur S. Gregorius, qui humilitate quammaxime excelluit, non modo Epiſcopis, verum etiam fidelibus & Fratrem, & ſocium, & aequalem ſe eſſe, exiſtimavit, ſed ſummam tamen non modo infideles, ſed etiam in Epiſcopos culpae reos juriſdictionem ſibi eſſe, putavit. Alibi enim (*ep.* 64. *lib.* 7.) de Johanne Epiſcopo Conſtantinopolitano: *Nam*, inquit, *quod ſe dicit Sedi Apoſtolicae ſubjici; ſi qua culpa in Epiſcopis invenitur, neſcio, quis ei Epiſcopus ſubjectus non ſit. Cum vero culpa non exigit, omnes ſecundum rationem humilitatis aequales ſumus*. Et rurſus (*ep.* 65.): *Nam de Conſtantinopolitana Eccleſia, quis eam dubitet, Sedi Apoſtolicae eſſe ſubjectam?* Sunt igitur Epiſcopi omnes humilitate Fratres, non poteſtate, & juriſdictione.

IX. At vero S. Gregorius M. inquit Febronius (*cap.* 7. §. 3. *n.* 2.), *titulum Epiſcopi univerſalis Eccleſiae ideo potiſſimum damnat, quia illi, qui eum ſibi arrogat, videtur tribuere jus, & juriſdictionem per omnes Dioeceſes*.

Verum quamvis S. Gregorius, & vetuſtiores Romani Pontifices ejuſmodi appellationem reſpuerint, Eccleſia tamen eos ut Epiſcopos univerſales agnovit. Tertullianus (*de pudic. cap.* 1.): *Audio*, inquit, *etiam edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium: Pontifex ſcilicet Maximus, quod eſt Epiſcopus Epiſcoporum edicit: Ego & moechiae, & fornicationis delicta poenitentia functis dimitto*. Quae ironice quidem a Tertulliano tunc temporis Montaniſta dicta ſunt de Zephirino R. P. uti pleri que eruditi Viri ſentiunt; ſed ejus ironiae cauſa nulla fuiſſet, niſi Eccleſia Romanum Epiſcopum ut Epiſcoporum ſummum, & univerſali juriſdictione praeditum agnoviſſet, uti Fleurio ipſi (*h. e. lib.* 5. *n.* 46.) notatum eſt. Praeterea libellus Theodori Diaconi Alexandrini Chalcedonenſi Synodo oblatus, inſcriptus erat: *Sanctiſſimo, Deique amantiſſimo, & univerſali* (οἰκουμενικῷ) *Archiepiſcopo, & Patriarchae Magnae Romae Leoni, & Sanctae, & univerſali Chalcedonenſi Synodo* (*tom.* 4. *Concil. Labb. col.* 1267.). Leonem autem Archiepiſcopum univerſalem nequaquam appellaſſet Theodorus, niſi Eccleſia etiam tunc temporis perſuaſum habuiſſet, ſummam eſſe Romani Pontificis in univerſa Eccleſia juriſdictionem. Cur igitur

iſtiuſmodi

iſtiuſmodi appellationem veluti profanam improbavit S. Gregorius? Non eam profecto ob cauſam, quam dat Febronius, ne ſcilicet univerſalem juriſdictionem ſibi arrogare videretur. Nam S. Gregorius ſe univerſali juriſdictione præditum eſſe agnovit, & omnes Epiſcopos Apoſtolicæ Sedi ſubjectos eſſe, diſſerte affirmavit, ut ſuperius oſtendi (*n.* 8.). Sed cauſam affert Gregorius ipſe, cur Epiſcopi univerſalis appellationem reſpuerit; ſcilicet ne unus Eccleſiæ Epiſcopus eſſe crederetur. *Nam*, inquit, (*epiſt.* 69. *lib.* 7.), *ſi unus ut putat* Johannes C. P., *univerſalis eſt*, *reſtat*, *ut vos Epiſcopi non ſitis*. Igitur S. Gregorius in hujuſmodi pravum ſenſum dumtaxat acceptam, ac præſertim Epiſcopo Conſtantinopolitano attributam Epiſcopi univerſalis appellationem improbavit. Nihil ergo inde contra univerſalem Romani Pontificis juriſdictionem colligere poteſt Febronius.

CAPUT V.

Immediatam eſſe Romani Pontificis Juriſdictionem in univerſam Eccleſiam, & in omnes Fideles, S. Irenæi, S. Hieronymi, & Synodorum Florentinæ, atque Tridentinæ auctoritate oſtenditur.

I. TRibuit R. Pontifici Febronius (*cap.* 7. §. 7. *n.* 1.) *Præſidium*, *& directorium univerſi*, *ideſt ſollicitudinem omnium Eccleſiarum*, *ſed non immediatam curam*, *& directionem ſingularum ovium*; ne ſcilicet immediatam quoque juriſdictionem ei aſſerere cogatur. Sed longe a veritate aberrat. Primo enim S. Irenæus (*lib.* 3. *adv. hær. cap.* 3.) de Romana Eccleſia ait: *Ad hanc Eccleſiam propter potiorem* (*potentiorem* alii legunt) *principalitatem neceſſe eſt*, *omnem convenire Eccleſiam*, *hoc eſt eos*, *qui ſunt undique Fideles*: In omnes igitur fideles juriſdictionem habet Romanus Pontifex.

II. Deinde S. Hieronymus Presbyter Antiochenus a Paulino Sacerdotio initiatus, Damaſo Romano Pontifici hæc verba ſcribit (*ep.* 57.): *A Paſtore præſidium ovis flagito. Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ communione conſocior. Super illam Petram ædificatam eſſe Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit profanus eſt* ... *Non novi Vitalem*, *Meletium reſpuo*, *ignoro Paulinum*. *Quicumque tecum non colligit*, *ſpargit*; *hoc eſt qui Chriſti non eſt*, *Antichriſti eſt*. *Turgida* vocat hæc verba Febronius (*cap.* 3. §. 8. *n.* 2.); ſed vocet, ut vult, eorum vim non eludet.

Nam

Digitized by Google

Nam S. Doctor ſignificat, ſe non modo communionem habere cum prima Sede, ut fatetur Febronius, ſed præterea ſe habere *immediatam*, neglectis etiam Antiochenis Epiſcopis, e quibus Paulinum, a quo ipſe fuerat ſacris Myſteriis initiatus, cum Damaſo communionem habere, non ignorabat. Præterea Damaſum veluti Paſtorem ſuum immediatum agnoſcit: *A Paſtore*, inquit, *præſidium ovis flagito*.

III. Tertio. Ut memoratam ſuperius (*cap.* 1. *n.* 2.) Lateranenſis Synodi ſententiam, & plura alia Veterum Pontificum, Conciliorum, & Patrum teſtimonia prætermittam, Florentina Synodus in Fidei definitione communi Latinorum, Græcorumque conſenſu edita, *Definimus*, inquit, *Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem Succeſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam a Domino Noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe; quemadmodum etiam in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur*. Plena autem regendi, & gubernandi poteſtas *immediatæ* juriſdictionis profecto poteſtas eſt. Quam enim habet poteſtatem Epiſcopus quilibet regendi, & gubernandi Eccleſiam ſibi commiſſam, eſt poteſtas immediatæ juriſdictionis in eamdem Eccleſiam: ergo etiam poteſtas, quam habet Romanus Pontifex regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam, eſt poteſtas immediatæ juriſdictionis in univerſalem Eccleſiam.

IV. Reſpondet Febronius (*cap.* 5. §. 4. *n.* 5.) poſt Petrum de Marca (*de Conc. Sacerd. & Imp. lib.* 3. *cap.* 8.), & Natalem Alexandrum (*in h. e. ſæc.* 15. & 16. *differt.* 8. *art.* 4. *n.* 12.), in verſione quidem Abrahami Cretenſis edita anno 1526. legi: *quemadmodum etiam*; ſed in aliis legi: *quemadmodum &*, atque hanc lectionem Græco textui reſpondere, qui hæc habet verba: καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται idest: *juxta eum modum, qui & in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur*. Quare plena Eccleſiæ regendæ poteſtas Conciliorum Canonibus circumſcribitur.

Sed primo non modo in verſione Abrahami Cretenſis, ſed etiam in latinis Concilii Actis Eugenii IV. & Michaelis Imperatoris manu ſubſcriptis legitur: *quemadmodum etiam*, ut patet ex Codicibus Colbertinis memoratis ab Honorato Tournely (*de Locis The. de Concil. art.* 2.).

Secundo. Etiamſi legendum ſit: *quemadmodum &*, imo etiam: *juxta eum modum, qui &*, nonniſi tamen ineptiſſime ex iis verbis colligere poteſt Febronius, plenam poteſtatem, quam Synodus Romano

mano Pontifici a Chriſto traditam eſſe, definit, non eſſe poteſtatem juriſdictionis *proprie talis*. Nam etiam quilibet Epiſcopus poteſtatem habet Eccleſiam ſibi comiſſam regendi *juxta eum modum, qui in Sacris Canonibus continetur*, quos prætergredi nequit: Ejuſmodi autem poteſtatem eſſe juriſdictionem *proprie talem* cuilibet Epiſcopo immediate a Chriſto traditam, contendit Febronius (*cap.* 7. §. *1.*): ergo etiam plena poteſtas tradita a Chriſto Romano Pontifici regendi univerſalem Eccleſiam *juxta eum modum, qui in Sacris Canonibus continetur*, juriſdictionis *proprie talis* poteſtas eſt. Et ex ea quidem Florentinæ Synodi definitione Primatum juriſdictionis Romano Pontifici a Chriſto datum eſſe, colligunt præter alios Tournely (*de Eccl. q.* 5. *art.* 2.), & Natalis Alexander (*ſæc.* 1. *diſſert.* 4. §. 2.), qui cum aliis Doctoribus Gallis id unum volunt, Florentinam Synodum non definiviſſe, Romanum Pontificem eſſe ſupra Concilium, neque Conſtantienſis Synodi decretis derogaſſe. Bellarminus ipſe (*de Concil. lib.* 2. *cap.* 13.) fatetur, *Florentinum Concilium non ita expreſſe hæc definiviſſe*. At vero definiviſſe Florentinum Concilium, Romanum Pontificem obtinere in univerſa Eccleſia Primatum juriſdictionis, neque Doctores Galli, neque Bellarminus; paucis, Catholicorum nemo unquam dubitavit.

Quod vero ait (*ib.*) Febronius: *quod in Tridentina Synodo à Gallis pernegatum fuit, Florentino inter generalia Concilia locum dandum eſſe*, hominis deſperatam cauſam agentis effugium eſt. Quidquid enim Galli in Tridentina Synodo dixerint, omnes Galli Theologi Florentinam Synodum inter œcumenicas recenſent, ſaltem uſque ad Seſſionem 25. poſt quam Græci Florentia diſceſſerunt. Jouveninus (*inſtit. Theol. tom.* 1. *diſſert.* 4. *q.* 3. *cap.* 2. *art.* 18. §. 13.), & Natalis Alexander (*ſæc.* 15. & 16. *diſſert.* 10. *art.* 1.) data opera id probant. An vero ut ex œcumenicarum Synodorum albo Florentina expungatur, unius Febronii auctoritas, aut potius temeritas efficiet?

V. Denique Synodus Tridentina (*ſeſſ.* 14. *de pœnit. cap.* 7.): *Merito*, inquit, *Pontifices Maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in univerſa Eccleſia tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari judicio reſervare*. Niſi autem Pontifices Maximi immediatam haberent in omnes fideles juriſdictionem, hujuſmodi cauſas ſuo peculiari judicio reſervare non potuiſſent. Epiſcopi quidem, uti eadem Synodus definit (*ib.*), poſſunt ſibi caſus aliquos reſervare *pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate*. Sibi autem caſus aliquos Epiſcopi reſervare poſſunt, quia immediatam habent in ſuos ſubditos juriſdictionem. Ergo & Romani Pontifices cauſas criminum graviores ſuo judicio reſervare potuerunt, quia immediatam habent in fideles ſingulos juriſdictionem, eamque multo

Digitized by Google

majorem, quam habent Epiſcopi in ſnos ſubditos: cum Epiſcopi ſuorum Subditorum cauſas R. Pontifici reſervatas judicare non poſſint.

Quid his reſpondet Febronius? *Ea verba*, inquit (*cap. 3. §. 4. n. 6.*), *generaliora ſunt, nec exprimunt, a quo, & quibus gradibus, ac quoad quas partes ſuprema hæc poteſtas Romano Præſuli in univerſa Eccleſia tradita ſit*. Sed hæc verba eſſe hominis, quo ſe vertat, ignorantis, bardus eſt, qui non iutelligit. Generaliora quidem ea verba ſunt, ſed generaliora quoque ſunt verba, quibus definit Synodus, traditam eſſe Epiſcopis caſus aliquos ſibi reſervandi poteſtatem. Ea autem poteſtas Epiſcopis tradita eſt, non ab Eccleſia, neque a Conciliis, ſed a Deo, uti ſentit Febronius, niſi ſecum pugnat (*cap. 7. §. 1.*). Quidni ergo & Rom. Pontifici ſuprema poteſtas immediate a Deo tradita eſt?

Sed intellexit Febronius ipſe, Tridentinæ Synodi verba clariora eſſe, qnam ut aliam interpretationem pati poſſint. Quare alibi (*cap. 7. §. 6. n. 6.*) Tridentinæ Synodi ſententiam *opinioni, & doctrinæ falſis decretalibus conſonæ, & tunc vulgariter receptæ, quaſi Papa eſſet Ordinarius Ordinariorum*, impudentiſſime tribuit; aliaque ſimilia in œcnmenicam illam Synodum probroſa effutit: qna in re Febronium refellere, non eſt hujns loci. Interea nobis ſatis eſt, fateri Febronium, confictum a ſe ſyſtema cum Tridentinæ Synodi doctrina pugnare.

CAPUT VI.

Immediatæ Romani Pontificis juriſdictionis argumentum eſt vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudo eum conſulendi de gravioribus, ac difficilioribus negotiis, majoreſque cauſas ejus judicio reſervandi.

I. UNiverſam Eccleſiam conſneviſſe olim Romanum Pontificem de difficilioribus, gravioribuſque negotiis conſulere, plura Monumenta fidem faciunt. S. Hieronymus (*epiſt. 91. al. 110.*): *Cum*, inquit, *in Chartis Eccleſiaſticis juvarem Damaſum Romanæ Urbis Epiſcopum, & Orientis, Occidentiſque conſultationibus reſponderem*. Concilium Sardicenſe (*epiſt. ad Julium Papam.*): *Hoc enim*, inquit, *optimum, & valde congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad Caput, ideſt ad Petri Apoſtoli Sedem de ſingulis quibuſque provinciis Domini referant Sacerdotes*. Innocentius I. a Patribus Concilii Milevitani conſultus, reſpondet (*ep. 25. tom. 3. Conc. Labb.*

Conc. Labb. col. 47.), ad ſe perlatam eſſe eorum epiſtolam *inter cæteras Romanæ Eccleſiæ curas, & Apoſtolicæ Sedis occupationes, quibus diverſorum conſulta*, inquit, *fideli, ac medica diſceptatione tractamus. Diligenter ergo, & congrue Apoſtolici conſulitis honoris arcana: honoris, inquam, illius, quem præter illa, quæ ſunt intrinſecus, ſollicitudo manet omnium Eccleſiarum, ſuper anxiis rebus, quæ ſit tenenda ſententia: antiquæ ſcilicet regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper Orbe mecum noſtis eſſe ſervatam .... Scientes, quod per omnes provincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent*. Bonifacius I. (*epiſt.* 15. *edit. Conſtant.*) ſcribit: *Maximas Orientalium Eccleſias in magnis negotiis, in quibus opus eſſet diſceptatione majore, Sedem ſemper conſuluiſſe Romanam*. Leo M. (*epiſt.* 10.) teſtatur, Apoſtolicam Sedem *innumeris relationibus eſſe conſultam*.

II. Ait tamen Febronius (*cap.* 3. §. 7. *n.* 5.), *obſervaſſe Barthelium celeberrimum noſtri ævi Canoniſtam .... qualiter uſque ad medium Sæculum XII. rariores adhuc fuerint ad Pontificem recurſiones*. Sed egregie falli Barthelium, memorata ſuperius teſtimonia perſpicue oſtendunt. Quare Febronius ipſe, cum eam conſuetudinem negare nequeat, affirmat (*ib.* §. 7.), *hanc talem fuiſſe, ut nullum jus perfectum Primæ Sedi ad has relationes competierit, quaſi ejus conſilia neceſſario expetenda, & iis acquieſcendum fuiſſet: quamquam poſtmodum Romani idipſum in neceſſitatem traxerint*. At vero niſi Primæ Sedi jus ad relationes illas competiiſſet, cur ad illam miſſæ fuiſſent? Cur Prima Sedes ex omnibus provinciis innumeris relationibus conſulta fuiſſet? His adde quæ ſcribit Conſtantinus Pogonatus ad Leonem II. (*tom.* 7. *Concil. Labb. col.* 242.). *Hortamur porro*, inquit, *veſtram Sanctiſſimam Summitatem, ut quamprimum mittat, quem deſignare ſolet, Apocriſarium, ut is in Regia, & a Deo conſervata noſtra Urbe degat, & in emergentibus ſive dogmaticis, ſive canonicis, ac prorſus in Eccleſiaſticis omnibus negotiis Veſtræ Sanctitatis exprimat, ac gerat perſonam*. An vero tanta ſollicitudine hortatus fuiſſet Imperator Conſtantinus Leonem, ut Conſtantinopolim Apocriſarium mitteret, qui in omnibus Eccleſiaſticis negotiis ipſius Leonis perſonam referret, niſi jus ad relationes, & conſulta de gravioribus ſaltem negotiis ei competiiſſet?

III. Sed addit Febronius: *Non ad ſolum Romanum, ſed ad alios etiam magnæ auctoritatis Epiſcopos recurſus pro accipiendis luminibus, & directione ſumebantur. Sic ad S. Cyprianum ſubinde ab ipſa etiam Romana Eccleſia ſimiles relationes factæ leguntur, neque ex eo aliqua juris prærogativa pro certa Eccleſia ſumi poteſt. Theodoſius Imperator in Lege* 45. *Cod. Theod. de Epiſc. & Leg.* 6. *Cod. Juſtin. de SS. Eccleſ. tale privilegium, quale Romanus Epiſcopus ſibi vindicabat, indulſit Conſtantinopolitano*.

H 2 Verum

Digitized by Google

Verum Innocentius I. in epiſtola ad Synodum Carthaginenſem (24. *tom.* 3. *Concil. Labb. col.* 44.), ait: *Antiquæ Traditionis exempla ſervantes, & Eccleſiaſticæ memores diſciplinæ, veſtræ Religionis vigorem non minus nunc in conſulendo, quam ante cum pronunciaretis, vera ratione firmatis, qui ad noſtrum referendum approbatis eſſe judicium, ſcientes, quid Apoſtolicæ Sedi (cum omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum) debeatur, a quo ipſe Epiſcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emerſit .... Quod illi non humana, ſed divina decrevere ſententia, ut quidquid, quamvis de disjunctis, remotiſque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, niſi ad hujus Sedis notitiam perveniret; ut tota hujus auctoritate (juſta quæ fuerit) pronunciatio firmaretur*. Jamvero rogo ego Febronium, ut non Barthelii, Fleurii, aliuſve ſimilis recentioris Scriptoris auctoritate, ſed veteri aliquo monumento oſtendat, primo S. Cyprianum, alteriuſve Eccleſiæ Epiſcopum *innumeris relationibus* ex *omnibus* mundi *Provinciis* fuiſſe conſultum, uti de Apoſtolica Sede teſtantur Hieronymus, Innocentius, & Leo: Secundo alium quemlibet Epiſcopum etiam a Synodis fuiſſe conſultum, ut *tota ejus auctoritate earum pronunciatio firmaretur*, uti de Apoſtolica Sede aït Innocentius I. Tertio alium quemlibet Epiſcopum ex antiqua traditione, & ex Eccleſiaſtica diſciplina ab aliis Epiſcopis conſuli, & graviores cauſas ad ipſum referri conſueviſſe, quemadmodum de Apoſtolica Sede teſtatur idem Innocentius. Tria hæc niſi oſtendat Febronius, fruſtra objicit, aliquem Epiſcopum fuiſſe aliquando ab aliis conſultum. Nunquam autem hæc oſtendet niſi nova monumenta cudat.

Quod attinet ad Theodoſii Legem, ea Illyrici dumtaxat Provincias complectitur, atque ſtatuit, ut *ſiquid dubietatis emerſerit*, reſervetur judicio non Epiſcopi Conſtantinopolitani, ſed Synodi, non inſcio tamen Epiſcopo Conſtantinopolitano. En verba Legis: *Omni innovatione ceſſante, vetuſtatem, & canones priſtinos ... etiam per omnes Illyrici provincias ſervari, præcipimus; ut ſiquid dubietatis emerſerit, id oporteat non abſque ſcientia Viri Reverendiſſimi Sacroſanctæ Legis Antiſtitis Urbis Conſtantinopolitanæ (quæ Romæ veteris prærogativa lætatur), conventui Sacerdotali, Sanctoque judicio reſervetur*. Quid vero ex hac civili lege conficere poteſt Febronius?

Pergit porro: Hoc jus *nulli ſedi proprium, preſſius tamen ab una parte, ſtrictiuſque vindicatum, ab altera vero remiſſius agnitum, viam facile aperuit ad mutandum conſilia in mandata, directorium in imperium*. Sed Romanæ quidem Sedi, non autem cuivis alii jus ad relationes, de quibus agimus, competiiſſe, me ſuperius oſtendiſſe, confido. Quinam vero demum Romanus Pontifex mutavit *conſilia* in mandata, *directorium in imperium*? Primum id feciſſe credideris Johannem VIII. aut

aut Innocentium III., aut Alexandrum III. quos in hanc rem paulo poſtea Febronius commemorat (*ib. n.* 4. & 5.), aut aliquem alium falſarum decretalium commento recentiorem. Nequaquam; *Primus*, inquit (*ib. n.* 1.) *id feciſſe videtur Innocentius I. qui anno* 402. *Cathedram Petri aſcendit*. Scilicet qui ad veritatem impugnandam aggrediuntur, eam ſæpe inviti fateri, coguntur. Ergo longe ante conſictas ab Iſidoro decretales epiſtolas, Romani Pontifices & relationes de gravioribus negotiis, & majores cauſas ſuo ſibi jure vindicarunt. Quamquam cum Innocentius I. & relationes de gravioribus negotiis, & graviores cauſas ſibi vindicet ex Sardicenſis Synodi Canonibus, & ex veteri conſuetudine, ut paulo inferius oſtendam, illi imponit Febronius, affirmans eum primum mutaſſe *Conſilia in mandata, directorium in imperium*.

Denique Febronius ait cum Petro de Marca, Pontifices *eo tempore hac uſos eſſe modeſtia, ut non novum jus conderent, ſed conſulti de jure conſtituto in dubiis reſponderent*.

At vero demonſtrandum Febronio eſt, Pontificum reſponſa ad conſultationes de Jure conſtituto, vim legis non habere. Imperatores quidem Provinciarum Præfectis de Jure conſtituto conſulentibus reſcripſerunt, ſuaque reſcripta vim legis habere voluerunt. Quidni & Romani Pontifices vim legis habere voluerunt reſcripta ad eos, a quibus conſulti fuerant, tranſmiſſa? Quot enimvero novas Leges condidere Siricius, Innocentius, Zoſimus, Leo, Gelaſius, aliique Romani Pontifices? Sed de Romanorum Pontificum Legibus poſtea differendi locus erit. Itaque vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudo eſt, conſulendi Romanos Pontifices de difficilioribus, gravioribuſque negotiis; atque hujuſmodi conſultationes Romani Pontifices ſibi jure ſuo vindicarunt. Niſi autem immediatam haberet Romanus Pontifex in omnes Eccleſias, & in omnes Fideles juriſdictionem, id nec factum eſſet, nec fieri Eccleſiæ permiſiſſent. Ea igitur conſuetudo immediatæ Romani Pontificis in univerſam Eccleſiam juriſdictionis argumentum eſt.

IV. Sed validius argumentum ducitur ex conſuetudine reſervandi Romano Pontifici majores cauſas. Innocentius I. anno 404. ſcribens Victricio Rhotomagenſi Epiſcopo: *Si majores cauſæ*, inquit, *in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit, poſt Epiſcopale judicium referantur*. Notat quidem Febronius (*cap.* 4. §. 1. *n.* 1.), verba *vetus conſuetudo exigit*, deſiderari *apud probioris notæ Scriptores, ſignanter Labbeum, & Juſtellum:* Sed præterquamquod in omnibus fere Codicibus reperiuntur; in aliis Codicibus, veluti in duobus Colbertinis, in Lucenſi, in Vaticano, in Barberinio deſiderantur verba: *Sicut Synodus ſtatuit*, quæ ad Sardicenſem Synodum, de qua alibi diſſeram, referuntur.

Notari

Digitized by Google

Notari præterea vult Febronius verba: *poſt Epiſcopale judicium*, quaſi majores cauſæ ſint prius ab Epiſcopis finiendæ, quam ad Apoſtolicam Sedem referendæ. Sed primo ſi res ita eſſet, fruſtra majores cauſæ ad Apoſtolicam Sedem referendæ eſſent. Deinde Epiſcopale judicium, de quo loquitur Innocentius, non eſt cauſæ definitio, ſed ſunt relatio, & Acta; quemadmodum explicant S. Leo, & Vigilius. Nam S. Leo (*ep. 5.*): *Si quæ vero Cauſæ graviores*, inquit, *vel appellationes emerſerint, eas ſub ipſius* (Anaſtaſii Theſſalonicenſis) *relatione* (en Epiſcopale judicium) *ad nos mitti debere, decrevimus, ut noſtrâ ſecundum Eccleſiaſticum morem ſententia finiantur*. Vigilius vero (*ep. 7. ad Auxanium Epiſc. Arelat. tom 5. Concil. Labb. col. 1300.*) ait: *Si qua vero certamina aut de Religione fidei, quod Deus auferat, aut de quolibet negotio, quod ibi pro ſui magnitudine terminari non poſſit, evenerint, totius veritatis indagine diligenti ratione diſcuſſa, relationis* (en iterum Epiſcopale judicium) *ad nos ſeriem deſtinantes Apoſtolicæ Sedi terminanda ſervate*. Igitur Epiſcopale judicium, quod memorat Innocentius, non eſt cauſæ definitio, ſed relatio, & Acta.

S. Gregorius M. (*lib. 2. ep. 46. al. 7.*): *Si qua cauſa*, inquit, *vel fidei, vel criminis, vel pecuniaria adverſus præfatum Hadrianum Conſacerdotem noſtrum potuerit evenire, vel per eos, qui noſtri ſunt, vel fuerint in Urbe Regia, Reſponſales, ſi mediocris eſt quæſtio, cognoſcatur, vel huc ad Apoſtolicam Sedem, ſi ardua eſt, deducatur; quatenus noſtræ Audientiæ ſententia decidatur*. En ſibi majores cauſas Romani Pontifices reſervant, non veluti ab Arbitris componendas, ſed *finiendas, terminandas, decidendas*; neque eas ſibi vindicant, ut Occidentis dumtaxat Patriarchæ, ſed ut Eccleſiæ Primates. Meminit enim Innocentius Synodi Sardicenſis, quæ (*epiſt. ad Julium I.*): *Optimum*, inquit, *& valde congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad Caput, ideſt ad Petri Apoſtoli Sedem de ſingulis quibuſque Provinciis Domini referant Sacerdotes*. Leo Magnus hanc affert cauſam: *Quia per omnes Eccleſias cura noſtra diſtenditur, exigente hoc a nobis Domino, qui Apoſtolicæ dignitatis Beatiſſimo Apoſtolo Petro Primatum fidei ſuæ remuneratione promiſit, univerſalem Eccleſiam in fundamenti ipſius ſoliditate conſtituens &c.* Gregorius Magnus etiam Conſtantinopoli majores cauſas ſibi reſervat. Niſi autem immediata eſſet Romani Pontificis in univerſam Eccleſiam juriſdictio, majores cauſas ſibi reſervare non poſſet, uti ſuperius (*cap. 5. n. 5.*) oſtendi.

Cum autem graviores, majoreſque Cauſæ etiam ſæculo V. ineunte, ex veteri conſuetudine, Innocentio teſte, eſſent Apoſtolicæ Sedi reſervatæ, palam eſt longe a veritate aberrare Febronium ſtatim initio capitis IV. ſcribentem, *gravioris momenti negotia ſequius ævum Summo Pontifici reſervaſſe*.

Illud

Illud hoc loco notari velim, conſueviſſe olim Romanos Pontifices vices ſuas in Galliis Metropolitæ alicui Epiſcopo, ac præſertim Arelatenſi committere, & majores tamen Cauſas Apoſtolicæ Sedis judicio reſervare, ut conſtat ex Epiſtolis Innocentii I., Zoſimi, Leonis Magni, Vigilii, aliorumque; quin conqueſti unquam fuerint Galliarum Epiſcopi, aut Metropolitarum jura violari, aut Gallicanæ Eccleſiæ libertates imminui. Quare quod nobis objicit Febronius (*cap.* 2. §. 10. *n.* 6. *&* 7. *& cap.* 4. §. 1. *n.* 4.), Galliarum Epiſcopos anno 844. Sergio Papæ, qui Drogoni Metenſi, & anno 876. Johanni VIII. qui Anſegiſo Senonenſi vices ſuas in Gallia commiſerant, reſtitiſſe, oſtendit quidem Sæculo IX. auſos fuiſſe Gallos veterem conſuetudinem, ac diſciplinam immutare, & novitatem contra Canones invehere; ſed ejuſmodi conſuetudinem, ac diſciplinam multo ante Sæculum IX., imo ſaltem a Sæculo V. non obtinuiſſe, non evincit. De Cauſis majoribus generatim hactenus.

CAPUT VII.

R. Pontifex ferre poteſt leges ab univerſa Eccleſia ſervandas.

I. Febronius (*cap.* 2. §. 4. *n.* 3. *& cap.* 5. §. 2.) affirmat; poſſe quidem R. Pontificem, *in magna congregandorum generalium Conciliorum difficultate condere Leges, eaſque toti Eccleſiæ proponere obſervandas*; ſed contendit, primo *Legiſlatoriam poteſtatem reſpectu univerſalis Eccleſiæ penes Summum Pontificem ſolum non reſidere*: Secundo Leges a Summo Pontifice latas *non ante vim habere, quam communi conſenſu fuerint receptæ*.

Verum ad primum quod attinet, quamvis ferendarum legum auctoritas ſit etiam penes Concilium generale, ſiquidem Concilium Epiſcopos ſimul, & Romanum Pontificem complectitur; nihilominus ſi Concilium a Romano Pontifice ſejungere velis, Concilii quamlibet generalis Leges nullam vim habent, niſi Romani Pontificis auctoritate confirmatæ ſint, ut alibi oſtendam.

Quod ſpectat ad alterum: ſecernendæ ſunt Leges, quæ Fidei, vel morum præcepta continent, a Legibus, quæ diſciplinam conſtituunt. Prioris generis leges a R. Pontifice latas, non ab Eccleſiæ conſenſu, ſed ab Apoſtolicæ Sedis auctoritate vim habere, pluribus poſtea evincam. Nunc de legibus, quæ diſciplinam conſtituunt, agendum eſt. Eccleſiaſtica diſciplina complectitur ea, quæ ad Eccleſiæ adminiſtrationem ſpectant, quæque cum nec naturali, nec divina lege

Digitized by Google

ſta lege præcepta, aut interdicta ſint, ita præſcribuntur, ut ſi rerum adjuncta mutentur, mutari poſſint. Jamvero poteſtas conſtituendæ diſciplinæ ab univerſa etiam Eccleſia ſervandæ Primatus Romani Pontificis conſectaria eſt. Cum enim ipſi a Chriſto datæ ſint Claves regni cœlorum, atque univerſa Eccleſia regenda commiſſa ſit (*ex ſupp.*), ipſi etiam data eſt a Chriſto poteſtas ea conſtituendi, quæ ad Eccleſiam optime regendam neceſſaria, vel utilia ſunt. Cum vero regendæ Eccleſiæ poteſtas Romano Pontifici non eâ conditione data ſit, ut Eccleſia in ejus poteſtatis uſum conſentiat, Leges ab eo latæ, non ab Eccleſiæ conſenſu, ſed a Primatus ipſi crediti auctoritate vim habent, ac propterea ab univerſa Eccleſia ſervari omnino debent.

II. Et veteres quidem Pontifices ea poteſtate uſi ſunt, & latas a ſe Leges ſervari omnino voluerunt. S. Victor Aſianos Paſcha Judæorum more celebrare lege lata vetuit, eoſque parere renuentes *prorſus a communione ſecludendos edixit* (*apud Euſeb. lib. 5. h. e. cap. 24.*). Porro S. Irenæus *admonuit* quidem *decenter* Victorem, ne eos a communione abſcinderet; ſed ferendæ Legis auctoritatem non negavit. Polycrates ipſe, qui pro Aſianorum conſuetudine depugnavit acerrime, non Victoris auctoritatem negavit, ſed legem ipſam, quod injuſta ſibi videretur, improbavit.

Siricius Clericos majoribus Ordinibus initiatos uxoribus uti prohibuit (*epiſt. ad Himer. Tarrac. Epiſc. tom. 2. Concil. Labb. col. 1215.*), pœnamque in refractarios ſtatuit: *Ii vero*, inquit, *qui illiciti privilegii excuſatione nituntur, ut ſibi aſſerant, veteri hoc lege conceſſum, noverint ſe ab omni Eccleſiaſtico honore, quo indigne uſi ſunt, Apoſtolicæ Sedis auctoritate dejectos, nec unquam poſſe veneranda attrectare myſteria, quibus ſe ipſi, dum obſcœnis cupiditatibus inhiant privaverunt. Et quia exempla præſentia cavere nos præmonent; ſi quilibet Epiſcopus, Presbyter, atque Diaconus, quod non optamus, deinceps fuerit talis inventus, jam nunc ſibi per nos omnem indulgentiæ aditum intelligat obſeratum, quia ferro neceſſe eſt excidantur vulnera, quæ fomentorum non ſenſerint medicinam*. Porro Siricius hujuſmodi legem, aliaſque plures ad Himerium in univerſa Hiſpania promulgandas miſit, eaſque non ſi reciperentur, ſervari; ſed recipi, ut ſervarentur, voluit, quemadmodum ex ejus verbis manifeſtum eſt: Neque ſolum in Hiſpaniarum Eccleſiis, ſed in aliis etiam ſervari eas voluit. *Quid*, inquit, *ab univerſis poſthac Eccleſiis ſequendum ſit, quid vitandum, generali pronunciatione decernimus*. Eas vero promulgandas curavit, non ut vim haberent; ſed nequis earum ignorationem cauſaretur: *ut omnibus*, inquit, *in poſterum excuſationibus aditus, qui jam nulli apud nos patere poterit, obſtruatur*. Quare Innocentius I. ſcribens Exuperio Toloſatum in Gallia Epiſcopo, ait: *Nam ſi ad aliquos forma illa Eccleſia-*

ſticæ

ſtica vita pariter, & diſciplina, quæ ab Epiſcopo Siricio ad Provincias commeavit, non probabitur perveniſſe, his ignorationis venia remittetur, ita ut de cætero penitus incipiant abſtinere... Siqui autem ſciſſe formam vivendi miſſam a Siricio detegentur, neque ſtatim libidinis cupiditates abjeciſſe, illi ſunt modis omnibus ſubmovendi. Cœleſtinus in epiſtola ad Epiſcopos Apuliæ, & Calabriæ multa decernit, & addit: *Quiſquis vero conatus fuerit tentare prohibita, ſentiet, cenſuram Sedis Apoſtolicæ minime defuturam. Quæ enim ſola admonitionis auctoritate non corrigimus, neceſſe eſt per ſeveritatem congruentem regulis vindicemus.*

Denique, ut alios Romanos Pontifices prætermittam, Leo M. (*epiſt.* 4.): *Omnia*, inquit, *decretalia Conſtituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium deceſſorum noſtrorum, quæ de Eccleſiaſticis Ordinibus, & Canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita a veſtra dilectione cuſtodiri debere, mandamus, ut ſiquis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari.*

Itaque Siricius, Innocentius, Cœleſtinus, Leo M. aliique Pontifices leges tulerunt, eaſque ab omnibus, quibus eas dare ipſis viſum eſt, ſervari, voluerunt, arbitrati earum vim non ab Eccleſiarum conſenſu, ſed ab Apoſtolicæ Sedis auctoritate pendere. Eas etiam in Provinciis promulgandas curarunt, non ut vim acquirerent, quam ſe ipſis habebant, ſed nequis ignorantiæ excuſationem objiceret. Nullibi vero legimus, Eccleſias, ad quas hujuſmodi Leges miſſæ ſunt, earum ferendarum auctoritatem Apoſtolicæ Sedi denegaſſe. Ergo tum Romani Pontifices in ſe, tum in ipſis aliæ Eccleſiæ ferendarum legum auctoritatem agnoverunt.

III. Quamvis autem R. Pontificis Leges neque ab Eccleſiæ conſenſu, & acceptione, neque a promulgatione, ſed ab Apoſtolicæ Sedis auctoritate vim habeant, atque ab omnibus, ad quos illæ ſpectant, omnino ſervandæ ſint, fieri tamen poteſt, ut in aliquibus Provinciis, niſi promulgatæ fuerint, vim non habeant. Verum id ipſius R. Pontificis conſenſu tacito, vel expreſſo fieri credendum eſt. Et Galli quidem ſe Legibus a R. Pontifice latis non obſtringi putant, niſi in Galliis promulgatæ fuerint, ſed eorum plerique, veluti Cabaſſutius (*Jur. Can. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 5.), Petrus de Marca (*de Conc. Sac. & Imp. lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 5.), Jouveninus (*Inſt. Theol. p.* 5. *diſſ.* 6. *q.* 2. *cap.* 4.), aliique id ipſius Apoſtolicæ Sedis conſenſu uſu in Galliis receptum eſſe, fatentur. In hanc rem ſilentio prætermittenda non eſt celebris Imperatorum Theodoſii Junioris, & Valentiniani III. Conſtitutio ad Aetium data VIII. Idus Julii anno CCCCXLV. (*inter oper. S. Leon.*), qua confirmantes ſententiam in Hilarium Arelatenſem a Leone M. latam, ajunt: *Et erat quidem ipſa ſententia per Gallias ſine Imperiali Sanctione valitura: Quid*

enim tanti Pontificis auctoritati in Eccleſiis non liceret? Sed noſtram quoque præceptionem hac ratio probavit, ne ulterius nec Hilario, quem adhuc Epiſcopum nuncupari, ſola manſueti Præſulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri Eccleſiaſticis rebus arma miſcere, aut præceptis Romani Antiſtitis liceat obviare. Auſibus enim talibus fides, & reverentia noſtri violatur Imperii. Nec hoc ſolum, quod eſt maximi criminis, ſubmovemus; verum ne levis ſaltem inter Eccleſias turba naſcatur, vel in aliquo minui Religionis diſciplina videatur, hac perenni Sanctione cenſemus, nequid tam Epiſcopis Gallicanis, quam aliarum Provinciarum contra conſuetudinem veterem liceat ſine Viri Venerabilis Papæ Urbis æternæ auctoritate tentare; Sed hoc illis, omnibuſque pro Lege ſit, quidquid ſanxit, vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis auctoritas. Nullum profecto luculentius teſtimonium pro ſumma Romani Pontificis ferendarum legum auctoritate proferri poteſt. Ex eo enim conſtat, leges R. Pontificis V. Eccleſiæ ſæculo tum in Galliis, tum in aliis Provinciis per ſe vim habuiſſe; iiſque obſiſtere, nefas fuiſſe. Bene autem eſt, quod memorati Imperatores, & Pontifices longe ante confictas ab Iſidoro decretales Epiſtolas floruerunt; alioquin ad ravim uſque regereret Febronius, falſis vetuſtiſſimorum Pontificum epiſtolis utroſque deceptos eſſe; & Pontifices quidem ad *prætenſæ Monarchiæ* ideam ex ſpuriis fontibus hauſtam leges adornaſſe: Imperatores vero eâdem ideâ imbutos nimium Pontificibus detuliſſe. Sed nos falſis monumentis in rem noſtram non indigemus; imo certiſſimis, atque invictiſſimis abundamus.

IV. At vero, ait Febronius (*cap.* 5. §. 2.), *habent diverſæ Nationes, & ſingulares Eccleſiæ pro particulari ſuo regimine ſingulares uſus, legeſque.... His derogare, non creditur eſſe in Poteſtate Summi Pontificis.*

Verum ſi de poteſtate quidem agitur, longe a veritate errat Febronius, uti ex ſuperius dictis conſtat. Si vero de æquitate ſermo eſt, non negamus, eam poſtulare, ut ſingulares Eccleſiarum uſus, & conſuetudines ſerventur, ſi *laudabiles* ſint, ut ait Febronius ipſe, neque *communibus Eccleſiæ, & eſſentialibus Conſtitutionibus repugnent*. Neque iis Romani Pontifices derogare ſolent. Nonne diverſas apud ipſos Monachorum cœtus Liturgias a Romana diſcrepantes Romana etiam Eccleſia permittit?

V. Addit (*ib. n.* 9.), *non eſſe in ſolius Summi Pontificis poteſtate leges a Conciliis latas abolere, aut eis, ſaltem abſque præſumpto Synodi conſenſu, derogare. Idque agnoviſſe ſæpe Romanos Pontifices, nempe ſe univerſalibus Conciliorum legibus teneri.*

Sed falſa veris miſcet Febronius, atque ex veris falſas conſecutiones deducit, nobiſque præterea imponit. Non enim nos ef-

frænem

fræ̃nem R. Pontifici dominatum, & poteſtatem nullis conſtrictam legibus tribuimus. Cum enim Primatus juriſdictionis, & ſumma Poteſtas in Eccleſia Romano Pontifici a Chriſto data ſit, eâ Romanus Pontifex uti debet *in ædificationem*, ideſt in ipſius Eccleſiæ bonum, & utilitatem. Ut enim ait Apoſtolus (2. *Cor.* 13. 10.), *Poteſtas a Deo in ædificationem, non in deſtructionem*. Quæ igitur olim ſive a Conciliis, ſive a Romanis Pontificibus *in ædificationem* ſapientiſſime conſtituta ſunt, ea a Poſterioribus Pontificibus immutari, æquum non eſt, niſi rerum quoque ratio mutata ſit, ut moderationem propterea, aut novam præſcriptionem poſtulet. Atque in hunc ſenſum ſe non modo Conciliorum, ſed etiam Prædeceſſorum ſuorum legibus obſtringi, Romani Pontifices faſſi ſunt. Rem hanc explicat egregie S. Gelaſius Canonum vindex acerrimus (*epiſt. ad Epiſc. Lucan.*). *Neceſſaria*, inquit, *rerum diſpenſatione conſtringimur, & Apoſtolicæ Sedis moderamine convenimur, ſic Canonum Paternorum decreta librare, & retro Præſulum, Deceſſorumque noſtrorum præcepta metiri, ut quæ præſentium neceſſitas temporum reſtaurandis Eccleſiis relaxanda depoſcit, adhibita conſideratione diligenti, quantum poteſt fieri, temperemus, quo nec in totum formam veterem videamur excedere regularum, & reparandis militiæ Clericalis officiis conſulamus*. En fatetur S. Gelaſius, ſe Canonibus Paternis, & Deceſſorum ſuorum præceptis obſtringi; ſed iis tamen ſe derogare poſſe, ſi neceſſitas temporum poſtulet, aperte indicat. *Præſumpti vero Synodi conſenſus* ne meminit quidem; quia perſuaſum habet, id ſibi auctoritatis non a Synodis, ſed a Chriſto ipſo datum eſſe. Falſo vero inde concludit Febronius, R. Pontificem nec novas condere Leges, nec veteribus derogare poſſe. Nam & Regum, ac Principum vulgatiſſimum effatum eſt, ſe legibus obſtringi. Scilicet (*L. digna vox. c. Leg. & conſt.*): *Digna vox eſt majeſtate Regnantis, legibus obligatum ſe profiteri*: Et (*L. ex imperf. cod. de Teſtam.*): *Nihil tam proprium Imperii eſt, quam legibus vivere*. Vel ipſi Galli nihil fere ſæpius dictitant, quam Regem legibus obſtringi, nec quemquam illi præcellere, præter Deum, & Leges. Eſt ne vero qui Regibus novas leges condendi, aut veteribus, ſi res poſtulet, derogandi auctoritatem eſſe, neget? Cur igitur hujuſmodi auctoritas Romanis Pontificibus deneganda eſt eam ob cauſam, quod hi, ſe legibus obſtringi, fateantur? Itaque legibus tum ſuis, tum Synodorum generalium ab Apoſtolica Sede confirmatis obſtringuntur Pontifices, non ſecus atque ſuis Reges, *vi directiva*, ut ajunt, non *vi coactiva*; quod etiam luculentius poſtea oſtendam. Cum vero iſtinſmodi Leges, utpote quæ ad diſciplinam ſpectant, mutari poſſint, eas Romani Pontifices ob ſummam quam obtinent in Eccleſia auctoritatem mutare, iis derogare, in iis diſpen-

ſare poſſunt, ſi id Eccleſiæ, & Fidelibus conducere judicaverint. Quod ſi fecerint, cavendum cuique eſt, ne id illis culpæ vertat, quod nulla ejus agendi rationis cauſa eſſe ipſi videatur. *Sæpe enim*, ut ait S. Gregorius (*lib. 5. Moral. cap. 5. n. 24.*), cujus etiam ævo ſimiles audiebantur querelæ, *quia intelligi non valent, deterioribus diſplicent vel facta, vel dicta meliorum: Sed eo ab eis non temere reprehendenda ſunt, quo apprehendi veraciter nequaquam poſſunt. Sæpe aliquid a majoribus diſpenſatorie agitur, quod a minoribus error putatur. Sæpe multa a fortibus dicuntur, quæ infirmi ideo dijudicant, quia ignorant.*

CAPUT VIII.

Romanus Pontifex quemlibet ſive fidelem, ſive Epiſcopum ab Eccleſiæ communione, ſi res ferat, abſcindere poteſt, eaque juriſdictionis poteſtas eſt.

I. ROmanus Pontifex, uti Febronius ſæpe fatetur, eſt *Centrum* unitatis Eccleſiæ, & Caput, quocum omnia membra communionem ſervare debent. Et olim quidem Orientales Eccleſiæ, quæ cum ſuis Epiſcopis, Epiſcopi, qui cum ſuis Patriarchis cum Romano Pontifice conjunctis, communionem habebant, cum ipſo quoque Romano Pontifice communionem habere cenſebantur, imo & cum Occidentalibus Eccleſiis itidem cum R. Pontifice communionem habentibus. Eſt enim Romana Eccleſia, ut ajunt Patres Concilii Aquilejenſis (*epiſt. ad Gratianum, Valentin. & Theod. A. A. A. an. 381.*), *Totius Orbis Romani Caput... unde in omnes veneranda communionis jura dimanant.*

Ejus autem mutuæ communionis membrorum tum ſecum, tum cum Capite, argumenta erant epiſtolæ, quas Fideles, & Clerici ab Epiſcopis ſuis, Epiſcopi a Metropolitanis aliò migraturi accipiebant, ob quas ubique locorum honorifice hoſpitio excipiebantur: Sed præcipue Literæ quædam, quas ad ſe mutuo, & ad Romanum Pontificem Epiſcopi ſcribebant, quas *pacificas* primum, ac deinde *formatas* Veteres appellarunt. Quamobrem S. Optatus Milevitanus de Siricio R. P. hæc ſcribit (*lib. 2. con. Parmen.*): *Cum quo totus Orbis commercio Formatarum in una communionis ſocietate concordat.* Sicut autem iſtiuſmodi communionis literæ ab Epiſcopis, aut etiam a R. Pontifice negabantur, non ideo a Catholicæ Eccleſiæ communione abſciſſus eſſe credebatur. Ea enim agendi ratio civilis quædam œconomia quandoque erat, qua ut Epiſcopi, & Romani Pontifices uterentur,

rentur, rerum adjuncta poſtulabant. Ea uſus eſt Damaſus R. P. cum Meletio, ſaltem anteqnam cum Paulino de Antiochena Sede convenit: uſi ſunt & Leonis M. Legati cum Epheſini Conventus Epiſcopis, eamque Leo ipſe probavit: *Illud*, inquit (*epiſt.* 80.), *quod præſentibus, & agentibus Noſtris conſtitutum eſt, approbamus; ut ſuarum interim Eccleſiarum eſſent communione contenti*.

Sed præter eam, de qua hactenus dixi, communionis negationem, quam ego vix *excommunicationem* appellaverim, erat alterum excommunicationis genus, quæ proprio nomine *anathema* dicebatur, eaque erat membri alicujus ab Eccleſiæ corpore abſciſſio.

Jamvero ſi de priori excommunicationis genere ſermo ſit, ea non ſemper olim juriſdictionis effectus erat. Juriſdictione enim nemo niſi in ſibi ſubjectum hominem uti poteſt. At vero ſuam ſibi mutuo communionem ſæpe negarunt etiam Epiſcopi, qui nullam in ſe invicem juriſdictionem habebant. Alterius vero generis excommunicatio effectus juriſdictionis eſt. Nemo enim Epiſcoporum niſi hominem ſibi ſubjectum ab univerſæ Eccleſiæ corpore abſcindere poteſt.

II. Ex his vero facile Febronii hac de re doctrina refellitur. Statuit ipſe (*cap.* 3. §. 4.): *Antiquam rationem excommunicandi, ejuſque jus non fuiſſe effectum juriſdictionis reſpectu excommunicati*, idque hoc argumento probat, quod etiam Epiſcopi alios Epiſcopos ſibi non ſubjectos excommunicaverint: Et concludit: *Hac ratione Eccleſiam Romanam... alias Eccleſias ſæpe excommunicaſſe... abſque ulla juriſdictionis ſpecie, vel umbra*. Scilicet utrumque, quod ſuperius exponebam, excommunicationis genus perperam confundit Febronius. Itaque Epiſcopi poſſunt equidem aliis Epiſcopis ſuam communionem negare, ſed eos a Catholicæ Eccleſiæ corpore ſeparare non poſſunt. Romanus vero Pontifex alios cujuſcumque Sedis Epiſcopos non modo ſua communione privare, ſed etiam ab univerſæ Eccleſiæ corpore abſcindere poteſt. Cum enim Romanus Pontifex ſit centrum unitatis, & Caput Eccleſiæ, quocum omnia membra communionem ſervare debent, ut Eccleſiæ membra ſint; Epiſcopi ab aliis Epiſcopis ſua communione privati, ab Eccleſiæ corpore abſciſſi non ſunt, niſi etiam a communione cum Romano Pontifice ſeparati ſint: tamdiu enim Eccleſiæ membra ſunt, quamdiu cum Capite communionem habent. Quare S. Cœleſtinus nihil ſibi metuere voluit eos, qui a Neſtorio communione privati erant, *Scientes, ab eo excommunicatos, vel dejectos in Apoſtolica Sedis permanere communione* (*Liberat. Brev. cap.* 5.). Et Vigilius in ſuo Conſtituto (*tom.* 5. *Concil. Labb. col.* 1348.) docet, eos ab Eccleſia abſcindi non poſſe, *quos ſibi inconvulſe unitos Apoſtolica judicavit Auctoritas*. Igitur ſolus demum

Romanus

Romanus Pontifex alium quemlibet ſive fidelem, ſive Epiſcopum a Catholicæ Eccleſiæ communione abſcindere poteſt. Ergo excommunicatio a Romano Pontifice lata effectus juriſdictionis eſt: quam vero in ſe invicem ferunt Epiſcopi, juriſdictionis effectus non eſt.

III. Sed effectus excommunicationis, ait Febronius (*ib. n. 3.*), *quæ a particulari aliqua Eccleſia, ejuſve Epiſcopo vigore juriſdictionis vere talis in ſibi ſubjectum, ſeu proprium ſuum diæceſanum fertur, nihilominus ex canonum diſpoſitione ſeſe ad univerſam extendit Eccleſiam, ita ut a ſuo Epiſcopo excommunicatus, ab alio recipi non debeat. Sic ſtatuunt Canones Apoſtolici 12. & 33. Concil. Nicæn. Can. 5. Concil. Sardic. Can. 16.*

Verum primo. Si juriſdictionis effectus eſt excommunicatio ab Epiſcopo in ſibi ſubjectum lata, quidni effectus juriſdictionis eſt excommunicatio lata a Rom. Pontifice in quemlibet etiam Epiſcopum? Æque enim excommunicationis a Romano Pontifice latæ, atque latæ ab Epiſcopo in ſibi ſubjectum, effectus ad univerſam Eccleſiam ſe extendit. Secundo. Ideo qui ab Epiſcopo ſuo excommunicatur, ab univerſæ Eccleſiæ corpore abſcinditur, quia excommunicationem ab Epiſcopo latam Romana etiam Eccleſia ratam habet. Canones enim, quibus cautum eſt, ne qui excommunicatus eſt a ſuo Epiſcopo, ab alio recipiatur, Romana ipſa Eccleſia vel conſtituit, vel probavit, confirmavitque; ne ſcilicet Oves ſuorum Paſtorum juſſa detrectent, & contemnant. Cæterum ſi qui ab Epiſcopo ſuo excommunicatus eſt, eum Romana Eccleſia in ſuam communionem reciperet, Eccleſiæ membrum adhuc eſſet. Nihil enim cuiquam ab aliorum Epiſcoporum ſententiis timendum eſt, ſi *in Apoſtolicæ Sedis communione permaneat*. Qui vero a Romano Pontifice excommunicatus eſt, is omnino ab Eccleſiæ communione ſejunctus eſt, ut ſuperius oſtendebam.

IV. *Attamen*, inquit Febronius (*ib. n. 2.*), *ſi Romanus Pontifex ſine legitima cauſa excommunicationem ferret, totaque Eccleſia, aut magna ejus pars judicaret, eam decerni non debuiſſe, tunc excommunicatus ab illo pro Schiſmatico habendus minime eſſet, dummodo animum retineret ſervandæ cum eodem Pontifice, tamquam Primate, unitatis, & ad recuperandam ejus communionem totis viribus elaboraret.*

Aſt Romani Pontifices arbitrati ſemper ſunt, ſe abſque Eccleſiæ conſenſu poſſe Chatholicæ Eccleſiæ communione privare eos, quos ipſi eâ pœnâ dignos judicaſſent; idque juris non ex Eccleſiæ conſenſu, ſed ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſibi vindicarunt. Victor quidem, ut narrat Euſebius (*h. e. lib. 5. cap. 24.*), omnes Aſianos Epiſcopos, qui Paſcha Judæorum more celebrabant, *prorſus a communione ſecludendos edicit*. Irenæus vero *Victorem decenter admonet, ne integras Dei Eccleſias morem ſibi a majoribus traditum cuſtodientes a communione*

munione abſcindat. Exiſtimavit igitur Victor, ſe ſuæ Sedis auctoritate integras Eccleſias a communione abſcindere poſſe; idque agnovit etiam S. Irenæus; alioquin irriſiſſet potius Victoris audaciam, quam ne eo progrederetur, ipſum *decenter* admonuiſſet. Cæterum ceſſiſſe Irenæo Victorem, nec Aſianos reipſa ab Eccleſiæ catholicæ communione abſcidiſſe, cenſent plures Eruditi Viri cum Henrico Valeſio (ad cum Euſeb. Loc.), & Natali Alexandro (*ſæc. 2. diſſ. 5. art. 5.*). Quamobrem ad rem non eſt, quod ait Febronius (*cap. 9. §. 7.*), Aſianos Victori non paruiſſe, nec tamen fuiſſe Schiſmaticos. Etiam Zoſimus (*epiſt. 3.*) de Herote, & Lazaro Epiſcopis: *Quamquam*, inquit, *ſpecialis illos Apoſtolicæ Sedis auctoritas omni communione ſubmoverit*. Et alibi: *Sacerdotali eos loco, & communione ſubmovimus*. Denique, ut alios ommittam, S. Cœleſtinus S. Cyrillo Alexandrino præcepit, ut Neſtorium, niſi decem dierum intervallo hæreticam doctrinam ejuraret, Sedis Apoſtolicæ auctoritate e Conſtantinopolitana Sede dejiceret, atque Catholicæ Eccleſiæ communione privaret; qua de re alibi plura dicam. Interea vero Cœleſtinus Eccleſiæ conſenſus ne meminit quidem; quod perſuaſum habuerit, Eccleſiæ non eſſe, Romani Pontificis ſententiam judicare, ſed quem ille Eccleſiæ communione privaverit, eum ab Eccleſia univerſa tamquam Ethnicum, & publicanum habendum eſse.

Quod ſi vero quis a Romano Pontifice injuſte Eccleſiæ communione privaretur, Schiſmaticus ille quidem coram Deo non eſſet, imo ſuæ ſibi innocentiæ certiſſime conſcius ſua munera obire poſſet, dummodo abſque aliorum offenſione, & Apoſt. Sedis contemptu id fieret, quemadmodum plerique Theologi docent. Præclare in hanc rem Innocentius III. (*cap. a nobis. De ſent. excomm. c.* 88.): *Judicium Dei*, inquit, *veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur: Judicium autem Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpe contingit, & falli. Propter quod contingit interdum, ut qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus, & qui liber eſt apud Deum, Eccleſiaſtica ſit ſententia innodatus*. Quæ res ſi contingat, Eccleſiæ ſententiam, qui ea ligatus eſt, ne contemnito, ne eo nomine reus fiat, ſed patienter ferto, aut ſuam innocentiam probato. Caroli Magni, & Synodi Tiburienſis conſilium ſequitor, quod legitur in Capitularibus, quæ eidem Carolo tribuuntur (*tom. 1. Concil. Balut.*): *In memoriam B. Petri Apoſtoli honoremus Romanam, & Apoſtolicam Sedem, ut quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat Magiſtra Eccleſiaſticæ rationis. Quare ſervanda cum manſuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur jugum, tamen conferamus, & pia devotione toleremus*. Dolendum ſane eſt, non interfuiſſe Synodo illi Febronium; hujuſmodi enim canonem aut non edendum,

aut

Digitized by Google

aut delendum ſtatim, curaſſet. Edixiſſet, jugum a Sancta Sede impoſitum non eſſe ullo modo ferendum, generale Concilium eſſe appellandum, decernendam in nationalibus conciliis ſubtractionem ab obedientia, non eſſe timenda cenſurarum fulmina, nec ſchiſmatis periculum ſubeſſe, dummodo cum Prima Sede, ideſt cum idea abſtracta, communio ſervetur. Hanc enim agendi rationem perſuadere conatur ille toto Capite IX. Sed non dubito, tantam impudentiam a piiſſimo Imperatore, atque a Tiburienſis Synodi Patribus caſtigandam fuiſſe.

CAPUT IX.

Quod Romano Pontifici divino jure convenit jus appellationum.

I. ROmanus Pontifex divino jure obtinet in univerſa Eccleſia Primatum non modo honoris, & ordinis, ſed etiam juriſdictionis (*ex ſuper.*): Convenit igitur divino jure Romano Pontifici auctoritas quorumlibet Epiſcoporum, & Synodorum judicia, & ſententias in quemlibet ſive Laicum, ſive Clericum, ſive Epiſcopum latas cognoſcendi: ergo & convenit ei jus appellationum.

Rurſus R. Pontifex ob ſuum in univerſa Eccleſia Primatum eſt Canonum Cuſtos, & Vindex. Ejus igitur eſt providere, ut cuique juxta Canones ſua jura ſerventur; nequis contra Canones judicetur; ut qui Canones violarunt, puniantur; ac demum ut qui contra Canones damnati ſunt, in ſua jura reſtituantur. Ergo & appellationes a quorumcumque Epiſcoporum, & Synodorum judicio ſuſcipere ſuo jure poteſt.

II. Quare Gelaſius R. P. (*epiſt.* 4.), cum Acaciani Canones ei opponerent: *Nobis*, inquit, *opponunt Canones, dum neſciunt, quid loquantur. Contra quos hoc ipſo venire ſe produnt, quod Primæ Sedi ſana, rectaque ſuadenti parere fugiunt. Ipſi ſunt Canones, qui appellationes totius Eccleſiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri: ab ipſa vero nunquam prorſus appellari debere ſanxerunt, ac per hoc illam de tota Eccleſia judicare, ipſam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari; ſententiamque illius conſtituerunt non oportere diſſolvi, cujus potius decreta ſequenda mandarunt.* Ne vero jus iſtud canonibus dumtaxat referatur acceptum, addit: *Quapropter non veremur, ne Apoſtolica ſententia reſolvatur, quam & Vox Chriſti, & majorum Traditio, & Canonum fulcit auctoritas, ut totam potius Eccleſiam ſemper ipſa dijudicet.* Et alibi (*epiſt. ad Epiſcopos Dardan.*): *Cuncta*, inquit, *per Mundum novit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententiis*

Digitized by Google

tentiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apoſtoli jus habeat reſolvendi, utpote quod de omni Eccleſia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus. Gelaſius igitur Rom. Pont. multo ante confictas a Pſeudo-Iſidoro decretales epiſtolas, vindicavit Romanæ Sedi jus appellationum ex Chriſti voce, ex Majorum Traditione, & ex Canonibus; quod ſcilicet jus illud Chriſtus inſtituerit, Majorum Traditio declaraverit, & Canones confirmaverint. Atque his quidem Gelaſii verbis, non vero falſis decretalibus, ut putat Febronius (*cap.* 5. §. 8. *n.* 2.), appellationum jus ſibi vindicavit Nicolaus I. (*epiſt.* 8. *ad Michaelem Imp.*) ſæculo IX.

Porro Gelaſius non de fidei cauſis tantum loquitur, ut vult Febronius (*ib.*), ſed generatim de quibuslibet cauſis, ut ex ejus verbis patet: nec *de judicio præliminari, reſervata ſemper univerſali Synodo ſua ampliore authoritate*; ſed de judicio integro quorumlibet Epiſcoporum etiam in Synodos Coactorum: *utpote quod*, inquit Gelaſius, *B. Petri Apoſtoli Sedes de omni Eccleſia fas habeat judicandi, & ab illa nemo ſit appellare permiſſus:* quod verum non eſſet, ſi B. Petri Sedes non etiam Synodorum judicia retractare poſſet, aut ſi Synodum generalem a Romanæ Sedis judicio appellare liceret.

CAPUT X.

Sardicenſis Synodus Romano Pontifici jus appellationum Epiſcoporum aſſeruit.

I. SArdicenſis Synodus celebrata eſt anno 347. Euſebianorum cauſa, qui S. Athanaſium, Marcellum Ancyranum, & Aſclepam Gazenſem a ſe damnatos, a Julio R. P. ſuis Sedibus reſtitutos eſſe, querebantur. Synodus 20. Canones edidit. Eorum tertius eſt hujuſmodi: *Si aliquis Epiſcoporum judicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat, ſe bonam cauſam habere, ut iterum Concilium renovetur: Si vobis placet, S. Petri Apoſtoli memoriam honoremus, ut ſcribatur ab his, qui cauſam examinarunt, Julio Romano Epiſcopo; & ſi judicaverit, renovandum eſſe judicium, renovetur, & det Judices: ſi autem probaverit, talem cauſam eſſe, ut non refricentur ea, quæ acta ſunt, quæ decreverit, confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus reſpondit: Placet.* Canon. IV. eſt: Gaudentius Epiſcopus dixit: *Addendum, ſi placet, huic ſententiæ, quam plena Sanctitate protuliſtis; ut cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit eorum*

Epiſcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit, agendum ſibi negotium in Urbe Roma, alter Epiſcopus in ejus Cathedra poſt appellationem ejus, qui videtur eſſe depoſitus, omnino non ordinetur, niſi cauſa fuerit in judicio Romani Epiſcopi determinata.

Canon VII. in Græco Codice V. Hoſius Epiſcopus dixit: *Placuit autem, ut ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & judicaverint congregati Epiſcopi Regionis ipſius, & de gradu ſuo eum dejecerint; ſi appellaverit, qui dejectus eſt, & confugerit ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, & voluerit ſe audiri; ſi juſtum putaverit, ut renovetur judicium, vel diſcuſſionis examen, ſcribere his Epiſcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua Provincia ſunt, ut ipſi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod ſi is, qui rogat cauſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſua moverit Epiſcopum Romanum, ut de latere ſuo Presbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi, quod velit, & quid æſtimet. Et ſi decreverit, mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, a quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio. Si vero crediderit, Epiſcopos ſufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod Sapientiſſimo Conſilio ſuo judicaverit.*

II. Jamvero Can. 3. non agitur de appellationibus. Nam 1. non memorantur: 2. ſtatuitur ut ad Julium ſcribatur *ab his, qui cauſam examinarunt*, hoc eſt qui primo cauſam judicarunt; quod ab appellatione alienum eſt: 3. cum Zoſimus R. P. appellationum jus ſuæ Sedi adverſus Africanos vindicavit, non tertium Sardicenſem Canonem, ſed ſeptimum allegavit. Itaque eo Canone ſolum agitur de ſecundo judicio, quod Epiſcopus damnatus peteret ſine appellatione, quodque finitimi Epiſcopi redintegrare poterant, quin opus eſſet, ut ad R. Pontificem ſcriberent. Statuitur igitur, ut ea de re ſcribatur Julio R. Epiſcopo, *ut det ipſe Judices*. Cum vero novum id eſſet, id ſe ſtatuere dicunt, ut Sancti Petri Apoſtoli memoriam honorent; præſertim contra Euſebianos, qui contendebant, R. Epiſcopum Epiſcoporum Orientalium cauſis immiſcere ſe non debere. Huc ſpectant quæ ſcribunt Sardicenſes Patres in epiſtola Synodica ad Julium: *Hoc enim optimum, & valde congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad Caput, ideſt ad Petri Apoſtoli Sedem de ſingulis quibuſque Provinciis Domini referant Sacerdotes.* Hæc cum ita ſint, non opus eſt, ut quæ ex eo canone contra appellationum jus colligit Febronius (*cap.* 5. §. 6. *n.* 1. & 2.), refellam: quamquam ex eo etiam Canone appellationum jus Rom. Pontifici egregie vindicat Natalis Alexander (*in h. e. ſæc. V. diſſert.* 28.).

III. Canone 4. agitur de appellationibus a judicio Epiſcoporum non propriæ Provinciæ, qui primo judicarunt, ſed eorum, qui in vicinis locis commorantur, & a quibus judicium renovatum eſt: atque

que ſtatuitur, ut in appellantis Epiſcopi locum *alius non ordinetur*; *niſi cauſa fuerit in Judicio Epiſcopi R. determinata*. Non igitur jus dumtaxat *decernendi cauſæ reviſionem*, & Judices dandi, ut comminiſcitur Febronius (*ib. n.* 2.), ſed integra cauſæ cognitio R. Epiſcopo reſervatur; quod appellationis proprium eſt. Atque ita quidem Canonem hunc intellexere Græci. *Cum dixiſſent Patres*, inquit Balſamon, *Provincialium ſententiam appellationi ſubjici, & a propinquis Epiſcopis juſſu Papæ examinari; non dicunt, quid fieri debeat, ſi is, qui appellavit, condemnatus fuerit, & ſe rurſus gravari dicat. Statuunt igitur, ut res in integro maneat, & in ejus, qui eſt condemnatus, Eccleſia alius non eligatur, niſi ſecunda appellatio a Papa examinata fuerit*.

IV. Canone quoque 7. de appellationibus agitur, atque aſſeritur R. Epiſcopo auctoritas dandi Judices Epiſcopos finitimæ Provinciæ, qui omnia diligenter inquirant, & juxta fidem veritatis definiant; & mittendi legatos, qui Apoſtolicæ Sedis auctoritate cum illis judicent. Epiſcopi autem iſti non ii ſunt, qui primo judicarunt, neque iſtis ii ſunt addendi. Nam 1. canone 4. & 7. Epiſcopi dumtaxat finitimæ Provinciæ memorantur. Deinde canone 3. ſtatuitur, ut Romanus Epiſcopus det Judices, non vero ut primis Judicibus alios addat. Præterea Sardicenſis Canonis 7. cauſa fuit, ut Epiſcopus inique forte damnatus, ſuo juri reſtituatur. Si autem Epiſcopi, qui primo judicarunt, etiam ſecundo judicare deberent, vix id fieri poſſet; eoſque damnatus Epiſcopus veluti ſibi ſuſpectos, & infenſos merito recuſaret. Statuit igitur Synodus Canone 7. ut Epiſcopus Romanus, ſi juſtum putaverit, novos Judices eligat ex finitima Provincia. Neque obſtant verba canonis 3. *ut renovetur Concilium, ut renovetur judicium*, aut verba Canonis 7. *ut renovetur examen*, aut verbum *retractandi*, quo utitur Dionyſius Exiguus in Lemmate Canonis 7. Hæc enim ſignificant dumtaxat, aliud Concilium cogendum eſſe, & judicium redintegrandum. Quinam vero novum Concilium conficere debent? Nempe finitimæ Provinciæ Epiſcopi a Romano Pontifice deſignati; de his enim tantummodo loquuntur Sardicenſes Patres.

Jam vero ſi poteſt Romanus Epiſcopus, interpoſita ab Epiſcopo damnato appellatione, dare novos Judices, & mittere Legatum ſuum, qui cum datis Judicibus Apoſtolicæ Sedis auctoritate judicet, poteſt etiam ſe ipſo prius judicium irritare, aut confirmare: poteſt integram Cauſæ cognitionem ſibi reſervare, & ad ſuum Tribunal revocare. Neque enim delegans Judex minorem habet delegato Judice auctoritatem. Præterea novos Judices dare, finitimos Epiſcopos Judices conſtituere, non neceſſitatis eſt, ſed dignationis: *dignetur ſcribere*, ajunt Patres (*can.* 7.), ut ſcilicet facilius, & citius

Google

Cauſæ in Provinciis ipſis finiantur. Si igitur cauſam ipſe cognoſcere, & decernere velit, ſuo jure decernere poteſt.

Denique Epiſcoporum Judicium, non eorum modo, qui primo, ſed etiam eorum, qui ſecundo judicarunt, interpoſita appellatione, firmum non eſt, niſi a Romano Epiſcopo confirmatum fuerit; ut patet ex Canonum verbis, & ſententia. Poteſt igitur R. Epiſcopus latum judicium non confirmare; alioquin inutilis eſſet ejuſmodi confirmatio: ergo poteſt etiam illud irritare: ergo & novum inſtituere. Quare S. Leo M. (*epiſt. 10. ad Epiſcopos Vienn. Prov.*) ait: *Nobiſcum itaque veſtra Fraternitas recognoſcat, Apoſtolicam Sedem pro ſui reverentia a veſtræ etiam Provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus eſſe conſultam, & per diverſarum, quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat, appellationem cauſarum aut retractata, aut confirmata fuiſſe judicia.*

V. Audiamus nunc Febronium, qui argumentis ipſi cum Petro de Marca communibus, & ſuperius refutatis hoc addit (*ib.* §. 6. *n.* 3.); verbum *appellaverit* can. 7. improprie ſumi; græce enim effertur ὥσπερ ἐκκαλεσάμενος, *quaſi appellans*; imo referendum eſſe non ad R. Epiſcopum, ſed ad novum judicium.

Sed nugatur Febronius. Primo enim Sardicenſes Canones latine primum ſcripti ſunt, teſte Dionyſio exiguo. Deinde ὥσπερ, non neceſſario ſignificat *quaſi*, ſed ſæpe *ſicut*, *ut*, *veluti*, *ita*. Adde, Codicem Veronenſem editum a Cll. Balleriniis (*tom. 3. oper. S. Leon.*) habere: *& confugerit ad provocationem B. Epiſcopi Romanæ Eccleſiæ*: quæ verba veram appellationem ſignificant. Denique Canone 7. ſimul copulantur verba *appellaverit*, *& confugerit*: Verbum autem *confugerit*, ad Romanum Epiſcopum procul dubio referendum eſt: ergo & verbum *appellaverit*.

Illud autem hoc loco diligenter notari velim, non novum jus condidiſſe Sardicenſem Synodum, ſed vetus firmaſſe. Nam Canone 4. ſtatuit, ut *cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit, & proclamaverit &c.* & Canone 7. ut *ſi appellaverit, qui dejectus eſt &c.* Igitur veluti certum, & uſu receptum exiſtimavit, Epiſcopos depoſitos Epiſcopum Romanum appellare poſſe, atque dumtaxat, quid ſit agendum, ſtatuit, ſi Epiſcopum damnatum appellare contigerit. Quare Innocentius I., qui anno 402. ideſt 55. annos poſt Sardicenſem Synodum Romanus Pontifex renunciatus eſt, cauſas majores, ideoque etiam Epiſcoporum appellationes ſibi reſervat (*epiſt. ad Victric. Rhotom.*), *ſicut Synodus ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit*. Veterem autem conſuetudinem non appellaſſet, quæ ultra 55. annos non aſcendiſſet. Ergo etiam ante Sardicenſem Synodum appellationes Epiſcoporum ad Apoſtolicam Sedem obtinuerunt, eaſque Sardicenſes

Patres

Patres firmarunt, agendi rationem prætcrea ſtatuentes, ſi Epiſcopos deinceps appellare, contigiſſet.

CAPUT XI.

Sardicenſes Canones tum in Oriente, tum in Africa obtinuiſſe.

I. SArdicenſium Canonum *in Oriente, & in Africa vix ullum fuiſſe uſum, quin eidem data opportunitate contradictum eſſe, deprehenditur*, ait Febronius (*cap.* 5. § 7.). Sed cum non ignoret, S. Gelaſium in ſuperius memorata epiſtola, in qua ſuæ Sedi appellationum jus vindicat, exempli loco Athanaſii, Johannis Chryſoſtomi, & Flaviani appellationes afferre, Gelaſii verba primum interpretari conatur (*ib.* §. 8.); deinde vero cum clariorem eſſe Gelaſii ſententiam intelligat, quam ut ullam aliam interpretationem pati queat, addit: *Cæterum ſententia Gelaſii rectiorem interpretationem, aut, ſi ejus verbis præciſe inſiſtere malis, certiorem refutationem recipere non poteſt, quam in accurata diſcuſſione trium illuſtrium exemplorum, ad quæ provocat.* Viden' hominis impudentiam? Gelaſius Sanctiſſimus, atque doctiſſimus Pontifex, qui Sæculo V. exeunte floruit, Acacianis exempla Athanaſii, qui ſæculo IV. Johannis Chryſoſtomi, & Flaviani, qui eodem V. ſæculo Apoſtolicam Sedem appellarunt, confidentiſſime objicit, neque ne ab iis refutetur, metuit; Et Febronius tamen ſe eum certiſſime refutaturum eſſe, confidit. Sed nimis quidem multus ego eſſem, ſi & memorata, & alia appellationum exempla afferre, & vindicare vellem. Provinciam hanc aſsumpſere plures Eruditi Viri, Chriſtianus Lupus (*tom.* 8. *oper.*), Natalis Alexander (*ſæc.* 4. *diſſ.* 28.), David (*de judic. canon. Epiſc.*), Gerardus Caſteel (*de appell. ad Romanam Sedem*), aliique. Unius ego Flaviani Appellationem vindicabo, ut Febronio demonſtrem, in Oriente Sardicenſes Canones obtinuiſse.

II. Itaque S. Flavianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus ab Epheſina Synodo, cui Dioſcorus Alexandrinus præfuerat, damnatus Libellum appellationis S. Leonis Magni Legatis dedit. Ea de re fidem faciunt ipſe Leo (*epiſt.* 41. *ad Theodoſium Imper.*), Liberatus (*Brev. cap.* 12.), & Valentinianus Imperator (*epiſt. ad Theodoſ. inter Leon.* 41.): *Ut quia*, inquit S. Leo, *& noſtri fideliter reclamarunt, & eiſdem libellum appellationis Flavianus Epiſcopus dedit. Flavianus*, ait Liberatus, *contra ſe prolata ſententiâ, per Legatos Sedem Apoſtolicam appellavit libello.* Demum Valentinianus: *Debemus*, inquit, *cum omni*

cum omni competenti devotione defendere (fidem) , *& dignitatem propriæ venerationis B. Apoſtolo Petro intemeratam & in noſtris temporibus conſervare: quatenus Beatiſſimus Romanæ Civitatis Epiſcopus, cui Principatum Sacerdotii ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat, & facultatem de fide, & Sacerdotibus judicandi... Hujus enim rei gratia ſecundum ſolemnitatem Conciliorum & Conſtantinopolitanus Epiſcopus eum per libellos appellavit propter contentionem, quæ orta eſt de Fide.*

III. Sed reſpondet Febronius (*ib.* §. 9. *n.* 3.): *Poſt hanc appellationem S. Leo convocationem Concilii generalis apud Theodoſium urget:* = quam autem, inquit, poſt appellationem interpoſitam hoc neceſſario poſtuletur, Canonum Nicææ habitorum decreta teſtantur = : *Itaque Leo ſicuti vigore eorundem canonum de cauſæ meritis, & ſubſtantia judicare non poterat, ita nec Flaviani cauſam coram ſe fecit ventilari, nec ejus judicandi poteſtatem ſibi arrogavit. Ergo ideo Legatis libellum appellationis dedit Flavianus, ut Leonis ope obtineret ſuæ cauſæ in legitima Synodo retractationem.*

Verum ſi S. Flavianus non in Apoſtolica Sede, ſed ſolum in legitima Synodo irritandi judicium Epheſi in ſe latum auctoritatem agnoviſſet, non Apoſtolicam Sedem, ſed legitimam Synodum appellaſſet. Nemo enim Judicem, qui cauſam decernere nequeat, appellaverit. Cum igitur Flavianus Sedem Apoſtolicam appellaverit, in Apoſtolica Sede decernendæ cauſæ auctoritatem agnovit. Et Leo quidem Flaviani cauſam ante decrevit, quam a Theodoſio Synodum poſtulavit. Hilarius enim Diaconus Leonis Legatus, qui Epheſo Romam ſtatim redierat, ut Leonem de iis, quæ Epheſi geſta erant, certiorem faceret, ſcripſit Romà ad Pulcheriam Auguſtam (*epiſt.* 46. *inter Leon.*): *A Præfato Papa cum omni Occidentali Concilio reprobata omnia, quæ in Epheſo contra Canones, per tumultus, & odia ſæcularia a Dioſcoro Epiſcopo geſta ſunt.... & præjudicio Sanctiſſimi Viri, innoxiique commiſſa ſunt.* Ipſe Leo Theodoſio (*ep.* 44), Pulcheriæ Auguſtæ (*epiſt.* 45.), Presbyteris, & Archimandritis (*epiſt.* 50.) ſcripſit, in ſua, & ſuæ Synodi communione Flavianum perſeverare, & quæ contra eum acta fuerant, irrita haberi, & qui ejus Sedem auſus fuiſſet invadere, eum inter Epiſcopos numerandum non eſſe. Judicaverat igitur Leo Flaviani cauſam, velit nolit Febronius. Sed rogat: Cur ergo Synodum a Theodoſio poſtulavit Leo? Nempe non ut Fidei, aut Flaviani cauſa ad examen quaſi dubia vocaretur, *ſed ne*, ut ipſe ait, *aliquid ultra ſit vel in fide dubium, vel in charitate diviſum; convenientibus utique Orientalium Provinciarum Epiſcopis, quorum ſiqui ſuperati minis, atque injuriis a veritatis tramite deviarunt, ſalutaribus remediis in integrum revocentur, ipſique, quorum eſt cauſa durior, ſi conſiliis melioribus acquieſcant, ab Eccle-*

ab Eccleſiæ unitate non excidant. Qui autem ita ſcribit, cauſam non judicandam, ſed judicatam eſſe, veluti certum habet. Præterea Leo Dioſcorum, qui Flavianum damnaverat, in habenda Synodo ſedere vetuit, tantumque *ut audiendus intromitteretur*, permiſit (*act.* 1. *Concil. Chalc.*). Igitur & Flavianus Leonem appellavit, & Leo ejus cauſam jure ſuo judicavit. De cauſa tamen cur Synodum Leo poſtulaverit, dicam alibi diligentius

IV. In Africa quoque appellationes obtinuiſſe, colligitur ex S. Auguſtino. Cum enim Antonius Fuſſalenſis Epiſcopus ab Africana Synodo, ipſo Auguſtino agente, abdicatus Apoſtolicam Sedem appellaſſet, ſcripſit S. Auguſtinus S. Cœleſtino I. R. P. (*epiſt.* 261.), quæ contra Antonium in Synodo geſta fuerant, eumque rogavit, ne Antonium ſuæ Sedi reſtitueret, alioquin ſe Epiſcopatu ceſſurum. Cum vero conquereretur Antonius, ſe, honore Epiſcopatus ſervato, Sede privatum eſſe, plures recenſuit Auguſtinus Epiſcopos ſimili pœna damnatos; affirmavitque, eamdem ſententiam ab Apoſtolica Sede, quam illi appellaverant, confirmatam fuiſſe: *Exiſtat exemplo*, inquit, *ipſa Sede Apoſtolica judicante, vel aliorum judicata firmante, quoſdam pro culpis quibuſdam nec Epiſcopali ſpoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos. Quæ ut a noſtris temporibus remotiſſima non requiram, recentia memorabo. Clamet Priſcus &c.* A remotis igitur temporibus uſu in Africa receptum erat, ut Epiſcopi ſaltem a Synodis damnati Apoſtolicam Sedem appellarent. Inferiores enim Clerici appellare vetabantur, ut colligitur ex Canonibus Synodorum II. & V. Carthaginenſium.

V. Nihilominus Auguſtini ipſius ætate magna de appellationibus controverſia orta eſt inter Africanos Epiſcopos, & Apoſtolicam Sedem. Cum enim Apiarius Presbyter ab Urbano Siccenſi Epiſcopo damnatus Apoſtolicam Sedem appellaſſet, Zoſimus R. P. Fauſtinum Epiſcopum Legatum ſuum cum duobus Presbyteris in Africam miſit, ut Apiarii cauſam cognoſceret, eumque in integrum reſtitueret; & præterea ut de Epiſcoporum appellationibus cum Africanis ageret. Quamobrem Commonitorio Legatis dato Sardicenſes Canones inſeruit, quos Eccleſiæ Romanæ more Nicænos inſcripſit; ſive quia in Codice Eccleſiæ Romanæ perpetua ſerie poſt Nicænos deſcripti erant, quemadmodum in Juſtelli Codice, aliiſque reperti ſunt, ſive quia ab iiſdem fere Patribus, qui Nicænos ediderant, Oſio Cordubenſi Duce, conditi erant, ut propterea veluti Nicænorum Canonum appendix haberentur. His porro Canonibus, ac præſertim canone 7. appellationum jus ſuæ Sedi Zoſimus vindicabat. Et de Canonum quidem ſententia nulla fuit concertatio; iis enim appellationum jus Romanæ Sedi aſſeri, clarius exiſtimarunt Africani Epiſco-

Digitized by Google

Epiſcopi, quam ut ea de re vel levis ſuſpicio oriri poſſet. Idque Febronium, qui id negat, diligenter notare, velim. Itaque Nicæni ne revera eſſent Canones illi, diſceptatum eſt. In exemplaribus enim a Cœciliano Carthaginenſi Epiſcopo, qui Nicæno Concilio interfuerat, in Africam allatis non reperiebantur. Ergo Africani Epiſcopi genuina Nicæni Concilii exemplaria Alexandriâ, & Conſtantinopoli afferenda curarunt, polliciti, ſe Canonem a Fauſtino allegatum ſervaturos, ſi a Nicæno Concilio editum eſſe, conſtaret. Interea vero Canonem ſervare, & exequi ſtatuerunt. Conſtant hæc ex Actis Concilii Carthaginenſis VI. Apiarium præterea gradui ſuo reſtituerunt, eumque ab Eccleſia tantum Siccenſi, ut ſcandala præcaverent, removendum eſſe, cenſuerunt, *ut accepto epiſtolio, ubicumque alibi vellet, & poſſet, Presbyteri munere fungeretur.* (*epiſt. ad Bonif. I. tom. 3. Conc. Labb. col. 528.*)

Interea temporis allati ſunt Alexandriâ, & Conſtantinopoli Nicæni Canones, neque inter eos Canon a Zoſimo allegatus repertus eſt. Sed Cœleſtinus tamen Bonifacio I. ſuffectus, Apiarii ob nova crimina iterum damnati appellationem ſuſcepit, atque Fauſtinum in Africam remiſit, ut Apiarium gradui ſuo, & communioni Eccleſiæ reſtitueret: Sed fruſtra. Apiarius enim coram Synodo, & Fauſtino ſua criminum confeſſione convictus eſt. Hæc narrant Africani Patres in Epiſtola ad Cœleſtinum I. (*ib. col. 532.*), & addunt: *Impendio deprecamur, ut deinceps ad veſtras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere, quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum, facile advertet Venerabilitas tua.... Presbyterorum, & ſequentium Clericorum improba refugia repellat; quia & nulla Patrum definitione hoc Eccleſiæ derogatum eſt Africanæ, & decreta Nicæna ſive inferioris ordinis Clericos, ſive ipſos Epiſcopos Metropolitanis ſuis apertiſſime commiſerunt... aut quomodo ipſum tranſmarinum judicium ratum erit, ad quod teſtium neceſſariæ perſonæ vel propter Sexus, vel propter Senectutis infirmitatem, multis aliis intervenientibus impedimentis, adduci non poterunt? Nam ut aliqui, tanquam a tuæ Sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo conſtitutum.*

Jamvero tum ex Auguſtino, tum ex Africanorum agendi, & ſcribendi ratione hæc certo colligere poſſe mihi videor, ſcilicet longe ante exortam controverſiam, appellationes in Africa obtinuiſſe: Cum vero non modo Epiſcopi, ſed etiam inferiores Clerici frequentiores Apoſtolicam Sedem appellare cœpiſſent, Africanos propter earum incommoda, & diſciplinæ detrimentum eas improbaſſe; alacriores vero ad eas impugnandas factos eſſe falſa, ut ipſi putabant, Nicænorum Canonum allegatione, ſed de rei veritate demum

certiores

certiores factos, ut Epiſcopi ſaltem Apoſtolicam Sedem appellarent, non ægre tuliſſe.

Illud vero in hanc controverſiam, quod notetur, dignum eſſe, cenſeo; Africanos appellationum excipiendarum auctoritatem Rom. Pontifici nunquam denegaſſe; ne poſtea quidem, quam Canones a Fauſtino in Africam allatos, vere Nicænos non eſſe, compertum habuerunt. Primo enim Cœleſtinum *impendio depreeati ſunt*, ut Clericorum, imo & Epiſcoporum appellationes repelleret. Deinde vero ſcripſerunt, Nicæna decreta Clericos, & Epiſcopos Metropolitanis ſuis commiſiſſe; id cauſæ allegantes, non quidem ut de appellationum jure cum Pontifice contenderent, ſed ut precibus pondus adderent. Poſtremo enim ut qui hujuſmodi cauſæ parum confiderent, appellationum incommoda, & transmarini judicii difficultates ob oculos Pontificis poſuere, ut his demum cauſis ad repellendas appellationes adduceretur. Africani igitur Pontificis auctoritatem non poſthabuere Conciliorum auctoritati, uti temere ait Febronius (*cap.* 1. §. 7. *n.* 10.), ſed potius prætulere; alioquin enim Pontificem non rogaſſent, ne Nicæni Concilii ſtatutis, & Africanæ Eccleſiæ conſuetudini derogaret, ſed ſaltem poſt compertam allegatorum Canonum falſitatem, Pontificis arrogantiam contempſiſſent. Agnoverunt igitur etiam Africani in Pontifice recipiendarum ex Africa appellationum auctoritatem.

CAPUT XII.

Quædam Febronii argumenta refutantur.

I. IMperator *Juſtinianus*, inquit Febronius (*cap.* 5. §. 6.), *Nov.* 123. *cap.* 22. *omnes judiciorum Eccleſiaſticorum inſtantias, ſcilicet Epiſcopi cum ſua Synodo, Metropolitani, & congregati cum eo Provincialis Concilii, demum Patriarchæ, ſeu Primatis recenſet; & de hoc in fine addit* = *Nulla parte ejus ſententiæ contradicere volente* =. Idem fere ſtatuunt Concilium Lugdunenſe II. anno 567. habitum, Capitula ab Hadriano I. anno 785. Ingilramno Metenſi Epiſcopo tradita, Concilium Francofurtanum anni 794. can. 6., ac demum idem ſcribit Hincmarus ad Nicolaum I., atque ita concludit Febronius: *Hæc ſufficiunt, & ſufficiſſent ad excludendas appellationes Romanas, niſi Iſidorianis decretis tanta Eccleſiæ, & Traditionis monumenta obſcurata, & quodammodo convulſa fuiſſent.*

Antiquiſſima quidem, & præclariſſima hæc Eccleſiæ, & Traditionis monumenta ſunt: Juſtinianus Sæculi VI. Imperator, qui ſæpe,

 invita

invita etiam Minerva, Theologum egit, qui contra Chalcedonenſem Canonem Eccleſiaſticas Provincias diviſit, qui Primatum Eccleſiæ Theſſalonicenſi eripuit, eoque Urbem, in qua ipſe ortus eſt, inſignivit: paucis, qui Eccleſiam ſibi ſubdidit: Deinde duo Provincialia Concilia, quorum alterum Sæculo VI. alterum Sæculo VIII. exeunte celebratum eſt: præterea Capitula, quorum Auctorem eumdem cum Epiſtolarum decretalium Auctore fuiſſe, Eruditi Viri plerique ſentiunt; quæque vel ipſe Febronius ex falſis illis epiſtolis compoſita eſſe, putat (*cap.* 8. §. 2. *n.* 1.): ac denique Hincmarus, qui Sæculo IX. floruit, Vir cum Regibus etiam contendendo facilis, & eorum, qui deinceps Apoſtolicæ Sedis auctoritatem impugnare auſi ſunt, facile Anteſignanus. Iſta vero ne ſunt tanta illa Eccleſiæ, & Traditionis monumenta, quæ ad excludendas Romanas appellationes ſufficiunt? Sed quid, rogo, ſunt Canones Sardicenſes IV. Sæculo ab œcumenica Synodo editi? Quid Zoſimi, Bonifacii, Cœleſtini, Leonis Romanorum Pontificum auctoritas? Athanaſii, Johannis Chryſoſtomi, Flaviani, aliorumque appellationes, quid? Quid Gelaſii auctoritas, & argumenta? An non monumenta hæc ſunt Juſtiniano, memoratis Conciliis, Capitulis, Hincmaro, & falſis decretalibus vetuſtiora, multoque pluris facienda? Sed Febronius, cum, quo ſe vertat, ignorat, Iſidoriana decreta opponere ſolet, ut incautos fallat. At vero argumentis ego ex Scripturis, & Veteris Eccleſiæ traditione, atque ex aliis monumentis Pſeudo-Iſidoro antiquioribus, deſumptis, pro Rom. Pontificis auctoritate depugnavi hactenus, iiſdemque, ſi Superis placet, depugnabo deinceps.

II. Cæterum Juſtinianum quidem de civilibus Epiſcoporum cauſis agere, Natali Alexandro (*ſæc.* 4. *diſſ.* 28.), aliiſque notatum eſt. Concilium Lugdunenſe judicia dumtaxat recenſet, ut vocant *ordinaria*, nec appellationes excludit. Sagittarius enim, & Salonius Epiſcopi a Concilio illo damnati, Johannem III. appellarunt, ut narrat Gregorius Turonenſis (*hiſtor. Franc. lib.* 5. *cap.* 20.). Concilium Francofurtanum etiam Regi facultatem facit Epiſcoporum judicia cognoſcendi. Quamobrem de civilibus Epiſcoporum cauſis illud agere, crediderim. Memorata Capitula ſic ſtatuunt (*cap.* 20. *tom.* 8. *Concil. Labb. col.* 602.): *Si ipſe* (qui damnatus eſt) *Metropolitanum, aut judices ſuſpectos habuerit, aut infeſtos ſenſerit, apud Primatem Diœceſeos, aut apud Romanæ Sedis Pontificem judicetur*. Et cap. 23. *Placuit: Si Epiſcopus accuſatus Rom. Pontificem appellaverit, id ſtatuendum, quod ipſe cenſuerit*. Viden' Febronii ingenium? Sicubi Capitula illa Rom. Pontificis auctoritati adverſari videntur, ſunt præclara Eccleſiæ, & Traditionis monumenta; ſicubi favent, ſunt Pſeudo-Iſidori commenta.

III. Quid

III. Quid vero, quod S. Bernardus (*lib. 3. de Conſid. cap. 2.*) in appellationes vehementius invehitur? *Quouſque*, inquit Eugenium Papam alloquens, *non evigilat conſideratio tua ad tantam appellationum confuſionem atque abuſionem? Præter jus, & fas, præter morem, & ordinem fiunt.... Volentes malignari, nonne his potiſſimum terreri ſolebant? Nunc terrori ipſi ex his magis fiunt, atque id magis bonis. Antidotum verſum eſt in venenum*: aliaque plura appellationum mala enumerat alibi (*ep. 178. 179. 180.*): *Eædem autem querelæ*, inquit Febronius (*ib. n. 3.*), *a tot ſæculis in hunc uſque diem perdurant*. Deinde S. Bernardo addit Conradum Uſpergenſem Virum Schiſmaticum (*chron.*) & Hiſdebertum Archiepiſcopum Turonenſem (*ep. 82. ad Honorium II.*).

Verum hi, & S. Bernardus præſertim, appellationum abuſum dumtaxat, & frequentiam queritantur. S. Bernardus paulo ante verba a Febronio deſcripta: *Magno*, inquit, *in his, & pio opus intuitu eſt, ne quod magna fuit neceſſitate proviſum, male utendo, reddatur inutile*. Et paulo infra: *Nunc vero non te exiſtimes otioſe vacare huic conſiderationi, qua appellationes ad antiquum, ſi fieri poteſt, revoces uſum... prorſus fovendæ, & manutenendæ ſunt; ſed quas extorſit neceſſitas, non calliditas adinvenit*. Sed his malis, quidquid muſſitet, & queritetur Febronius, occurrerunt jam Tridentina Synodus, Clemens VIII. Gregorius XV. Urbanus VIII. Benedictus XIII. ac præſertim Benedictus XIV. Conſtitutione data III. Kalend. April. anno 1742. ut proinde inanes nunc temporis ſint Febronii, aliorumque ejus ſimilium adverſus appellationes querelæ; *utpote*, inquit Benedictus XIV. (*ibid.*) *ex hac unica re cauſam, & originem habentes, quod inferioribus grave ſit obedientia ac ſubjectionis jugum erga majora tribunalia, ipſiſque nimis diſpliceat, ſibi ſubditis appellationis beneficio ſuccurri*: Quæ quidem vere a doctiſſimo Pontifice dicta eſſe, ea, quæ hactenus de appellationibus dicta ſunt, palam faciunt.

CAPUT XIII.

De R. Pontificis in Fidei cauſis decernendis auctoritate: Hanc ſummam eſſe, nec errori obnoxiam, oſtenditur ex Scripturis.

I. AC primo quidem Rom. Pontificem, ſi Fidei, & morum cauſas ex Apoſtolico Tribunali decernat, errare non poſſe, ex iis Scripturæ locis colligitur, quibus ſuperius juriſdictionis primatum in univerſa Eccleſia illi datum eſſe demonſtravi. Chriſtus enim ſuper Petrum, Petrique Succeſſores Rom.

Pontifices Eccleſiam ſuam ædificavit, claves regni Cœlorum iis dedit, omneſque ſuas oves iis paſcendas commiſit. Si autem Romanus Pontifex in fidei, & morum cauſis finiendis errare, erroremque fideles docere poſſet, nec firmum eſſet Eccleſiæ fundamentum, nec tutus Paſtor ovibus datus eſſet: Paſtore enim errante, oves quoque errent neceſſe eſt: Quæ quoniam abſurda plane ſunt, illud conſequitur, Rom. Pontificem Eccleſiæ univerſæ Caput, Rectorem, & Paſtorem in fidei cauſis finiendis errare non poſſe.

II. Deinde Chriſtus Lucæ cap. 22. ait Petro: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Duo his verbis privilegia S. Petro a Chriſto data eſſe, vulgo docent Sacrarum Scripturarum Interpretes, ac Theologi: alterum quidem non deficiendi a Fide, alterum vero non errandi in docendis fidelibus. Primum Petri proprium, & perſonale fuiſſe, non negamus: alterum ad ejus quoque ſucceſſores tranſiiſſe, affirmamus. Quamquam Bellarminus (*de Rom. Pont. lib.* 4. *cap.* 6.) non temere exiſtimavit, utrumque privilegium ad Petri Succeſſores tranſiiſſe, quod eorum nemo tot ab hinc ſæculis in hæreſim lapſus ſit. Sed de priore privilegio ſolliciti nos eſſe nolumus. Poſterius vero privilegium ad Petri Succeſſores tranſiiſſe, contendimus. Nam Gelaſius quidem (*epiſt.* 14.), Pelagius II. (*epiſt.* 5. *ad Eliam*), Vitalianus (*epiſt. ad Paul. Epiſc. Cretenſ.*), & Hadrianus I. (*Epiſt. ad Carolum Regem*) totum Evangelicum textum ſuperius deſcriptum, ad Romanos Pontifices retulerunt. S. Agatho vero (*epiſt. ad Imper. Conſtantinum*) S. Leo IX. (*epiſt. ad Petrum Antioch.*), S. Bernardus (*epiſt.* 190. *ad Innocentium II.*), & alii privilegium non deficiendi a Fide Petro a Chriſto datum, ad Petri quoque Succeſſores Rom. Pontifices tranſiiſſe, apertiſſime docent. *Hæc Apoſtolica Chriſti Eccleſia*, ait S. Agatho, *per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apoſtolicæ Traditionis nunquam erraſſe, probabitur; nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit; ſed ut ab exordio fidei Chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Principibus, illibata finetenus permanet, ſecundum ipſius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam ſuorum diſcipulorum Principi in ſacris Evangeliis fatus eſt:* Petre, Petre *inquiens*, Ecce Satan expetivit ut cribraret vos, ſicut qui cribrat triticum: ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos. *Conſideret itaque veſtra tranquilla Clementia, quoniam Dominus, & Salvator omnium, qui fidem Petri non defecturam promiſit, confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt manifeſtum*. Porro S. Agathonis epiſtola in ſexta Sy-

nodo generali (*act.* 4.) perlecta, & ab univerſa Synodo veluti à Spiritu S. dictata, & Petri manu ſcripta, ſuſcepta, & probata eſt.

III. *Aſt*, inquit Febronius (*cap.* 5. §. 1. *n.* 2.), *genuinus, & naturalis ſenſus ſacrorum verborum, de quibus agimus, eſt hujuſmodi: Petrus equidem negabit Dominum, & Magiſtrum ſuum, nihilominus poſt agnitum errorem reſurgens a lapſu Fratres, & Coapoſtolos ſuos in Fide confirmabit, ipſe futurus in ea ſtabilis. Hujus autem promiſſionis efficaciam ad Petri Succeſſores tranſituram, nemo ſuſtinebit... Sic ea Verba communiter accipiunt, & interpretantur Patres, & Doctores, nominatim Tertullianus lib. de fuga in perſec. cap. 2. Cyprianus epiſt. 8. & in lib. de Orat. Dom. Hilarius lib. 1. de Trinit. Chryſoſtomus, Auguſtinus, Cyrillus Alex. Leo, Proſper, Beda, & alii.*

Verum Promiſſionis Chriſti efficaciam etiam ad Petri Succeſſores tranſiiſſe, *ſuſtinuit* S. Agatho in epiſtola, quæ ab œcumenica Synodo veluti divine perſcripta probata eſt: *Suſtinuere* illi Pontifices, quos paulo ſuperius recenſui: *ſuſtinuit* & S. Bernardus, ut alios miſſos faciem. *Oportet*, inquit S. Bernardus, *ad veſtrum referre Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala emergentia in regno Dei, & præcipue quæ de Fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potiſſimum reſarciri damna Fidei, ubi non poſſit Fides ſentire defectum. Hæc quidem hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt:* Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat Fides tua? *Ergo quod ſequitur, a Petri ſucceſſore exigitur.* Et tu aliquando converſus confirma Fratres tuos. Nimia igitur præfidentia ſcribit Febronius, neminem affirmaſſe, aut affirmaturum eſſe, Chriſti promiſſionis efficaciam ad Petri Succeſſores tranſiiſſe.

IV. Perridiculum vero eſt, quod addit; Chriſti nempe promiſſionem *nihil ad Petri ſucceſſores attinere, qui neque ceciderunt cum ipſo, neque cum eo reſurrexerunt, neque eamdem, aut ſimilem cum eo promiſſionem acceperunt.* Quaſi ſcilicet opus ſit, ut ſinguli Petri ſucceſſores cadant, reſurgantque, atque ſingulis nominatim perſeverantiam in fide promittat Chriſtus. Quidni & Primatum Petri ſucceſſoribus negat? Nam neque ſingulos interrogat Chriſtus: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Neque ſingulis ait: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus &c.* Sed ille in re ſeria nugas agit. Præterea cum Petrus Chriſtum negavit, nondum Eccleſiæ primatum a Chriſto obtinuerat, ut notavit S. Hieronymus (*in cap.* 16. *Matth.*): *Sed ſi conſideret*, ait S. Doctor, *qui hoc quærit* (cur ib. vocetur Petrus a Chriſto Satanas?), *Petro illam benedictionem, & beatitudinem, ac poteſtatem, & ædificationem ſuper eum Eccleſiæ in futuro promiſſam, non in præſenti datam intelliget. Ædificabo, inquit, ſuper te Eccleſiam meam &c. Quæ ſi ſtatim dediſſet ei, nunquam in eo pravæ confeſſionis error inveniſſet locum.* Romani autem

Pontifi-

Digitized by Google

Pontifices in locum Petri jam Eccleſiæ primatu inſigniti ſuccedunt. Cum igitur Petri Eccleſiæ Primatu jam inſigniti privilegium fuerit, ut *pravæ confeſſionis error in eo locum non inveniret*, in hujuſmodi Privilegium, quod primatus conſectarium eſt, Romani Pontifices Petro ſuccedunt, quin opus ſit, ut primum cadant, ac deinde reſurgant.

V. Sed Tertullianus, aliique Patres, inquit Febronius cum Natali Alexandro (*ſæc. 15. & 16. diſſ. 4. art. 1. n. 14.*), docent, Petri Privilegium fuiſſe perſonale, nec ad Succeſſores tranſiiſſe.

Verum utriuſque fidem hac in re ego deſidero. Nihil enim hujuſmodi afferunt laudati Patres. Ut id oſtendam, trium dumtaxat, qui primi citantur, loca ab utroque tanum indicata ego exſcribam. Tertullianus *ſic & in Apoſtolis*, inquit, *facultatem tentationis poſtulavit* (Diabolus) *non habens eam, niſi ex permiſſu: ſiquidem Dominus in Evangelio ad Petrum: ecce, inquit, poſtulavit Satanas, uti cerneret vos, velut frumentum: verum ego rogavi pro te, ne deficeret fides tua, ideſt ne tantum diabolo permitteretur, ut Fides periclitaretur*. S. Cyprianus de Orat. Domin. *Orabat autem Dominus*, inquit, *& rogabat non pro ſe: quid enim pro ſe innocens precaretur? Sed pro delictis noſtris, ſicut & ipſe declarat, cum dicit ad Petrum: Ecce Satanas &c.* S. Hilarius non lib. 1., ſed 10. de Trinit. n. 38. *Pro Petro*, inquit, *Pater rogatur, ne deficiat Fides ejus, ut negantis infirmitati vel dolor ſaltem pœnitentiæ non abeſſet, quæ Fides in eo non deficeret, quod pœniteret*. Jam vero tres hi Patres ſcribunt dumtaxat, Chriſtum oraſſe pro Fide Petri: quæ vero ſequuntur verba: *& tu aliquando converſus confirma Fratres tuos*, prætermittunt, quod ad eam rem non ſint, de qua agunt. Idem de reliquis dicito. An vero ideo negant illi, privilegium, aut onus confirmandi Fratres in Fide, ad Petri quoque Succeſſores manaſſe? Qui igitur Chriſti verba ad Petrum referunt, ii vel ad Petri quoque Succeſſores pertinere docent, ut illi qui ſuperius a me memorati ſunt, vel ſaltem Petri Succeſſores non excludunt, ſed ſilentio prætermittunt, ut illi qui a Febronio, & a Natali Alexandro memorantur.

Sed ſunt, ait Natalis Alexander, qui Chriſti verba ad Eccleſiam Romanam; ſunt qui ad Sedem Apoſtolicam referunt.

Verum & hi Chriſti verba ad Rom. Pontificem referunt, niſi in re ſeria nugatos eſſe velimus. Quid enim demum eſt Eccleſia Romana, quid Sedes Apoſtolica, niſi Rom. Pontifex? Innocentius I. (*ep. ad Synodum Milevit.*), Leo Magnus (*ep. 10.*), aliique teſtantur Romanam Eccleſiam, & Sedem Apoſtolicam *innumeris relationibus ex ſingulis quibuſque Provinciis conſuli conſueviſſe*. Novimus autem conſuli conſueviſſe non Romanum Clerum, aut ligneam, vel lapideam

lapideam Petri Sedem, aut dignitatem Apoſtolicam, quæ eſt idea abſtracta, ut ajunt Logici; ſed Romanum Epiſcopum: atque conſulentium epiſtolas non Romanæ Eccleſiæ, aut Sedi Apoſtolicæ, ſed Eccleſiæ Romanæ Epiſcopo nominatim inſcriptas fuiſſe. Mirari ſane ego ſæpe ſoleo, Viros etiam doctiſſimos eâ diſtinctione detineri, quam *non recipit ratio*, inquit Doctiſſ. Melchior Canus (*de Loc. Theol. lib. 6. cap. 8.*), *aſpernatur, repellit*. Sunt denique, ait idem Natalis Alexander, qui ea verba ad Eccleſiam, & Concilium referunt. Verum hi vel de Eccleſia, & Concilio loquuntur, ut Eccleſia & Concilium complectitur Fideles ſimul, Epiſcopos, & Rom. Pontificem, vel ut Rom. Pontificem excludit. Si primum, iis libenter aſſentior. Si enim errare nequit Romanus Pontifex Eccleſiæ Caput, neque errare poteſt Eccleſia cum ſuo Capite conſentiens. Si alterum, eorum Interpretationem rejicio. Poſteriorem enim hanc Interpretationem non tradunt Eccleſiæ Patres; Pauci enim ii, qui a Natali Alexandro memorantur, dumtaxat eam *juvant*, ut ipſe fatetur: quamquam ne juvant quidem. Nam S. Thomas, cujus unius verba deſcribit Natalis Alexander, ait: *Univerſalis Eccleſiæ fidem non poſſe deficere, Domino dicente* Lucæ 22.: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua*. Aſt S. Thomam univerſalis Eccleſiæ nomine intelligere membra ſimul & Caput, nemo negaverit. Eam igitur interpretationem amplectuntur dumtaxat Pariſienſes Theologi, non quidem omnes, ſed plures a Concilii Conſtantienſis tempore; Primi enim eam tradidere Petrus Alliacenſis, & Gerſonius; ut hinc colligas novam eſſe, & veteribus Patribus plane ignotam. Sed de priore argumento ſatis diximus.

CAPUT XIV.

Vetuſtiſſima Eccleſiæ traditio eſt, Fidei cauſas eſſe ad Rom. Pontificem referendas, ſive ut eas decernat, ſive ut quæ Synodi de iis decreverint, Apoſtolica auctoritate confirmet.

I. HUjuſce Traditionis initia refert Theodoretus ad Apoſtolorum tempora (*ep. ad S. Leon.*), cum Apoſtolus Paulus *ad magnum Petrum ſe contulit, ut iis, qui Antiochiæ de legali converſatione ambigebant, explicationem ab ipſo referret*. Innocentius I. Apoſtolicam Sedem juxta antiquam traditionem, & Eccleſiaſticam diſciplinam a Synodis Carthaginenſi,

& Mile-

Digitized by Google

& Milevitana, de Pelagiana hæreſi conſultam eſſe, dicit. Innocentii reſponſum ad utramque Synodum alibi (*cap. 6. n. 1. & 3.*) deſcripſi. Sed in Epiſtola ad Synodum Milevitanam præterea hæc addit: *Præſertim*, inquit, *quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Fratres, & Coepiſcopos noſtros nonniſi ad Petrum, id eſt ſui nominis, & honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit Eccleſiis omnibus in commune prodeſſe. Fiant enim neceſſe eſt cautiores, cum inventores malorum ad duplicis relationem Synodi ſententiæ noſtræ ſtatutis viderint ab Eccleſiaſtica communione ſejunctos. Gemino igitur bono charitas veſtra fungetur. Nam & canonum potiemini gratia ſervatorum, & beneficio veſtro totus orbis utetur.* S. Cyrillus Alexandrinus S. Cœleſtinum R. Pontificem de Neſtoriana hæreſi certiorem faciens: *Si ſilere*, inquit (*tom. 3. Concil. Labb. col. 890.*), *& non pietatem tuam de omnibus, quæ moventur, literis certiorem facere citra culpam, ac ſiniſtra ſuſpicionis metum liceret, præſertim in rebus adeo neceſſariis, ubi etiam recta fides a nonnullis depravata periclitatur, in memetipſo dicerem: bonum, & periculi expers eſt ſilentium, præſtatque quietam vitam agere, quam turbatam. Sed quoniam Deus hiſce in rebus vigilantiam a nobis exigit, & longa Eccleſiarum conſuetudo* (τὰ μακρὰ τῶν ἐκκλησιῶν ἔθη) *ſuadet, ut hujuſmodi res cum Sanctitate tua communicentur, ſcribo plane neceſſitate adactus.* Tres Africanæ Synodi in epiſtola ad Theodorum Papam data anno 646. quæ refertur in Actis Synodi Lateranenſis habitæ anno 649. Martino I. R. Pontifice (*tom. 7. col. 132.*): *Antiquis enim regulis ſancitum eſt*, inquiunt, *ut quidquid, quamvis in remotis, vel in longinquo poſitis ageretur provinciis, non prius tractandum, vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ Sedis veſtræ fuiſſet deductum, ut hujus auctoritate, juxta quæ fuiſſet pronunciatio, firmaretur; indeque ſumerent cæteræ Eccleſiæ velut de Natali ſuo fonte prædicationis exordium, & per diverſas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei ſacramenta ſalutis.* Antiquæ igitur traditionis, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ canon erat ineunte Sæculo V. Fidei cauſas ad Apoſtolicam Sedem eſſe referendas, ſive ut eas decerneret, ſive ut quæ Synodi de iis decreverant, confirmaret, totique Orbi edita decreta prodeſſent. Niſi autem perſuaſum Eccleſia habuiſſet, Rom. Pontificem ſive decernentem fidei cauſas, ſive Synodorum Provincialium decreta confirmantem errare non poſſe, nec ulla fuiſſet hujuſmodi relationum neceſſitas, nec Apoſtolicæ Sedis judicium cæteris Eccleſiis, totique Orbi ſatis profuiſſet.

II. Sed Febronius (*cap. 4. §. 2.*): *Decretalibus*, inquit, *ſub nomine Primorum Pontificum in authoritatem receptis, & ſignanter poſt editum, receptumque Gratiani decretum, prætendi & doceri cœpit, majores,*

res, & graviores cauſas, atque inter has quæſtiones Fidei ad Sedem Apoſtolicam eſse referendas, ejuſque ſolius judicio terminandas.

Verum Epiſtolæ Synodorum Carthaginenſis, & Milevitanæ ad Innocentium I. & Innocentii ad utramque Synodum, S. Cyrilli Alexandrini ad S. Cœleſtinum, Synodorum Africanarum ad Theodorum Papam, & præterea Vigilii ad Auxanium Arelatenſem (*vide & cap. 6.*), aliaque, quæ prætermitto, ſimilia monumenta Pſeudo-Iſidoro (A), & Gratiano ſunt multo antiquiora. Ea autem monumenta evincunt, quæſtiones Fidei ad Sedem Apoſtolicam vel a primis Eccleſiæ Sæculis relatas eſſe, & referendas fuiſſe, ut aut ejus judicio decernerentur, aut judicium de iis ſive ab Epiſcopis, ſive a Synodis latum confirmaretur; ac propterea ut ſolius demum Apoſtolicæ Sedis judicio finirentur: niſi forte temporum, rerumque ratio, ut œcumenica Synodus cogeretur, poſtularet, ut alibi dicam. Ergo non poſt falſas decretales, & *decretum*, ſed ab Eccleſiæ exordio *doceri cœpit*, quæſtiones Fidei ad Apoſtolicam Sedem referendas eſſe. Nam Innocentius I. id vocat *antiquam Traditionem, & Eccleſiaſticam diſciplinam*, S. Cyrillus *longam Eccleſiarum conſuetudinem*, Africanæ Synodi *antiquas regulas*. Nihilominus Febronius hujuſmodi perſuaſionem notare audet veluti *Sacræ Scripturæ, toti Antiquitati, Conciliorum definitionibus, & obſervantiæ univerſalis Eccleſiæ contrariam*, & Innocentium III. carpit, quod ſcripſerit, *majores Eccleſiæ cauſas, præſertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas eſſe:* Quaſi non idem, imo aliquid præterea ſcripſerit ante octingentos annos Innocentius I. Sed malam Febronii fidem ſuperius allata monumenta apertiſſime produnt.

Atqui Scripturæ docent, inquit Febronius (*ib. n. 1.*), *Epiſcopum eſſe debere Doctorem recte tractantem verbum veritatis, attendere debere doctrinæ... hæreticum hominem corrigere &c.* Epiſt. ad Tim. 1. ad Tit. cap. 1. & 3.

Verum quis iſtiuſmodi muneribus Epiſcopum fungi debere, negat?

(A) *Putat Febronius (cap. 8. §. 2. n. 1.)*, Collectionem Iſidori Mercatoris circa finem Sæculi VIII. ex Hiſpania Moguntiam allatam, & in alias Regiones divulgatam eſſe: certis vero indiciis conſtare, Iſidorianas decretales poſt annum 744. compoſitas eſſe, & Romæ quidem, ut gravis fert ſuſpicio. *Sed Cl. Zacharia (Anti-Febbr. part. 1. diſſ. 3. cap. 3.) pluribus, iiſque validiſſimis argumentis oſtendit, Iſidori Collectionem non ante annum 846. fuiſſe vulgatam, neque Romæ, ſed alibi, & veroſimilius Moguntiæ adornatam eſſe. Quamquam adornatæ collectionis Iſidorianæ tempus conſtituere, non magni mea refert. Quæ enim ego attuli hactenus, afferamque deinceps monumenta pro R. Pontificis auctoritate, pleraque Sæculo VIII. antiquiora ſunt. E recentioribus vero quæ affero, ea ſunt, quæ ne Febronio quidem ſuſpecta eſſe poſſunt.*

gat? An vero Epiſcopus, ſi quid dubitationis de fide exortum fuerit, ad Sedem Apoſtolicam id referre non debet? Id enim eſt, de quo agimus, quodque fieri debere ex antiqua traditione oſtendimus. Alia, quæ ibi opponit Febronius, proximo capite expediam.

CAPUT XV.

Romani Pontifices Hæreticos ſupremo Judicio damnare conſueverunt.

I. SUperiori Capite oſtenſum eſt, quæſtiones Fidei, & lata de iis ſive ab Epiſcopis, ſive a Synodis decreta ad Apoſtolicam Sedem juxta antiquam Traditionem referri conſueviſſe, non ſolum ut ſciret Romanus Pontifex, quid geſtum eſſet, ſed etiam ut ipſe vel quæſtiones decerneret, vel Synodorum decreta confirmaret. Nunc oſtendendum eſt, conſueviſſe reipſa Romanos Pontifices Fidei cauſas ſe ipſis irrevocabili judicio decernere, atque Hæreticos damnare. Cerdonem quidem, & Valentinum ab Hygino, Theodotum a Victore Sæculo II. damnatos eſſe, teſtatur Euſebius (*h. e. lib.* 1. *cap.* 1. *& lib.* 5. *cap.* 27.). Montaniſtas a Zephirino damnatos eſſe, refert Tertullianus (*lib. de Jejun. cap.* 1.). Circa annum 260. Sabellianos damnavit Dionyſius: Qua de re Sozomenus (*lib.* 6. *cap.* 22.) ita ſcribit: *Quæ controverſia* (de divinitate Spiritus S.) *cum contendendi ſtudio, ut credibile eſt, in dies magis, magiſque creſceret, Epiſcopus Urbis Romæ* (Dionyſius) *re comperta ſcripſit ad Eccleſias Orientes, ut una cum Sacerdotibus, & Epiſcopis Occidentis Trinitatem, & conſubſtantialem eſſe, & gloria æqualem exiſtimarent. Quo facto, utpote controverſia judicio Romanæ Eccleſiæ terminata, ſinguli quievere, eaque quæſtio finem tandem accepiſſe videbatur.*

Sed huic quieti, reſpondet Febronius (*cap.* 3. §. 8. *n.* 5.), *defuit ſua ſtabilitas, quæ nonniſi plenarii Concilii* (Conſtantinopolitani I.) *authoritate, orbiſque adunati conſenſione reſtitui potuit, unius Romani Pontificis judicio ad hæc minus ſufficiente.*

Verum nihil futilius reſpondere poterat Febronius. Nam neque poſt plenarium Concilium quievere Macedoniani, neque poſt Nicænum Concilium quieverunt Ariani, neque quievere poſt Synodum Tridentinam Lutherani. Ergo ne œcumenicæ Synodi ad hæreſes damnandas minus ſufficientes ſunt? Sed ad alia properemus.

II. Anno 390. Jovinianum, alioſque hæreticos damnavit Siricius: qua de re ſcribens Eccleſiæ Mediolanenſi (*ep.* 2. *tom.* 2. *Concil. Labb.*

Labb. col. 1218.)? *Unde*, inquit, *Apoſtoli ſecuti præceptum*, *quia aliter*, *quam quod accepimus*, *annunciabant*, *omnium noſtrum tam Presbyterorum & Diaconorum*, *quam etiam totius Cleri unam ſcitote fuiſſe ſententiam*, *ut Jovinianus*, *Auxentius*, *Genialis*, *Geminator*, *Felix*, *Photinus*, *Martianus*, *Januarius*, *& Ingenioſus*, *qui incentores novæ hæreſis*, *& blaſphemiæ inventi ſunt*, *divina ſententia*, *& noſtro judicio in perpetuum damnati extra Eccleſiam remanerent*. *Quod cuſtodituram ſanctitatem veſtram*, *non ambigens*, *hæc ſcripta direxi*. Quare S. Ambroſius una cum aliis Epiſcopis Siricio reſcribens (*ib. col.* 1220.): *Ideo*, inquit, *quia noſti oviculas Chriſti*, *lupos facile deprehendis*, *& occurris*, *quaſi providus paſtor*, *ne iſti morſibus perfidiæ ſuæ*, *feralique ululatu dominicum Ovile diſpergant*..... *Quos ſanctitas tua damnavit*, *ſcias apud nos quoque ſecundum judicium tuum eſſe damnatos*.

Reſpondet Febronius (*cap.* 3. §. 9. *n.* 5.): *Siricium primo cum Clero judicaſſe*; *Secundo non tam ſuum*, *quam Apoſtoli judicium pronunciaſſe*. Sed primum quidem parvi noſtra refert; quamquam S. Ambroſius non Clero, ſed Siricio judicium tribuit. Alterum vero reſponſum ridiculum eſt. Nam & Nicæni Patres cum Arium damnarunt, Apoſtoli præceptum ſecuti ſunt, & vere tamen Arii cauſam judicarunt.

III. S. Cœleſtinus I. a S. Cyrillo Alexandrino de Neſtorii hæreſi certior factus, in eumdem Neſtorium depoſitionis ſententiam tulit, ejuſque exequendæ Cyrillo ipſi tamquam Sedis Apoſtolicæ Legato curam commiſit: *Quamobrem*, inquit, (*tom.* 3. *Concil. Labb. col.* 895.) *noſtræ Sedis auctoritate adſcita*, *noſtraque vice*, *& loco cum poteſtate uſus*, *ejuſmodi non abſque exquiſita ſeveritate ſententiam exequeris*; *nempe ut niſi decem dierum intervallo ab hujus noſtræ admonitionis die numerandorum*, *nefariam doctrinam ſuam conceptis verbis anathematizet*, *eamque de Chriſti Dei noſtri generatione fidem in poſterum confeſſurum ſe ſpondeat*, *quam & Romana*, *& tuæ Sanctitatis Eccleſia*, *& univerſa denique Chriſtiana Religio prædicat*, *illico Sanctitas tua illi Eccleſiæ proſpiciat*. *Is vero modis omnibus ſe a noſtro corpore ſegregatum eſſe*, *intelligat*. Porro exequi quidem non potuit Cyrillus Cœleſtini ſententiam, quia Neſtorius Synodum ab Imperatore indicendam curavit; ſed neque Cyrillus, neque Neſtorius, neque Epheſina Synodus ferendæ ejuſmodi ſententiæ auctoritatem Cœleſtino denegarunt, aut de ea dubitationem moverunt, imo ei aſſenſum ſuum præbuerunt, eamque Synodus (*act.* 1.) executa eſt.

IV. Sed ait Febronius (*cap.* 4. §. 2. *n.* 2.): *Leonis Legati* Act. 3. Synodi Chalced. *ad Concilium referunt*, *Eutychen regulariter a proprio damnatum Epiſcopo Flaviano*. Id ego fateor. Sed S. Leo Eutychis depoſitionem probaverat, quam rem a Flaviano rogatus fue-

rat duabus epiſtolis, in quarum altera, *dignare*, inquit, *per proprias quidem literas ſuffragari depoſitioni canonicæ adverſus eum factæ, confirmare vero & piiſſimi, Chriſtumque amantis noſtri Imperatoris fidem. Res namque ſolo indiget ex vobis impulſu, atque ſubſidio, quod per veſtram prudentiam ad tranquillitatem, & pacem cuncta ſtatim tranſlaturum eſt. Sic enim & quæ inſurrexit hæreſis, & ob eam excitatus tumultus facile ceſſabit, Deo cooperante per ſacras veſtras literas.* En Leonem Flavianus rogat, ut Eutychis depoſitioni ſuffragetur per ſuas literas, quibus & ceſſaturam hæreſim, & ſedandos eſſe tumultus, confidit.

V. Addit Febronius *(ib.)*: *Quis neſcit, errores Gotthescalchi Monachi in Concilio Moguntino anni* 848. *Hæreſim Berengarii in Synodo Turonenſi an.* 1055. *Novitates Abaelardi in Senonenſi Concilio an.* 1140. *denique errores Lutheri a variis Epiſcopis, & particularibus Conciliis fuiſſe damnatos.*

Sed primo recentiora ſunt hæc exempla, quam ut veterem Eccleſiæ conſuetudinem oſtendere poſſint. Deinde Gotthescalcum, qui in Italia primum errores ſuos diſſeminaſſe dicitur, a Moguntina Synodo damnatum eſſe inconſulto Rom. Pontifice, nemo facile crediderit. Cæterum non ignorare arbitror Febronium, quam varia fuerit tum veterum, tum recentiorum de Gotthescalchi erroribus, & damnatione ſententia; ut proinde ejus damnatio exempli loco in rem, de qua agimus, adduci non poſſit. Sed in hac re me immorari, opus non eſt. Synodus vero Turonenſis a Victore II. convocata fuit, eique præfuit Hildebrandus Victoris Legatus. Imo Berengarius jam fuerat a Leone IX. damnatus (*Tom. 6. Concil. Hard.*). Quod ad Abaelardum attinet, teſtantur Patres Senonenſes (*ep. Synod. ad Innocent. II. tom.* 12. *Concil. Labb. col.* 1530.), ejus librum multo antea a Rom. Pontificis Legato damnatum eſſe: *Jamdudum*, ajunt, *fecerat librum de SS. Trinitate, ſed ſub Legato Rom. Eccleſiæ igne examinatus eſt, quia inventa eſt in eo iniquitas* (*Vid. S. Bernardum ep.* 193.). Denique ante Leonis X. Conſtitutionem: *Exurge Domine*. datam anno 1520., nec ulla Synodus, nec ullus Epiſcopus, ſed una tantum, vel altera Academia Lutheri errores damnaverat. Cur autem poſt Leonis X. Conſtitutionem celebrata fuerit Trid. Synodus, eædem cauſæ fuerunt, ob quas celebratæ fuerunt Synodi Epheſina, Chalcedonenſis &c. de quibus inferius differendum erit.

CAPUT

CAPUT XVI.

S. Auguſtinus exiſtimavit ſupremam eſſe Rom. Pontificis in Fidei cauſis definiendis auctoritatem.

I. IN magnum volumen abiret mea hæc diſſertatio, ſi omnia Patrum teſtimonia allegare, & exſcribere vellem, quæ ſummam Romano Pontifici, nec errori obnoxiam in fidei cauſis auctoritatem aſſerunt. Eorum plurima poſt alios diligentiſſime collegit, expenditque Doctiſſ. Petrus Ballerinius in libro de vi, ac ratione Primatus Romanor. Pontific. *cap.* 13. & 15. Quare ex Patribus unius Auguſtini auctoritatem ego afferam, quod eam data opera Febronius nobis eripere conetur. Itaque S. Auguſtinus (*ſerm.* 2. *al.* 131. *n.* 10.) poſt probatam ab Innocentio I. Conciliorum Carthaginenſis, & Milevitani ſententiam in Pelagianam hæreſim: *Jam enim*, inquit, *de ea cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam, unde etiam reſcripta venerunt: cauſa finita eſt: utinam aliquando finiatur error*. Aſt Pelagii cauſam finitam eſſe, præfidenter adeo non affirmaſſet Auguſtinus, niſi Apoſtolicam Sedem in fidei cauſis finiendis errare non poſſe, exiſtimaſſet.

II. Febronius tamen (*cap.* 3. §. 8. *n.* 4.) ejuſmodi argumentum ſe diluere authumat: *Poſt hæc*, ait, *S. Doctor, collatione facta, in Romanæ Eccleſiæ doctrina ſe Univerſalis Eccleſiæ ſententiam inveniſſe ratus, non dubitavit aſſerere, atque repetitis vicibus proclamare, cauſam finitam eſſe*.

Verum Auguſtinus ejuſmodi factæ a ſe collationis nullibi meminit, nec Pelagianorum cauſam ideo Innocentii ſententia finitam eſſe dicit, quod univerſalis Eccleſiæ doctrinæ conformem invenerit. Ait quidem (*lib.* 1. *contra Julian. cap.* 4.): *Puto tibi eam partem Orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare. Cui Eccleſiæ præſidentem Innocentium ſi audire voluiſſes, jam tum periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit Vir ille Sanctus Africanis reſpondere Conciliis, niſi quod antiquitus Apoſtolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perſeveranter Eccleſiis?* At vero S. Auguſtinus his verbis collationem a ſe factam eſſe, non indicat. Imo hujuſmodi collationem ne inire quidem potuit. Sermonem enim, in quo celebrem ſententiam *cauſa finita eſt*, pronunciavit, habuit eodem anno 417. quo reſcripta ex Apoſtolica Sede venerunt.

III. Pergit Febronius: *At quia idipſum, quod Auguſtino, non omnibus viſum eſt, ſic eadem cauſa hoc ſolo Pontificis reſponſo effective, & plene necdum terminata eſt. Siquidem Innocentio Anno* 417. *defuncto, alia*

Digitized by Google

alia in Pelagianos ſub Zoſimo in Africa celebrata ſunt Concilia, & tandem in Epheſina œcumenica Synodo ... hæreſis Pelagianæ uno ore fuit conclamata damnatio.

Verum ſi Pelagianorum cauſa Innocentii judicio *plene* & *effective* finita non eſt, quia Pelagiani ei non acquieverunt, ſed hæreſim ſuam tueri adhuc, & diſſeminare perrexerunt, ne ab Epheſina quidem Synodo finita eſſe dicenda eſt. Nam ne hujus quidem judicio acquievere Pelagiani, ſed errores ſuos adhuc diſſeminarunt, ut conſtat ex Proſpero in Chronico. Imo teſtatur Auctor Libri de Promiſ. & prædict. Dei (*part. 2. cap. 6.*) anno 444. Pelagianos, & præſertim Julianum a Leone M. profligatos eſſe. Et præterea ſub Sæculi V. exitum, tractatum contra eos ſcribere coactus fuit Gelaſius Rom. Pontifex (*tom. 5. Concil. Labb. col. 36.*). Demum ſi eo argumento quidquam confici poſſet, conſequeretur, ne ab ulla quidem œcumenica Synodo fidei cauſas finitas eſſe. Nam nec Nicænæ Synodo Ariani, nec Epheſinæ Neſtoriani, nec Chalcedonenſi Eutychiani, nec Tridentinæ Lutherani ceſſerunt.

IV. Concludit porro Febronius: *Interim illa Auguſtini verba* = CAUSA FINITA EST = *adeo ſunt ad guſtum Cardinalis Orſi, & Sociorum ejus, ut ex illis univerſalem regulam pro quibuſvis cauſis per Rom. Pontificem deciſis deſumant: quando e contra illud ejuſdem S. Doctoris ad Donatiſtas querentes de judicio Papæ Melchiadis* = RESTABAT ADHUC PLENARIUM ECCLESIÆ CONCILIUM = *ad unum ſolum particularem caſum pertinere, contendunt.*

Sed ideo nos ex Auguſtini verbis generalem regulam deſumimus, quia regulam illam Auguſtinus ipſe generalem eſſe, exiſtimavit. Niſi enim veram eſſe exiſtimaſſet Auguſtinus generalem hanc Propoſitionem: *Quotieſcumque in cauſa fidei reſcripta ab Apoſtolica Sede veniunt, cauſa finita eſt*: neque veram exiſtimare potuiſſet hanc Propoſitionem particularem: *Cauſa Pelagii*, de qua ab Apoſtolica Sede reſcripta venerunt, *finita eſt*: hanc enim in illa contineri, vel ii qui Logices rudimentis imbuti ſunt, Febronium docebunt.

Ideo vero alia Auguſtini verba, *reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ concilium*, ad caſum particularem pertinere, contendimus, quia ea fuit Auguſtini ipſius ſententia. Nempe Donatiſtæ a Melchiade damnati appellarunt Conſtantinum Imperatorem, qui *eorum perverſitatibus cedens* Synodum Arelate congregari juſſit, non quod neceſſarium novum judicium exiſtimaret, ſed ut eorum impudentiam cohiberet. *Ecce putemus*, inquit, *illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos fuiſſe judices, reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſæ concilium, ubi cum ipſis judicibus cauſa poſſet agitari, ut ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur.* Nonne intelligis, Auguſtinum juxta Do-

ta Donatiſtarum, aliud judicium quærentium, principia loqui? Pergit Auguſtinus: *dedit ille* (Conſtantinus) *aliud Arelatenſe judicium, aliorum ſcilicet Epiſcoporum, non quia jam neceſſe erat, ſed eorum perverſitatibus cedens, & omni modo cupiens, tantam impudentiam cohiberi*. Ergo Auguſtini ſententiâ Concilium neceſſarium non erat. Exiſtimavit igitur, Melchiadis judicio Donatiſtarum cauſam finitam eſſe, nec plenarium Concilium alia de cauſa reſtaſſe, niſi ut omni modo cohiberetur eorum impudentia.

V. *Sed enim*, ait Febronius (*cap. 6. §. 9.*), *S. Auguſtinus in libris de Baptiſmo Donatiſtis objicit ſæpe non S. Stephani, ſed plenarii Concilii judicium, aitque S. Cypriani tempore nondum quæſtionem finitam eſſe, ſed poſtea plenario totius Eccleſiæ Concilio*.

Verum ita ratiocinatur Auguſtinus contra Donatiſtas, qui ob Cæciliani cauſam a R. Pontifice contra eos judicatam Rom. Pontificis auctoritatem contemnebant. Quare cum controverſia plenario Concilio, ideſt a Rom. Pontifice ſimul, & a totius Orbis Epiſcopis finita eſſet, Concilii potius, quam ſolius Pontificis judicium Donatiſtis objicere debuit. Cæterum S. Stephanus nihil definierat, ſed præceperat dumtaxat, ut vetus traditio ſervaretur, ideoque ante plenarium Concilium cauſa non fuit a Pontifice judicata (*vide ſup. cap. 3.*).

CAPUT XVII.

Febronii argumentum ex Jeroſolymitano Concilio deſumptum refellitur.

I. FEbronius (*cap. 1. §. 8. n. 3.*) ait, orta Antiochiæ controverſia de legalium neceſſitate, non miſiſſe Antiochenos ad Petrum, ſed ad Apoſtolos, & Seniores, nec Petrum, ſed Apoſtolos, & Seniores cauſam definiviſſe.

At vero ſi quæ in ea cauſa geſta ſunt, expendantur, ex iis ſuprema Petri etiam in finiendis fidei cauſis auctoritas patebit evidentiſſime. Sed ante notari velim, eorum qui Moſaicam legem ad ſalutem neceſſariam eſſe affirmabant, ducem fuiſſe Cerinthum, vaferrimum hominem, & indocilem, qui non modo unius Petri, ſed nec Petri ſimul, & Apoſtolorum, totiuſque Eccleſiæ auctoritati facile ceſſurus erat, quod & probavit eventus. Nam etiam poſt Jeroſolymitani Concilii definitionem in Aſia errores ſuos diſſeminavit. Id teſtantur S. Epiphanius (*hæreſ. 28. n. 2.*) Philaſtrius (*hær. 26.*) & Timotheus VI. Sæculi Scriptor. (P. *Travaſa in vita Cerinthi cap. 3.*),

Hinc

Hinc non ad ſolum Petrum, ſed ad Apoſtolos, & Seniores miſerunt Antiocheni, ut nempe frequentiori, ſolemniorique judicio cauſa finiretur, atque hæreticus homo ad ſilentium adigeretur. Quamquam cum Antiocheni Apoſtolos omnes æque Spiritu S. plenos eſſe, perſuaſum haberent, nihil cauſæ erat, cur ad eorum unum etſi primum, & præcipuum mitterent.

II. Jamvero *convenerunt Apoſtoli, & Seniores videre de verbo hoc*. En Jeroſolymitanum Concilium. *Cum autem magna conquiſitio fieret*, forte ab iis, qui Antiochia venerant, quibus inquirendi facultatem fecerunt Apoſtoli, ne ſe temere damnatos eſſe, conquererentur; *Surgens Petrus, dixit ad eos*, qui nempe inquirebant: En Petrus inquiſitionem perrumpit, & primus etiam coram Jacobo Jeroſolymorum Epiſcopo loquitur: *Viri fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii, & credere*. His verbis teſtatur Petrus, ſe ex Apoſtolis a Deo electum eſſe, ut Evangelium Gentibus annunciaret, quod illæ auditum credere ſtatim deberent. Cum igitur Petrus locutus eſt, nihil præterea inquirendum eſt, ſed quod credendum docuit, ſtatim credendum eſt. Sententiam denique pronunciat, eamque irrevocabilem, Moſaicæ legis jugum non eſſe diſcipulorum cervicibus imponendum: atque Cerinthum, ejuſque aſſeclas graviſſimis verbis increpat, quod quidem ſupremæ ejus auctoritatis perſpicuum argumentum eſt: *Nunc ergo*, inquit, *quid tentatis Deum imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmodum & illi*. Poſtquam autem Petrus locutus eſt, *tacuit omnis multitudo, & audiebant Paulum, & Barnabam*.

III. *Tacuit omnis multitudo*, inquit Febronius, *non quaſi jam adfuiſſet concluſum*, ſed = audiebant Paulum, & Barnabam narrantes, quanta feciſſet ſigna, & prodigia in Gentibus per eos = *in confirmationem argumentorum, quæ protulerat perorans Petrus*.

Sed verba effutit Febronius. Petrus enim cauſam non argumentis peroravit, ſed ſua auctoritate definivit. Et primo quidem, omnibus notum fuiſſe, dixit, ſe ex Apoſtolis omnibus electum eſſe, ut Evangelium Gentibus nunciaret, quod illæ auditum credere ſtatim deberent. Cur vero ſtatim in omnium memoriam revocavit, quod noverant, ſibi nempe id muneris a Deo demandatum eſſe? Scilicet ut intelligerent, etiam controverſiæ, de qua agebatur, definiendæ auctoritatem ſibi a Deo commiſſam eſſe. Quidni enim qui a Deo electus erat, ut Evangelium Gentes doceret, exortam de quodam Evangelii dogmate controverſiam definire poterat? Et controverſiam quidem ſua auctoritate definivit. Poſtquam autem controverſia ab eo defi-

eo definita eſt, cui docendi Evangelium Gentes munus à Deo ipſo demandatum eſt, quid præterea requiritur, ut *adſit concluſum?*

IV. *Sed Paulo, & Barnaba tacentibus*, ait Febronius (*ibid.* §. 7. *n.* 3.), *locutus eſt Apoſtolus Jacobus, non dicens: PETRUS LOCUTUS EST, CAUSA FINITA EST: Sed... recapitulans, quæ dixerat Petrus, ſubjunxit: PROPTER QUOD EGO JUDICO.... deinde monuit, ulteriora ſcribenda Gentilibus, ultra id quod dixerat Petrus. Prætrea communi Synodi nomine decretum exaratum eſt: PLACUIT NOBIS COLLECTIS IN UNUM.... VISUM EST SPIRITUI S. ET NOBIS.*

Verum ideo S. Jacobus poſt latam a Petro ſententiam locutus eſt, quia cum Jeroſolymorum Epiſcopus eſſet, ejus erat commiſſum ſibi gregem ex Judæis coactum, fidei veritate inſtruere. Quamvis autem non dixerit: *Petrus locutus eſt, cauſa finita eſt*, Petri tamen ſententiæ conſenſit, eamque Sacrarum Scripturarum teſtimoniis confirmavit. Imo ut eam Judæi facilius ſuſciperent, & pacem cum Gentibus ſervarent, eam explicavit, atque abſtinentiam a fornicatione, ab Idolothitis, a ſanguine, & ſuffocato, excepit, non diu tamen quoad poſteriora duo capita duraturam. Idque & Petro probatum eſt. Ait vero S. Jacobus: *propter quod ego judico:* quia non modo Petrus, ſed etiam alii Apoſtoli veri judices in Concilio illo erant: quemadmodum & in aliis Conciliis veri judices ſunt Epiſcopi una cum Rom. Pontifice. Eadem de cauſa communi nomine decretum exaratum eſt; quod & in cæteris Conciliis uſu receptum eſt. Sed Apoſtoli Judices erant Petro ſummo judici ſubjecti, qua de re alibi (*p.* 1. *cap.* *r.*) diſſerebam; ideoque etiam in aliis Conciliis Judices ſunt Epiſcopi R. Pontifici ſubjecti. Quod igitur etiam cæteri Apoſtoli in ea cauſa judices fuerint, communique nomine decretum fuerit exaratum, id ſupremæ Petri auctoritati non officit. Sed Febronii argumentum abunde ſatis, ut arbitror, refutavi.

CAPUT XVIII.

De Conciliorum neceſſitate.

I. STatuit Febronius (*cap.* 6. §. 7.), *Concilia generalia abſolute neceſſaria eſſe*; quod ſcilicet nullum agnoſcat ſupremum controverſiarum Fidei Judicem præter Concilium generale. Sed quæ hactenus de Romani Pontificis Primatu, & de ejus in cauſis fidei decernendis auctoritate diſſerui, ea Febroniani dogmatis falſitatem aperte ſatis declarant.

Itaque Concilia aliqua generatim ſive œcumenica, ſive particu-

laria ad Eccleſiam adminiſtrandam utiliſſima, & quodammodo neceſſaria eſſe, nos quoque affirmamus; œcumenica Concilia abſolute neceſſaria eſſe, negamus. Nam etiam abſque œcumenicis Conciliis & Eccleſia adminiſtrari, & hæreſes profligari, & Schiſmata componi poſſunt, qua de re Veteris Eccleſiæ hiſtoria certiores nos facit. Quæ enim ante primam œcumenicam Synodum Nicææ habitam anno 325. exortæ ſunt innumerabiles fere hæreſes, eæ aut Provincialium Synodorum, Romanæ Eccleſiæ conſenſu, & confirmatione accedente, aut ſolius Romani Pontificis auctoritate damnatæ ſunt (*ſup. cap.* 15.). Vel ipſo ſæculo V. S. Auguſtinus de Pelagiana hæreſi hæc ſcripſit (*lib.* 4. *ad Boniſ. cap. ult.*): *Aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? Quaſi vero nulla hæreſis aliquando ſine Synodi congregatione damnata ſit: cum potius rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit*. Et alibi (*lib.* 3. *cont. Julianum cap.* 1.) Pelagianos alloquens: *dedit vobis*, inquit, *Eccleſia judicium, quale debuit; ubi veſtra cauſa finita eſt*. Pelagianorum autem cauſam judicaverat Innocentius I. Rom. Pontifex. Nullam igitur S. Auguſtinus eſſe exiſtimavit generalis Synodi neceſſitatem, ſed Innocentii judicium ſatis fuiſſe, eoque Pelagianorum cauſam finitam eſſe, arbitratus eſt.

II. Eutherius quoque Thyanenſis, & Helladius Tarſenſis ſcribentes ad Sixtum III. (*tom.* 3. *Concil. Labb. col.* 388.): *Et olim ſiquidem ſæpius*, inquiunt, *jam ex Alexandria hujuſmodi hæreticis zizaniis inſurgentibus ſuffecit veſtra Apoſtolica Sedes per univerſum tempus illud ad mendacium convincendum, impietatemque reprimendam, & corrigenda quæ neceſſarium fuit, muniendumque Orbem Terrarum ad gloriam Chriſti, tam ſub illo ter beato, & inter Sanctos habendo Epiſcopo Damaſo, quam ſub pluribus aliis glorioſis, atque admirabilibus*. Si autem Apoſtolica Sedes ſuffecit, nulla fuit Conciliorum generalium neceſſitas.

III. Nec omnem tamen negamus generalium Conciliorum neceſſitatem; imo neceſſaria quandoque, quamquam non *abſolute*, eſſe arbitramur. Rem autem ſic explicamus. Romanus Pontifex exortas de Fidei dogmatis controverſias ex Apoſtolico tribunali decernere, atque fidei dogmata, quæ ab omnibus credenda ſunt, jure ſuo conſtituere conſuevit. Ejus rei exempla proferre opus non eſt. Nemo enim niſi Eccleſiaſticæ hiſtoriæ imperitus eam in dubium vocare poteſt. Et aliquando quidem Pontifices omnibus perſuaſere, omneſque tumultus ſtatim ſedavere, ut Hyginus in cauſa Cerdonis, Victor in cauſa Theodoti &c., quia cum Hæretici illi paucos præſertim Epiſcopos ſectatores haberent; ut ab omnibus veluti hæretici haberentur, eos ab Apoſtolica Sede damnatos eſſe, ſatis fuit. Aliquando

do vero non omnibus perſuaſere, nec ſtatim pacem Eccleſiæ reſtituere potuerunt, ut Cœleſtinus I. in cauſa Neſtorii, Leo M. in cauſa Eutychis &c. Hi enim Hæretici multo majores, quam illi, turbas in Eccleſia excitaverant, pluresque non modo Fideles, ſed etiam Epiſcopi, Virique principes, atque apud Imperatores gratiâ plurimum valentes iis ſtudebant. Quamobrem Catholicæ fidei dogmati ab Apoſtolica Sede conſultum eſſe, ſatis non erat; ſed præterea oportebat, ut Hæretici ipſi, & qui ab illis ſtabant, hæreſim ejurare, ſi fieri poſſet, cogerentur: ut qui dubii adhuc erant, in fide catholica confirmarentur: ut Lupi a Paſtoribus diſcernerentur: paucis; ut pax Eccleſiæ reſtitueretur, atque omnes Fideles ad Catholicæ Eccleſiæ unitatem revocarentur. Porro fidei quidem dogmati Romani Pontifices conſuluerant, ſed cætera vix niſi in œcumenicis Synodis perfici poterant. Quare Synodos congregari, opus fuit, ipſique Romani Pontifices, quibus Eccleſiæ pax, & unitas cordi maxime erant, ut Synodi celebrarentur, non modo annuerunt, ſed etiam Imperatores ipſos rogarunt. Illud tamen, quod accurate nunc notes velim, ſemper cautum Romani Pontifices voluerunt, ne fidei dogmata ab ipſis conſtituta in dubium vocarentur: ſed ut Epiſcopi in Synodos coacti iis in primis ſubſcriberent, præceperunt: quemadmodum inferius oſtendam. Igitur œcumenicæ Synodi neceſſariæ ſunt non abſolute, quaſi Romani Pontificis decreta firma non ſint; ſed ut facilius Pontificis decreta ſuſcipiantur, tumultus ſedentur, aliaſque ſimiles ob cauſas, quæ ſi non ſint, neque ulla eſt Synodorum œcumenicarum neceſſitas.

IV. Fateri id videtur etiam Febronius (*cap.* 2. §. 12.), qui *Non ignoramus*, inquit, *plurimas hæreſes ſola Romanorum Pontificum auctoritate, nullo interveniente Concilio, damnatas, & ſuppreſſas eſſe. Sed quis unquam ſuſtinuit, a ſolis œcumenicis Conciliis hæreſes damnari, & profligari poſſe? Ad extremum hoc remedium tunc demum recurrendum eſt, ſi difficultas, aut hæreſis tolli non poſſit intermediis judiciis Epiſcoporum, Conciliorum Diœceſanorum, & Provincialium, demum Romanorum Pontificum, quibus omnibus pro re nata competit de rebus fidei judicium, quamquam non ultimatum, & irrefragabile.*

Viden' hominis ſibi contradicendo proni ingenium? Fatetur, plurimas hæreſes ſola Rom. Pontificum auctoritate, nullo interveniente Concilio, damnatas eſſe; ſed negat Romani Pontificis judicium *ultimatum* eſſe, & *irrefragabile*. Primum autem fateri, & alterum negare, apertiſſima, niſi fallor, contradictio eſt. Aut enim hæreſes a Rom. Pontificibus, nullo interveniente Concilio, damnatæ, ultimato, & irrefragabili judicio damnatæ ſunt: aut non. Si primum vult Febronius; fatetur, Romani Pontificis judicium eſſe ultimum, & irrefragabile. Si vult alterum; fateatur neceſſe eſt, plu-

rimas hæreſes ſola Romanorum Pontificum auctoritate damnatas; veluti hæreſim Joviniani a Siricio R. P. damnatam, nondum ultimato, & irrefragabili judicio damnatas eſſe. Rurſus fatetur, non eſſe celebranda œcumenica Concilia, niſi cum *hæreſis tolli non poteſt, intermediis judiciis Epiſcoporum ... demum Romani Pontificis*. Fatetur igitur, aliquas hæreſes judiciis Epiſcoporum, & Romani Pontificis tolli poſſe. At vero nulla hæreſis vere, & plene ſublata eſſe dici poteſt, niſi quæ ultimato judicio, & irrefragabili damnata eſt, quemadmodum cauſa, quæ ad ſuperius tribunal deferri poteſt, nondum ultimato judicio decreta, & finita eſſe dici poteſt. Fatetur ergo Febronius, *ultimatum* eſſe Romani Pontificis judicium. Id autem negat apertiſſime: ergo apertiſſime etiam ſibi contradicit. Scilicet ſibi contradicere, quam ſummam, & irrefragabilem R. Pontificis in fidei cauſis decernendis auctoritatem fateri, mavult. Et ſunt tamen, ſi Superis placet, qui eum veluti hominem ad diſpellendas tenebras in Eccleſiæ adminiſtrationem Iſidoriano commento inductas, a Deo miſſum ſuſpiciunt.

V. Sed expendamus argumenta, quibus Febronius pro abſoluta Generalium Conciliorum neceſſitate pugnat. Ea ducit (*cap.* 6. §. 12. *n.* 1.) ex Euſebio. Hic enim narrat (*lib. de vit. Conſtant. cap.* 51.), Licinium Imperatorem vetuiſſe Epiſcopos *Synodos de communibus negotiis habere*, & addit: *Si præcepto paruiſſent, Eccleſiaſticas leges convelli oportebat. Neque enim majoris momenti controverſiæ aliter, quam per Synodos componi poſſunt*. Ex hac autem Euſebii narratione colligitur, Epiſcopos Licinio non paruiſſe. Igitur Epiſcopi Synodos habuerunt, quod eas neceſſarias eſſe exiſtimaverint. Sed quæro ego, generales ne Synodos habuerint, an provinciales? Provinciales quidem, ut ſummum, habuerunt. Prima enim generalis Synodus Nicææ, Conſtantino Imperatore, celebrata eſt. Ergo ut ſummum Provinciales Synodos neceſſarias eſſe, exiſtimarunt Epiſcopi illi, & Euſebius: Quamquam eas *abſolute* neceſſarias exiſtimaſſe dici nequeunt. Rurſus de Conſtantino ait Euſebius (*ib.*): *Nam hic Sacerdotes Dei pacis, & concordiæ mutuæ cauſa in unum convocabat*. Et alibi (*cap.* 44.): *Per diverſas Provincias .... ipſe velut communis omnium Epiſcopus a Deo conſtitutus Miniſtrorum Dei concilia congregavit*. His autem Euſebii verbis deſcriptis addit Febronius: *Produnt manifeſte verba Euſebii, ei non eſſe ſermonem de particularibus, ſeu minoribus Conciliis:* Quaſi vero plura majora Concilia Conſtantino Imperatore fuerint celebrata: aut *Concilia per diverſas Provincias* congregata non minora fuerint, & particularia, ſed generalia. Mihi quidem potius Febronius animum non ad veritatem quærendam efformatum manifeſte prodere, quam Euſebius abſolutam Conciliorum generalium neceſſi-

tatem

tatem adſtruere videtur. Sed quæ de Conciliorum neceſſitate dixi, ſatis nunc ſunto.

CAPUT XIX.

Generalium Conciliorum convocatio tum divina, tum humana Lege R. Pontifici vindicatur, atque Generalia Concilia abſque R. Pontificis auctoritate neque convocari, neque celebrari legitime poſſe, oſtenditur.

I. FEbronius (*cap. 6. §. 2.*): *Nulla*, inquit, *extat Lex divina, aut Eccleſiaſtica, quæ convocationem Generalium Conciliorum Romano Pontifici reſervet, quæque irrita declaret ea, quæ ſine ejus voluntate coacta ſunt. Certum eſt ex contrario octo priora Concilia a Romanis Imperatoribus convocata eſſe, quædam etiam invito Pontifice. Imperatorum hoc jus habet fundamentum omnino ſolidum. Scilicet ad Imperatorum, & ad quorumcumque aliorum Supremorum Principum officium pertinuit, & pertinet, ut poteſtate ſibi conceſſa, populi ſibi commiſſi non modo temporalem, ſed æternam etiam felicitatem tueantur .... At jure divino Romano Pontifici competere jus excluſivum Generalia Concilia indicendi, ſane non probatur ex duobus Theologiæ principiis, quæ ſunt Scriptura, in qua de ea re nihil: & Traditio, quæ manifeſte repugnat.* Hæc ille.

II. Verum ut a divino jure initium faciam; nullibi quidem aperte in Scripturis legimus, generalium Conciliorum convocationem Romano Pontifici *reſervari*; ſed ex Scripturis tamen conſtat, Chriſtum Petro, ejuſque Succeſſoribus non modo honoris, ſed etiam juriſdictionis Primatum in Eccleſia dediſſe, univerſamque Eccleſiam ejus curæ commiſiſſe. Cum autem ad Eccleſiam recte adminiſtrandam neceſſaria quandoque ſint generalia Concilia (*ſup. cap.*), eorum convocandorum jus, & auctoritatem procul dubio Romano Pontifici commiſit, a quo univerſam Eccleſiam adminiſtrari voluit. Ergo convocandorum generalium Conciliorum jus ad Romanum Pontificem pertinere, recte ex Scripturis colligitur.

III. Expendamus jam Traditionem. *Julius Romanæ Urbis Epiſcopus*, inquit Socrates (*h. e. lib. 2. cap. 17.*), *cognitis inſidiis, quas Athanaſio ſtruxerant Ariani .... reſcribens Epiſcopis, qui Antiochiæ convenerant, graviter conqueſtus eſt ... quod contra Canones ipſum ad Synodum non vocaſſent: cum Eccleſiaſtica regula interdictum ſit, ne præter ſenten-*

ſententiam R. Pontificis quidquam ab Eccleſiis decernatur (*Vide & cap.* 8. & 13.): vel ut legitur hiſt. Trip. lib. 4. cap. 9. *non debere abſque ſententia R. Pontificis Concilia celebrari*. Etiam Sozomenus (*h. e. lib.* 3. *cap.* 10.) narrat: *A Julio ad Epiſcopos, qui Antiochiæ convenerant, literas datas eſſe, quibus eos accuſabat, quod Nicæni Concilii fidem clanculo innovarent, & quod præter Eccleſiæ leges ipſum ad Synodum non vocaſſent: Legem enim eſſe Pontificiam, ut pro irritis habeantur, quæ præter ſententiam Epiſcopi Romani fuerint geſta*. Et Julius quidem in epiſtola ad Orientales (*apud S. Athanaſium Apol.* 2.): *An ignoratis*, inquit, *hanc eſſe conſuetudinem, ut primum nobis ſcribatur, & hinc, quod juſtum eſt, decernatur?* Igitur IV. Eccleſiæ ſæculo Canon, Conſuetudo, ſeu Eccleſiaſtica Lex erat, nihil in Eccleſia decerni, nec legitimas Synodos abſque Romani Pontificis ſententia celebrari poſſe. Quare recte notat Febronius ipſe (*ib. n.* 5.), falli Henricum Valeſium, qui *in Notis ad memoratum Socratis locum dicit, conqueſtum quidem fuiſſe in ſuis literis Julium, quod non fuerit invitatus ad Synodum, quod vero ſcripſerit, regulam eſſe Eccleſiaſticam, ut abſque conſenſu Epiſcopi Romani nihil in Eccleſiis decerni poſſit, id in Epiſtola illa nuſpiam legi*. Sed neget tamen Febronius (*ib. n.* 6.), *ex ipſis Julii verbis præſidium aliquod in eam, quam Romani jactant, ſententiam deſumi poſſe*; idque Petri Couſtantii auctoritate probat.

IV. Itaque Couſtantius (*epiſt. R. P. tom.* 1. *col.* 386.) primo notat, memoratam Julii ſententiam ab Epiphanio (*hiſt. Trip. lib.* 4. *cap.* 9.), & ab Iſidoro Mercatore in duabus Epiſtolis Julii nomine confictis interpolatam eſſe. Sed noſtrâ parvi id intereſt, qui non interpolatis, & ſpuriis, ſed genuinis Julii, Socratis, & Sozomeni verbis innitimur: quamquam Hiſtoriæ Tripartitæ Compilator non eſt tam facile contemnendus.

Deinde ait Couſtantius, Julii verba ad Alexandrinam Eccleſiam referenda eſſe, in quam Romanus Pontifex *ſpeciale* habet jus, quia S. Petrum operâ S. Marci ejus diſcipuli fundatorem habuit: *at in eo falſos eſſe Socratem, & Sozomenum, quod Julii verba de una Alexandrina Eccleſia ab eo dicta, de univerſis interpretati ſunt*.

Verum Couſtantium potius, & Febronium falli, ego arbitror, quam Socratem, & Sozomenum; tum quia hi, qui ſæculo V. floruerunt, Julii ſententiam, & Eccleſiaſticam Traditionem magis, quam recentiores Commentatores exploratam habuiſſe credendi ſunt; tum quia memoratam Julii ſententiam in univerſa Eccleſia obtinuiſſe, plura alia monumenta teſtantur. Lucentius Apoſtolicæ Sedis in Chalcedonenſi Synodo Legatus loquens (*act.* 1.) de Dioſcoro Alexandrino, qui Epheſinæ Synodo II. præfuerat, atque S. Flavianum Conſtan-

Conſtantinopolitanum Epiſcopum damnaverat: *Judicii ſui*, inquit, *neceſſe eſt, eum dare rationem, quia cum perſonam judicandi non haberet, præſumpſit, & Synodum auſus eſt facere ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, quod nunquam licuit, nec factum eſt*. At Synodus Epheſina congregata fuerat non Alexandrinæ, ſed Conſtantinopolitanæ Sedis cauſa. Denique Patres Synodi VII. œcumenicæ Iconomachis Synodum a ſe Conſtantinopoli habitam, quaſi magnam, & generalem oſtentantibus, reſpondent (*act. 6*): *Quomodo magna, & generalis Iconomachorum Synodus, quæ non habuit cooperantem illius temporis Romanorum Papam, vel Sacerdotes ejus, neque per Legatos, neque per encyclicas literas, ut poſtulat Lex Conciliorum?* Jamvero Lucentius S. Leonis Legatus, & VII. œcumenica Synodus confidentiſſime affirmant, non poſſe concilia celebrari abſque auctoritate Romani Pontificis, idque Conciliorum Lege cautum eſſe. Hanc vero legem non ad Alexandrinam tantum, ſed etiam ad univerſam Eccleſiam ſpectare, ex eorum verbis perſpicuum eſt. Quid autem præterea ſcribunt Socrates, & Sozomenus? Non igitur hi falſi ſunt, cum memoratam Julii ſententiam de univerſis Eccleſiis interpretati ſunt, ſed falluntur Febronius, & Couſtantius. Scilicet Julius memoratam conſuetudinem retulit quidem ad ſingularem, quæ tunc agebatur, Epiſcopi Alexandrini cauſam; ſed eam in univerſa Eccleſia obtinere, non negavit; imo certum habuit.

Sed etſi Julii ſententia ad Alexandrinam Eccleſiam referenda eſt, certum nihiloſecius eſt, memoratum a Socrate, & Sozomeno Canonem ſæculo V. in Eccleſia veluti antiquitus Traditum obtinuiſſe. Alioquin aut Julii ſententiam de univerſis Eccleſiis interpretati non eſſent, aut ſaltem Julium ea in re deceptum fuiſſe, notaſſent. Igitur non licere Concilia celebrare abſque Romani Pontificis ſententia, & auctoritate, antiquiſſimus Eccleſiæ Canon, imo Apoſtolica traditio eſt. Nam juxta regulam, quam tradit S. Auguſtinus (*lib. 4. de bapt. contra Donat. cap. 24.*): *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec a Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*. Canon autem, de quo agimus, in univerſa Eccleſia ſemper obtinuit, uti ex ſuperioribus Socratis, Sozomeni, Lucentii, & VII. Synodi teſtimoniis conſtat; nec ullo in Concilio inſtitutum eſſe, ſcimus: Apoſtolica igitur auctoritate traditus eſſe, rectiſſime creditur. Jamvero ſi nefas eſt Synodos celebrare, aut quidquam in Eccleſiis decernere abſque Rom. Pontificis ſententia, & auctoritate, neque fas eſt Synodos, quæ quidem legitimæ ſint, abſque ejus auctoritate convocare. Ergo quidquid juris eſt in generalium Conciliorum convocatione, & celebratione, id Romani tantum Pontificis proprium eſt.

Ergo

Ergo generalium Conciliorum convocatio tum divina, tum humana Lege ad Romanum Pontificem ſpectat.

CAPUT XX.

Octo priora Concilia a Romanis Imperatoribus non ſuo jure, ſed alias ob cauſas, neque abſque R. Pontificis auctoritate convocata ſunt, præter Conſtantinopolitanum I., quod non fuit œcumenicum.

I. QUamquam autem tum divina, tum humana Lege œcumenicas Synodos convocandi jus Romano Pontifici convenit, is tamen eo uti nequit, niſi Regum, & Principum conſenſus accedat. Si enim hi Epiſcopos ſibi ſubditos ad Synodum a R. Pontifice indictam convenire, vetent, Synodus celebrari non poteſt. Quamobrem ut omnes, vel plerique Regni alicujus Epiſcopi ad Synodum conveniant, opus eſt, ut Rex datis literis illos ad Synodum convenire, vel permittat, ſi conveniendo parati ſint, vel jubeat, ſi convenire recuſent.

Itaque cum octo prioribus Eccleſiæ ſæculis totus fere chriſtianus Orbis Romanis Imperatoribus pareret, nulla œcumenica Synodus abſque eorum conſenſu celebrari potuit, nec ulla celebrata fuiſſet, niſi ipſi Epiſcopos publicis literis ad Synodos convocaſſent. Præterea cum Epiſcoporum plerique itinerum expenſis impares eſſent, non facile conveniſſent, niſi eos convenire Imperatores juſſiſſent, ac pecuniam ex ærario publico iis erogaſſent. Has ob cauſas, ut Imperatores Epiſcopos ad Synodos convocarent, Romani Pontifices æqui, bonique fecerunt, imo ipſi rogarunt. Sed cauſæ hujuſmodi nullum Synodos convocandi jus Imperatoribus, aut aliis Principibus tribuunt. Ut ſummum enim efficiunt, ut ipſi Epiſcopos ad Synodos convocent; ſed ut legitimas quoque Synodos Epiſcopi celebrent, nequaquam efficere poſſunt. Qua de re S. Maximus Martyr (*collat. cum Theodoſio Cæſar. Epiſc. tom. 7. concil. Labb. col.* 490.): *Si Synodos*, inquit, *quæ facta ſunt, juſſiones Imperatorum firmant, & non pia fides, recipe Synodos, quæ contra homouſion factæ ſunt. Nam juſſione Principum ſunt patratæ .... Quare autem non abjicitis eam, quæ depoſuit Paulum Samoſatenum ſub Sanctis,*

Sanctis, & Beatis Dionyſio Papa Romano, & Dionyſio Alexandrino, atque Gregorio miraculorum Patratore, qui eidem præfuit Synodo, quoniam non eſt juſſione facta Imperatoris? Qui præterea canon promulgat, ſolas illas approbandas Synodos, quæ Imperatoris juſſione ſunt congregatæ? Scilicet Princeps Epiſcopos in Synodum convenire, jubere poteſt, ſed ut legitimam etiam Synodum celebrent, nonniſi Romani Pontificis auctoritate fieri poteſt.

II. Sed ait Febronius, octo priora Concilia ab Imperatoribus convocata fuiſſe, *quædam etiam invito Pontifice*; quæ vero hæc ſint, non explicat, ne falſam propoſitionem falſis quoque argumentis probare cogatur. Ne tamen cuiquam dubitationis aliquid Febronii propoſitio ingerat, paucis ſingulorum Conciliorum, quæ in Oriente celebrata ſunt, hiſtoriam ad rem noſtram percurram.

III. Concilium Nicænum I. anno 325. a Conſtantino Magno convocatum eſt *ex Sententia Sacerdotum*, uti teſtatur Rufinus (*h. e. lib.* 10. *cap.* 1.), ideoque ex ſententia etiam S. Silveſtri Sacerdotis Maximi, qui & Legatos ſuos ad Synodum miſit. Id vero clarius etiam teſtantur Patres Synodi VII. (*act.* 8.): *Arius, inquiunt, diviſor, & partitor Trinitatis inſurgebat, & continuo Conſtantinus ſemper Auguſtus, & Silveſter laudabilis magnam, atque inſignem in Nicæa Synodum congregabant.*

IV. Concilium Conſtantinopolitanum I. œcumenicum II. habitum anno 381. a Theodoſio Seniore convocatum eſt. Sed Concilium iſtud œcumenicum non fuit. Ut enim ſcribit Theodoretus (*h. e. lib.* 5. *cap.* 7.), *Theodoſius Epiſcopos dumtaxat Imperii ſui Conſtantinopolim juſſit convenire.* Et Patres Synodi Italiæ (*ep.* 2. *ad Theodoſ. tom.* 2. *concil. Labb. col.* 1194.) ajunt: *Nos igitur in Synodo ea* (Romæ a Damaſo habita), *quæ totius Orbis Epiſcopis videbatur eſſe præſcripta, nihil temere ſtatuendum eſſe, cenſuimus. At eo ipſo tempore qui generale Concilium declinaverant, Conſtantinopoli quæ geſſiſſe dicuntur?* Quod igitur Conſtantinopoli celebratum eſt Concilium, generale non fuit.

At vero, inquit Febronius (*ib.* §. 4. *n.* 1.), Synodus illa in epiſtola ad Occidentis Epiſcopos ſe *univerſalem nominat, ante omnem Romani Pontificis conſenſum.* Sed fallitur Febronius. Non Conſtantinopolitani I. Concilii Patres, ſed ii, qui poſteriore anno Conſtantinopoli adhuc erant, *univerſalem* Synodum illam vocant. Sed neque tamen *univerſalem* proprie vocant; ſed quomodo Synodus Carthaginenſis habita anno 418. *univerſalem* vocat totius Africæ Synodum. Fuit igitur Conſtantinopolitana Synodus univerſalis, ſed totius Orientis dumtaxat. Imo Concilii Chalcedonenſis tempore nondum ut œcumenica agnoſcebatur. Nam S. Leo de illius Sy-

nodi canone 3. ita ſcribit ad Anatolium Epiſcopum C. P. (*ep.* 81.): *Perſuaſioni tuæ in nullo penitus ſuffragatur quorumdam Epiſcoporum ante ſexaginta, ut jactas, annos facta conſcriptio, nunquamque a Prædeceſſoribus tuis ad Apoſtolicæ Sedis tranſmiſſa notitiam, cui ab initio ſui caducæ, dudumque collapſæ ſera nunc, & inutilia ſubjicere fulcimenta voluiſti*. Et Paſchaſinus ejuſdem S. Leonis Legatus in Synodo Chalcedonenſi eumdem canonem improbans (*act.* 16.): *Accedit ad cumulum*, inquit, *quod trecentorum decem & octo Patrum Conſtitutionibus poſtpoſitis, centum quinquaginta, qui in Synodicis Canonibus non habentur, mentionem tantum feciſſe noſcantur*. Igitur nonniſi multo poſtea Conſtantinopolitanum Concilium inter œcumenica numeratum eſt, dumtaxat quoad Fidei definitionem, quia ſcilicet quoad hanc a Romana Eccleſia receptum, & confirmatum eſt. Nam *haud multo poſt*, inquit Photius (*lib. de 7. Synodis*) *& Damaſus Epiſcopus Romæ eamdem confirmans, atque fortiens acceſſit*. Quare S. Gregorius M. (*lib. 6. ep. 31.*): *Romana Eccleſia*, inquit, *eoſdem Canones, vel geſta Synodi illius hactenus non habet, nec accepit: in hoc autem eamdem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum*. Oecumenica igitur initio non fuit Synodus C. P. ipſeque Natalis Alexander (*in h. e. ſæc. 4. diſſ. 36. art. 1.*) fatetur, *ex poſt facto œcumenicam fuiſſe* (quoad fidei definitionem), *Damaſo, totaque Occidentalium Eccleſia hanc illi ſuo conſenſu dignitatem, & auctoritatem tribuentibus*. Cur vero œcumenica non fuit? Quia ſcilicet nec Romani Pontificis auctoritate convocata eſt, nec ejus Legati ei præfuerunt. Ergo ex II. Synodo œcumenica perperam concludit Febronius, *poſſe Synodos œcumenicas invito R. Pontifice convocari*, ut ait & memorato loco, & alibi (*cap. 9. §. 9. n. 6.*)

V. Epheſinum Concilium œcumenicum III. habitum anno 431. convocatum eſt a Theodoſio Juniore; non modo non invito S. Cœleſtino R. P., id enim eſt plane falſum; ſed ne inconſulto quidem. Ait quidem Natalis Alexander (*in h. e. ſæc. V. diſſ. 7. q. 2.*), ex epiſtola 3. Neſtorii conſtare, prius indictam fuiſſe a Theodoſio Synodum, quam Cœleſtino innotuit; ſed Neſtorii verba id non evincunt: *Placuit vero*, inquit Neſtorius, *piiſſimis Imperatoribus, Domino adjuvante, etiam Synodum inexcuſabiliter totius Orbis terrarum indicere, propter inquiſitionem aliarum rerum Eccleſiaſticarum. Nam dubitationem verborum non æſtimo habituram inquiſitionem difficilem*. Porro ſcribit quidem Neſtorius, indictam eſſe ab Imperatoribus Synodum, ſed nihil ſcribit, ex quo colligi poſſit, non ante de indicenda Synodo ab Imperatoribus Cœleſtinum conſultum fuiſſe. Imo cum Synodi Actioni primæ, antequam Legati a Cœleſtino ad Synodum miſſi Epheſum appulerunt, præfuerit S. Cyrillus Alexandrinus tamquam

Apoſto-

Digitized by Google

Apoſtolicæ Sedis Legatus, multo veriſimilius eſt, non inconſulto Cœleſtino Synodum ab Imperatoribus indictam fuiſſe. Prætermitto Fidei profeſſionem, quæ legitur in Libro diurno Romanorum Pontificum, quam libri editor Garnerius tribuit Johanni II. R. P. ubi dicitur, *Tertium Concilium ſub principalis quidem memoriæ Theodoſio Auguſto factum eſſe, ex auctoritate tamen Cœleſtini .... in Epheſinam Urbem conveniſſe*. Prætermitto & Acta S. Petronii, quæ non modo ab Eccleſia Bononienſi, ſed etiam a Doctiſſ. Gardinali Noriſio (*hiſt. Pelag. lib.* 2. *cap.* 9.) ut genuina probantur, quæque narrant S. Petronium a Theodoſio Romam miſſum eſſe, ut cum Cœleſtino de congreganda Synodo ageret. Hæc, inquam prætermitto. Quamvis enim, quod tamen non conſtat, inconſulto Cœleſtino Theodoſius Synodum convocaſſet, Cœleſtinus tamen convocationem probavit, atque ut etiam Apoſtolica auctoritate Synodus celebraretur, conſenſit.

VI. Concilium Chalcedonenſe œcumenicum IV. anno 451. a Marciano Imperatore, S. Leone Magno conſentiente, convocatum eſſe, pluribus veteris hiſtoriæ monumentis demonſtrat Natalis Alexander (*ſæc.* 4. *diſſ.* 11. *q.* 1.). Omnium inſtar eſto epiſtola ejuſdem Leonis (61. *al.* 87.) ad Synodi Epiſcopos, ubi ait: *Fraterna univerſitas, & omnium Fidelium corda cognoſcant, me non ſolum per Fratres, qui vicem meam executi ſunt, ſed etiam per approbationem geſtorum Synodalium, propriam vobiſcum uniſſe ſententiam: in ſola videlicet cauſa fidei, propter quam generale Concilium & ex præcepto Chriſtianorum Principum, & ex conſenſu Apoſtolicæ Sedis placuit congregari*.

VII. Concilium C. P. II. œcumenicum V. anno 553. a Juſtiniano Imperatore, Vigilio R. P. conſentiente, convocatum eſt. Vigilius enim ſcribens ad Eutychium C. P. Patriarcham, & ad *Epiſcopos ſub eo conſtitutos: Veſtrum deſiderium cognoſcentes*, inquit, *adnuimus, ut de tribus Capitulis, ex quibus quæſtio nata eſt, facto regulari conventu .... collationem cum unitis Fratribus habeamus*. Juſtinianus ipſe in epiſtola ad Synodi Epiſcopos: *Quoniam vero*, inquit, *cum poſtea veniſtis ad regiam Civitatem, ſcripta facta ſunt inter veſtram Sanctitatem, & Vigilium Religioſiſſimum Papam Senioris Romæ, ut omnes vos conveniatis &c.* Quamobrem Patres Synodi VI. in ſermone proſphonetico ad Imperatorem: *Vigilius*, inquiunt, *poſt hæc Juſtiniano piiſſimo conſonuit, & Quintum Concilium conſtitutum eſt*.

VIII. Concilium C. P. III. œcumenicum VI. anno 680. a Conſtantino Pogonato convocatum eſt: Sed Conſtantinus Epiphanium, qui ſibi a Secretis erat, ad Domnum Rom. Pontificem cum *divali* miſit, qua eum ad Synodum invitabat, atque ut Legatos ſuos ad Synodum mitteret, hortabatur: Sed cum Domnus obiiſſet,

eique Agatho ſuffectus eſſet, hic ut Synodus celebraretur, conſenſit, & Legatos ad Synodum miſit; uti conſtat ex epiſtolis Imperatoris ad Domnum, & Agathonis ad Imperatorem.

IX. Concilium Nicænum II. œcumenicum VII. anno 787. convocatum eſt ab Irene, & Conſtantino ejus Filio, annuente Hadriano I. R. P. qui ſcribens ad Tharaſium C. P. Patriarcham: *Quod ſi*, inquit, *non perſpecta mihi eſſet, & probe cognita erga Sacras Synodicas ſex Conſtitutiones, & venerandas Imagines veſtra ſinceritas, & orthodoxa fides, nequaquam ad Synodum convocandam adſentiremus*.

X. Concilium C. P. IV. œcumenicum VIII. anno 869. a Baſilio Imperatore, Hadriani II. voluntate convocatum eſt. Hic enim in epiſtola ad Baſilium: *Volumus ergo*, ait, *per veſtra pietatis induſtriam illic numeroſum celebrare Concilium, cui quoque noſtri miſſi præſidentes &c.*

Ex his autem manifeſtum fit, falſo ſcripſiſſe Febronium, quædam ex octo prioribus œcumenicis Conciliis *etiam invito Pontifice* convocata fuiſſe. Non enim niſi Apoſtolica Sede conſentiente convocata ſunt, ejuſque, quod præcipue agimus, auctoritate celebrata. Ut enim iterum dicam, potuerunt quidem Imperatores Epiſcopos ad Synodos convocare, imo ut ipſi eos convocarent, cauſæ ſuperius memoratæ poſtulabant; at vero ut convocati Epiſcopi legitimam Synodum celebrarent, nonniſi Apoſtolicæ Sedis auctoritate fieri poterat.

XI. Quid igitur ſibi vult Febronius, cum ait (*ib.* §. *3.*), *poſt octo ſæcula diſciplinam mutatam eſſe:* atque *uſu, & tacito tam Eccleſiarum, quam Principum conſenſu jus generales Synodos convocandi dimiſſum fere fuiſſe ſoli R. Pontifici?* Quid, inquam, ſibi vult? Niſi enim ſpuria ſunt, & a Pſeudo-Iſidoro conficta, quæ a me ſuperius allata ſunt monumenta (*cap.* 19.), generales Synodos convocandi jus non Imperatorum, & Principum, ſed Romani Pontificis proprium eſſe, & Chriſtus voluit, & Eccleſia perpetuo confeſſa eſt. Quî ergo id juris Eccleſiæ, & Principes Rom. Pontifici dimittere potuerunt, quave auctoritate eodem jure eum privare poſſunt? Scilicet, inquit Febronius (*ib.* §. *3. n. 2.*), *quoties de ipſo Papa judicando agitur*. Sed judicari ne poteſt Papa a Synodo? Id quidem fieri non poſſe, alibi ego diligentius oſtendam. Nunc ad rem noſtram, Principes, & Epiſcopi Synodum convocanto, nulla Apoſtolicæ Sedis, & Romani Pontificis habita ratione: neque enim conſentiet unquam Romanus Pontifex, ut Synodus ipſum judicatura congregetur. Erit ne legitima Synodus? Niſi ſuperiora monumenta, eſt enim rurſus dicendum, ſpuria ſunt, ejuſmodi Synodus conciliabulum erit. At Conciliabula a Principibus convocari poſſe, quamquam nollemus, non tamen negamus.

Sed *cum apud omnes conſtet*, addit Febronius (*ib. n.* 4.), *ſaltem in quibuſdam caſibus extraordinariis, univerſale Concilium abſque Papa congregari poſſe, idque non modo in Schiſmate, ſed & ſi ſit hæreticus; ſi detentus, ſi mente captus, ſi aperte Simoniacus, ſi ea moliatur, quibus univerſam peſſumdet Eccleſiam &c. quos caſus evenire poſſe Theologi, & Canoniſtæ omnes agnoſcunt; nemo diffitebitur, iiſdem caſibus Papæ Concilium anteponi*.

Verum primo: tempore Schiſmatis, cum ſcilicet plures Pontificis dignitatem nullo certo jure ſibi vindicant, ego quoque fateor poſſe Synodum ab Epiſcopis, & Principibus congregari, qua Schiſma componatur, & legitimus Pontifex eligatur. Sed hinc concludi nequit, poſſe œcumenicam Synodum abſque Pontificis certo legitimi auctoritate congregari. Secundo: Romanus Pontifex certo legitimus nonniſi ob hæreſeos cauſam ab œcumenica Synodo, præeunte tamen Apoſtolicæ Sedis auctoritate, judicari poteſt. Sed Papa hæreticus extra Eccleſiam eſt, nec Papa legitimus eſt: Quamquam ſingulari Chriſti ope, Romanorum Pontificum nemo hactenus in hæreſim lapſus eſt. Alias vero ob cauſas Romanus Pontifex ab hominibus judicari non poteſt, qua de re dicam alibi. Igitur abſque legitimi Pontificis auctoritate nulla œcumenica Synodus, nullâque de cauſa congregari poteſt. Affirmat quidem confidenter Febronius, ſed eum rogo, ut non Gerſonis, Æneæ Sylvii, Baſileenſium, Andreæ Magorenſis, aliorumque recentiorum, ſed veterum monumentorum auctoritate nobiſcum contendat. Sed fruſtra id eum rogaverim.

CAPUT XXI.

Generalibus Conciliis præeſſe, divinâ, humanaque Lege Romani Pontificis, ejuſve Legatorum eſt. Oſium Cordubenſem Romani Pontificis nomine Nicæno Concilio præfuiſſe, oſtenditur.

I. Romanum Pontificem, vel ejus Legatos œcumenicis Synodis præeſſe debere, fatetur Febronius (*cap.* 6. §. 4.). Sed addit (*ib. n.* 1.): *Hæc ita quidem in regula, & niſi Concilio aliter videatur. In hujus etenim facultate eſt, etiam præſentibus Pontificiis Legatis, alteri præſidium deferre: = multæ rationes ſuadent, præſidentiam Concilii Nicæni, quam habuit Oſius Cordubenſis, ipſi delatam fuiſſe per electionem Concilii cum beneplacito Imperato-*

peratoris; neque enim credimus, eum fuiſſe Legatum Pontificis ⁝⁝, *inquit* Gibert *Corp. jur. Can. in prolegom. part.* 1. *tit.* 15. *ſect.* 17. *pag.* 107. *Aderant Concilio Silveſtri Papæ Legati Vitus, & Vincentius Presbyteri, qui poſt Oſium ſubſcripſerunt. Adde Launojum lib.* 8. *epiſt.* 1. *& ſeqq. Concilio Conſtantinopolitano I. generali II. Damaſum Papam non præfuiſſe, certum eſt.*

Sed primo ſi Romanus Pontifex Concilio adſit, eum Concilio præeſſe debere, non adeo effrontem eſſe Febronium opinor, ut negare velit; alioquin cum honoris quoque Primatu actum eſſet. Legari autem Romani Pontificis, ejus perſonam gerunt. Quare S. Cœleſtini Legati in Epheſina Synodo ajunt (*act.* 3.): *Nos ejus præſentiam ſupplentes*. Lucentius Epiſcopus in Concilio Chalcedonenſi dicitur *Vicarius Sedis Apoſtolicæ*. Sed rem ego certiſſimam, argumenta afferendo, in dubium voco. Si ergo Romani Pontificis Legati adſint, ipſi Synodo præeſſe debent, neque *in Synodi facultate eſt alteri præſidium deferre*. Idque adeo S. Leoni Magno perſuaſum erat, ut Synodo Chalcedonenſi ſcripſerit (*ep.* 93. 89.): *In his Fratribus... qui ab Apoſtolica Sede directi ſunt, me Synodo veſtra Fraternitas æſtimet præſidere*. Quare Paſchaſinus ejuſdem Leonis Legatus (*act.* 3.): *Noſtram parvitatem*, inquit, *huic Sancto Concilio pro ſe præſidere PRÆCEPIT*. Id vero Synodus ipſa faſſa eſt apertiſſime: Nam in epiſtola ad Leonem (*inter Leon.* 98.) ait: *Quibus tu quidem ſicut membris Caput praetas in his, qui tuum tenebant locum*. Et omnibus quidem œcumenicis Conciliis tum in Oriente, tum in Occidente celebratis Romani Pontifices, aut eorum Legati præfuerunt, quin unquam de eo Romani Pontificis, & Legatorum jure vel minimam dubitationem quiſquam moverit. Sed excipienda tamen ſunt Concilia II. & V. quibus neque Romanus Pontifex, neque ejus Legati præfuerunt. Verum Conſtantinopolitanum I. non fuit œcumenicum, ut ſuperius oſtendi. Conſtantinopolitano autem II. œcumenico V. præfuit Eutychius Patriarcha C. P., Sed is etiam Synodi nomine Vigilium R. Pontificem rogavit, ut Synodo præeſſet: *Neceſſarium eſt*, inquit, *conferri de Tribus Capitulis; unde quibuſdam quæſtio nata eſt. Et ideo petimus, præſidente nobis veſtra Beatitudine ſub tranquillitate, & Sacerdotali manſuetudine, propoſitis Sanctis Evangeliis, communi tractatu eadem Capitula in medio proponenda quæri, & conferri, & finem quæſtioni imponi*. Sed neque V. Synodus œcumenicis Synodis adnumerata eſt, niſi poſtquam a Vigilio, atque ab aliis Romanis Pontificibus probata, & confirmata eſt, uti Natalis Alexander oſtendit (*ſæc.* 6. *diſſert.* 3. *art.* 3.).

II. Differendum nunc eſt de Nicænæ Synodi Præſide Oſio Cordubenſi. Hunc fuiſſe Pontificis Legatum, non credit cum Gibert

Febro-

Febronius, qua de re conſuli vult Launojum, quem tamen Natalis Alexander (*ſæc.* 4. *diſſ.* 12.) ſolide refutavit. Sed Febronius, ſi quid a quoquam inſcite, ac temere dictum eſt, dummodo contra Romanum Pontificem dictum ſit, illud non prætermittit. Eſt igitur Giberto, & Febronio ſolidis argumentis facienda fides, Oſium Cordubenſem S. Silveſtri nomine Nicænæ Synodo præfuiſſe.

Ac primo quidem Gelaſius Cizicenus, qui V. ſæculo floruit, ſcribit (*lib.* 2. *hiſt. Concil. Nic. cap.* 5.), Oſium, qui locum tenebat Silveſtri Epiſcopi magnæ Romæ, una cum Romanis Presbyteris Vito, & Vincentio Nicænæ Synodo interfuiſſe; idque ex Euſebio ſe deſcripſiſſe reſtatur: quod notat etiam Photius Gelaſii libros recenſens (*cod.* 88.). Quamobrem cum Euſebius (*lib.* 3. *de Vita Conſt. cap.* 7.) narret tantum, Hiſpanum quemdam celebritate nominis, & famæ inſignem cum aliis multis Nicænæ Synodo interfuiſſe, Euſebii textum murilatum eſſe, jure ſuſpicantur eruditi Viri. Neque enim Euſebius, qui Provincias omnes accurate recenſet, quarum Epiſcopi ad Synodum convenerunt, Oſii nomen, Italiam, & Romam omiſiſſe credi poteſt. Neque Gelaſius, id quod narrat, ex Euſebio ſe exſcripſiſſe teſtatus eſſet, niſi in Euſebianis Codicibus ejus ætate extitiſſet.

Secundo. Antiqua Canonum Collectio (*Henric. Caniſ. tom.* 6. *antiqu. Lect.*) anno 773. Carolo Magno tradita ab Hadriano I. Romano Pontifice, narrat, Oſium ad Nicænum Concilium *fuiſſe ab Apoſtolica Sede cum Victore* (Vito, vel Avito, ut alii legunt), *& Vincentio Presbyteris deſtinatum*.

III Sed Vitus, & Vincentius his verbis Synodo ſubſcripſere: *Presbyteri Romani pro Venerabili Viro Papa, & Epiſcopo noſtro Sancto Silveſtro ſubſcripſimus*. Oſius vero primus ante Vitum, & Vincentium ſubſcripſit, ſeque Epiſcopum Cordubenſem dumtaxat inſcripſit.

Verum primo: ejuſmodi Viri, & Vincentii ſubſcriptio legitur quidem in Codicibus Queſnelliano, Colbertino, & Pariſienſi; ſed in antiqua verſione a Juſtello edita, & in Codicibus Vaticano, Barberinio, & Vallicellano apud Cll. Ballerinios (*tom.* 3. *oper. S. Leon.*) non alia legitur, præter hanc: *Presbyteri Romani*. Antiquiſſimus etiam Codex apud P. Amort (*tom.* 1. *elem. Jur. Can.*) hanc habet: *Vitus, & Vincentius Presbyteri Urbis Romæ ſubſcripſerunt*. Quare quæ præterea in aliis Codicibus leguntur, ea e margine in textum irrepſiſſe veroſimile eſt.

IV. Secundo: quemadmodum Natali Alexandro (*ib.*) poſt Cardinalem Perronium notatum eſt, conſueverunt olim Romani Pontifices ad Synodos in Oriente celebratas mittere non modo Legatos ſuos, electos nempe ex familiari Clero, ſed etiam Legatos Synodi Apoſto-

Apoſtolicæ Sedis. Nam Agatho in Epiſtola ad Conſtantinum Pogonatum ſuam in mittendis ad Synodum VI. Legatis moram excuſat, quod convocare debuerit non modo ſuum Clerum, ſed etiam *Synodum Apoſtolicæ Sedis*, ut ſcilicet tum ex Clero, tum ex Synodo Legatos eligeret. Quare VI. Synodo (*act.* 18.) ſubſcripſere Theodorus, & Georgius Presbyteri, & Johannes Diaconus *locum gerentes Agathonis Beatiſſimi, & univerſalis Papæ Urbis Romæ*: Et Johannes Portuenſis, Baſilius Gortinenſis, Abundantius Tempſenſis, Johannes Rhegienſis Epiſcopi *Legati Sancti Concilii Apoſtolicæ Sedis antiquæ Romæ*. Cum autem utriuſque ſeorſim legationis veſtigium in antiquiotibus Synodis nullum occurrat, factum eſſe dicendum eſt, ut legatio utraque, quæ in VI. Synodo ſeorſim ſe prodit, in antiquioribus Synodis conjuncta fuerit, iidemque Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi tum Romani Pontificis, tum Synodi Apoſtolicæ Sedis, ſeu Synodi Occidentalis, communi nomine Legationem obierint. In Synodo quidem Epheſina (*act.* 3.) S. Cœleſtini Legati dicuntur *depoſuiſſe, ſupplentes locum Sedis Apoſtolicæ, totiuſque Synodi Sanctiſſimorum, Deoque dilectiſſimorum Occidentalium Epiſcoporum*. Niſi autem Oſius Romani Pontificis, & Synodi Occidentalis Legatus fuit, Nicænæ Synodo nullus Synodi Occidentalis Legatus interfuit, cum tamen Nicæna Synodus poſteriorum Synodorum exemplar, & norma eſſe debuerit. Oſius igitur Apoſtolicæ Sedis Legatus fuit. At quia Vitus, & Vincentius Presbyteri Romani Pontificis dumtaxat Legati erant, primi poſt Oſium ſubſcripſerunt, & ſe Legatos Silveſtri inſcripſerunt: Oſius vero, qui & Silveſtri, & Synodi Sedis Apoſtolicæ Legatione ſimul fungebatur, primus omnium ſubſcripſit, quin opus fuerit, ut ſe Legatum inſcriberet. Eadem de cauſa Synodo Sardicenſi, cui præfuit Oſius, Archidamus, & Philoxenus Presbyteri Legati Julii Romani Pontificis, ita poſt Oſium ſubſcripſerunt *Julius Romæ per Archidamum, & Philoxenum*. Oſius igitur & Silveſtri, & Synodi Apoſtolicæ Sedis Legatus fuit, eoque nomine Nicænæ Synodo præfuit, quidquid credat cum Giberto Febronius.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXII.

Oſtendit Apoſtolicæ Sedis definitionum examen ab œcumenicis Synodis inſtitutum, earumdem definitionum auctoritati nihil officere.

I. FEbronius (*cap. 6. §. 6.*) oſtendendum aſſumit, *nullum unquam Pontificem auſum eſſe de novo diſcutere decreta alicujus Concilii univerſalis: E contra Synodos Generales frequenter ad novum examen revocaſſe materias, & quæſtiones a Summis Pontificibus deciſas.*

Verum ad primum quod attinet, ne generalia quidem Concilia ſuperiorum generalium Conciliorum decreta, quæ ad Fidem ſpectant, *de novo diſcutere* audent; quia cum a Romano Pontifice una cum Epiſcopis in Synodos congregatis edita ſint, ipſius Spiritus Sancti auctoritate edita ſunt. Quamobrem S. Leo (*epiſt. 132. ad Leonem Aug.*): *De rebus*, inquit, *apud Nicæam, & apud Chalcedonem, ſicut Deo placuit, definitis nullum audemus inire tractatum; tamquam dubia, vel infirma ſint, quæ tanta per Spiritum Sanctum fixit auctoritas.*

Quod autem ſpectat ad examen Apoſtolicæ Sedis definitionum a Synodis inſtitutum, quid illud ſit, & utrum Pontificis auctoritati quidquam detrahat, ante inquirendum, quam Synodorum Acta expendenda eſſe, cenſeo, ut perſpicue, quoad ejus fieri poſſit, argumenta, quæ ex Synodorum Actis contra Pontificis auctoritatem ducit Febronius, refellam.

II. Itaque primo notandum eſt, inſtitutum doctrinæ, aut definitionis alicujus examen, ejus definitionis, aut definientis auctoritati non ſemper officere. Rem exemplis expono. Si Catholicus cum Hæretico de aliqua Fidei definitione ab œcumenico Concilio edita diſputationem ineat, uterque Concilii definitionem examinat; Catholicus quidem eam explicando, atque Scripturæ, & Traditionis auctoritate, quaſi dubia eſſet, confirmando, ut eam Hæretico perſuadeat: Hæreticus vero eam contrariis argumentis impugnando. Nemo autem, cui ſana ſit mens, dixerit, non ſummam eſſe apud Catholicum ejus definitionis auctoritatem, aut iſtiuſmodi examen definitionis auctoritati quidquam officere. In eamdem rem afferri poteſt Sacrorum Librorum examen, quod a nobis inſtitui ſolet, ut eos divinitus inſpiratos eſſe, demonſtremus: quod quidem divinæ eorum auctoritati non obeſt. Si igitur œcumenicæ Synodi Ro-

 manorum

manorum Pontificum definitiones aliquando eum in modum examinaverint, nemo inde rite conficiet, non fuiſſe ſummam etiam apud œcumenicas Synodos Apoſtolicarum definitionum auctoritatem. In eum autem modum Pontificis definitiones a Synodis examinatas eſſe, ex earumdem Synodorum Actis evincam.

III. Deinde quod ajunt Febronius, aliique, quibuſcum diſputamus, Synodorum Patres Pontificis definitionibus libere conſentire, & ſubſcribere, nos quoque fatemur: Sed negamus, quod inde concludunt, Pontificis definitionum vim a Patrum conſenſu pendere. Nam & Sacrorum Librorum doctrinæ, & Eccleſiæ definitionibus libere aſſentimur; nec tamen earum vis ab aſſenſu noſtro pendet, neque conſenſus noſter iis intrinſeci, ut ajunt, ponderis quidquam addit.

Aſt, dicet Febronius, niſi Pontificis definitioni Synodi Patres conſentiant, nulla erit apud eos, ideoque nec apud Eccleſiam ejus definitionis auctoritas.

Quid vero inde concludet? ajo ego. Quanta, quæſo, eſſet apud nos Sacrorum Librorum & Synodorum œcumenicarum auctoritas, niſi illorum doctrinæ, & harum definitionibus aſſentiremur? Quanti ſunt apud Judæos Novi Teſtamenti libri? Quanti apud Arianos fuit Nicænæ Synodi definitio? Quidquid demum reſpondere velit Febronius, illud ego conficiam, ex ſuffragii libertate, qua gaudent Synodorum Patres, & quam ipſe tantopere jactat (*cap. 6. §. 6. n. 7.*), non rite concludi, Pontificis definitionum vim, & pondus a Patrum ſuffragiis, & conſenſu pendere. Ut igitur ex ſuffragii libertate id conficiat Febronius, quod intendit, demonſtrandum illi eſt, poſſe Patres Pontificis definitioni non conſentire, & ſi non conſentiant, Pontificis definitionem auctoritate ſua cadere, & irritam eſſe. Id vero ex Synodorum Actis nunquam demonſtrabit. Nullum enim ejus rei exemplum ex Synodorum Actis extat. Imo quotieſcumque Pontifex ante Synodum Fidei controverſiam definivit, ſuamque definitionem Synodi Patribus ſubſcribendam exhibuit, quod in œcumenicis Synodis III. IV. VI. VII. & VIII. factum eſt, Synodi Patres Pontificis definitioni ſubſcripſerunt.

IV. Præterea Synodi Patres una cum R. Pontifice Fidei controverſiarum Judices ſunt, ut alibi dixi, unumque cum Romano Pontifice veluti Judicem conficiunt; quod quidem Eccleſiæ unitati apprime convenit. Ergo ipſi quoque definitiones a R. Pontifice editas expendere debent, ut verborum, & ſententiarum vim intelligant, eâque ratione non temere, & inconſultò, ſed cum cognitione cauſæ, ut ajunt, ſuffragium ferant, & judicent. Scripturæ etiam, & Patrum teſtimonia, ſiquæ a Pontifice ad fidei definitionem confirmandam allegantur, explorare debent, tum ut ipſi quo-

que

que definitionis fontes compertos habeant, tum ut judicii ſui reddendæ rationi, Hæreticiſque refutandis parati ſint. Atque id quidem in ſingulis œcumenicis Synodis factum eſt. Hujuſmodi autem agendi rationem, & Pontificis definitionum examen ſummæ ejuſdem Pontificis auctoritati, & definitionum infallibilitati nihil officere, per ſe manifeſta res eſt.

Hæc, quæ notata ſunt, præ oculis haberi velim; ex his enim argumenta, quæ ex Synodorum Actis ducit Febronius, nullo negotio refutantur.

CAPUT XXIII.

Quæ tum a S. Cæleſtino, tum ab Epheſina Synodo in cauſa Neſtorii geſta ſunt, ea ſummam Romani Pontificis juriſdictionem, & in fidei cauſis definiendis auctoritatem oſtendunt.

I. QUoniam Febronius ad Veterum Conciliorum Acta ſæpe nos provocat, operæ pretium eſt rem hanc diſtinctis Capitibus agere, atque hinc etiam ſummam Romani Pontificis juriſdictionem, atque in Fidei cauſis decernendis auctoritatem ſolide demonſtrare. Primo Febronius (*Cap. 5. §. 4.*) Honorati Tournely argumenta impugnare conatur, quibus doctiſſimus ille Pariſienſis Theologus ex antiqua, & coſtanti Eccleſiæ Traditione ductis univerſalem Romani Pontificis juriſdictionem oſtendit (*Tract. de Eccl. q. 5. art. 2.*). Deinde probandum aſſumit (*cap. 6. §. 6.*), Fidei cauſas a Romanis Pontificibus difinitas, ab œcumenicis Synodis retractatas fuiſſe: *Uſus*, inquit, *& diſciplina Eccleſiæ Pontificia decreta ſuo examini, ac judicio ſubjiciendi ſeſe plane manifeſtat in Conciliis III. IV. VI. & ſequentibus*.

II. Ego vero Superius (*cap. 18. n. 3.*) œcumenicas Synodos dixi neceſſarias eſſe, non *abſolute* quidem, ut Fidei dogmata conſtituantur, ſi antea ab Apoſtolica Sede conſtituta fuerint, ſed alias ob cauſas ibi memoratas. Dixi præterea, Romanos Pontifices Synodorum celebrationi conſenſiſſe quidem, ſed illud ſemper præcaviſſe, ne conſtitutum a ſe Fidei dogma in dubium, & diſceptationem vocaretur; ſed illud in primis Epiſcopi omnes amplecterentur, eique ſubſcriberent, ac refractarios ſubſcribere cogerent; cætera vero Epiſcopis, præeuntibus Apoſtolicæ Sedis Legatis, permiſiſſe. Hæc vero, quæ ſuperius præfidentius affirmavi, & alia præterea, quæ ad Roma-

Digitized by Google

ni Pontificis juriſdictionem ſpectant, ipſis Synodorum Actis, ad quæ Febronius nos provocat, luculentiſſime, niſi fallor, demonſtrabo. Itaque quæ in cauſa Neſtorii tum a S. Cœleſtino R. P. tum ab Epheſina Synodo acta ſunt, expendamus.

III. S. Cœleſtinus I. de Neſtorii hæreſi a S. Cyrillo Alexandrino certior factus, eam ſtatim damnavit, atque Neſtorium, niſi intra decem dies nefariam doctrinam ſuam ejuraret, ab eodem Cyrillo Apoſtolicæ Sedis auctoritate Epiſcopatu privari juſſit (*ſuper. cap.* 15. *n.* 3.). Ergo S. Cœleſtinus ſibi eſſe putavit tum Neſtorianæ hæreſcos damnandæ, tum Neſtorii dignitate privandi auctoritatem. Id vero abſque ſumma R. Pontificis tum in Conſtantinopolitanum Epiſcopum juriſdictione, tum Fidei cauſarum decernendarum auctoritate fieri non potuit. Quæ ergo in Cauſa Neſtorii a Cœleſtino geſta ſunt, ea ſummam R. Pontificis juriſdictionem, & auctoritatem oſtendunt.

IV. Hæc tamen Febronius (*cap.* 5. §. 4. *n.* 2.) *ſine Superioritatis Eccleſiaſticæ uſu, aut jure* a Cœleſtino facta eſſe, putat. *Negata*, inquit, *Neſtorio reliquorum Epiſcoporum communione, per ſe fluebat, ejus Cathedræ de alio Antiſtite providendum fuiſſe, mediante Alexandrino. Talem excommunicationis, & damnationis cenſuram in virum heterodoxum, ejuſque ſcripta ferre, pertinebat ad jus omnium Orthodoxorum Epiſcoporum. Cyrillus jam ante Concilium Epheſinum in Alexandrina ſua Synodo... Neſtorii doctrinam anathematizaverat. Quinimo Neſtorius ipſe alienos a ſua opinione Epiſcopos excommunicaverat, attamen ſine juriſdictionis ſpecie, vel obtutu. Hæc, inquam, omnia fiebant ſine ſuperioritatis Eccleſiaſticæ uſu, aut jure.*

Verum primo: quamvis S. Cyrillus cum ſua Synodo hæreticam eſſe cenſuiſſet Neſtorii doctrinam, nihilominus neque communionem cum Neſtorio palam abrumpere, neque quid ea de re ſentiendum eſſet, aperte definire auſus eſt, ſed S. Cœleſtinum conſuluit (*vid. cap.* 14. *n.* 1.), eumque rogavit, ut quid agendum, & ſentiendum eſſet, perſpicue definiret. Nam in Epiſtola ad Cœleſtinum: *Non prius autem*, inquit, *illius communionem palam, aperteque deſerimus, quam hæc ipſa Pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hic ſentias, præſcribere; quo liquido nobis conſtet, communicare ne nos cum illo, oporteat, an vero libere ei denunciare, neminem cum eo communicare, qui ejuſmodi erroneam doctrinam fovet, ac prædicat. Porro tuæ integritatis mens, & ſuper hac re ſententia piiſſimis, deoque devotiſſimis Macedoniæ Epiſcopis, nec non totius Orientis Antiſtitibus perſpicue per literas exponi debet.* Cyrillus igitur, nec ſibi, nec ſuæ Synodo quidquam decernendi auctoritatem arrogavit, ſed integram cauſam Cœleſtini judicio reliquit, quod putaverit, ſolius Romani Pontificis judicio, & auctoritate finiri poſſe. Igitur non *ad omnium orthodoxorum Epiſcoporum*

jus

jus pertinere exiſtimavit, *talem excommunicationis, & damnationis cenſuram* in Epiſcopum Conſtantinopolitanum ferre; ſed id juris ſolius R. Pontificis eſſe putavit.

Secundo. Etiamſi *negata Neſtorio aliorum Epiſcoporum communione, per ſe flueret, ejus Cathedræ de alio Antiſtite providendum fuiſſe*; definire tamen, deneganda nec ne eſſet Neſtorio ab aliis Epiſcopis communio, Romani Pontificis eſſe, putavit S. Cyrillus. Igitur non ad omnium orthodoxorum Epiſcoporum, ſed ad ſolius Pontificis jus pertinebat excommunicationis, & damnationis cenſuram in Neſtorium ferre.

Tertio. Quo veteri monumento nixus ait Febronius, negata Neſtorio aliorum Epiſcoporum communione, ejus Cathedræ de alio Antiſtite providendum fuiſſe, *mediante Alexandrino?* Quod enim Ægyptii per Alexandrinum Epiſcopum cum R. Pontifice communicare conſueverint, non eſt ad rem. Quî enim hinc fluit, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ de alio Antiſtite providendum fuiſſe, *mediante Alexandrino?* Igitur Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ab Alexandrino Epiſcopo providendum fuit, quia id muneris Apoſtolicæ Sedis auctoritate illi demandavit S. Cœleſtinus.

Denique Cœleſtinus Cyrillo reſpondens, non ſtatim vetat alios Epiſcopos cum Neſtorio communionem habere, ut negata illi eorum communione, alium Epiſcopum in ejus locum ſufficiat; ſed primum Cyrillo præcipit, ut niſi Neſtorius intra decem dies nefariam hæreſim anathematizet, *illico* Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ provideat.

Jamvero quæ hactenus dicta ſunt, contrahamus. Neſtorius pravam doctrinam in vulgus edit: Eam Cyrillus, aliique Epiſcopi rejiciunt; ſed neque Neſtorium Epiſcopatu abdicare, neque ejus communioni palam nuncium mittere audent: Ea de re Cœleſtinum conſulunt, ut is, quid ſit ſentiendum, agendumque, definiat. Cœleſtinus Neſtorii doctrinam damnat; & Sedis Apoſtolicæ auctoritatem Cyrillo delegat, ut eumdem Neſtorium, niſi intra decem dies doctrinam ſuam ejuret, Epiſcopatu illico abdicet, aliumque Epiſcopum in ejus locum ſufficiat. Ita ne vero in Neſtorii cauſa agere potuit Cœleſtinus *ſine ſuperioritatis Eccleſiaſticæ uſu, aut jure?* Si quod egit in Neſtorium Cœleſtinus, ageret in Clericum ſibi ſubditum Epiſcopus, hunc *ſuperioritate* Eccleſiaſtica uti, negaveris?

Præterea Synodus demum Epheſina abdicationis ſententiam in Neſtorium pronunciavit, quam antea pronunciaverat Cœleſtinus. Synodus autem *ſuperioritate Eccleſiaſtica in Neſtorium jure ſuo uſa eſt*, ut fatetur Febronius: ergo etiam Cœleſtinus. Quod enim Cœleſtini ſententiam exequi non potuerit Cyrillus, id argumento non eſt, non potuiſſe Cœleſtinum eam jure ſuo pronunciare, ejuſque executionem

tionem Cyrillo committere. Synodus quidem, quæ ſententiam a Cœleſtino latam eſſe, noverat, nullam de ejus auctoritate, aut jure dubitationem movit; imo eam a Cœleſtino jure ſuo latam eſſe, agnovit; eam enim ſe executioni mandaſſe, faſſa eſt, ut paulo inferius dicam. Si ergo *ſuperioritate Eccleſiaſtica* uſa eſt Epheſina Synodus, ea uſus eſt etiam Cœleſtinus. Imo cum Synodus Cœleſtini ſententiam executioni mandaverit, Cœleſtini potius jure, quam ſuo ſuperioritate Eccleſiaſtica in Neſtorium uſa eſſe videtur. Scilicet Cœleſtini ſententiam, quam Apoſtolica auctoritate exequi non potuit Cyrillus, executa eſt ipſa Synodus. Nonne igitur in Cauſa Neſtorii ſumma Apoſtolicæ Sedis auctoritate, & juriſdictione, ſeu, ut cum Febronio loquar, Superioritate eccleſiaſtica uſus eſt Cœleſtinus?

Sed concludit Febronius: *Nemo vel mediocriter eruditus aſſeruerit, eo ævo jus deponendi Epiſcopos R. Pontifici competiiſſe, aut ab eo exercitum fuiſſe*.

At vero niſi Cyrilli, & Cœleſtini epiſtolæ, & Epheſinæ Synodi Acta Pſeudo-Iſidori commenta ſunt, eo etiam ævo jus deponendi Epiſcopos R. Pontifici competebat; eoque aliquando Pontifices uſi ſunt; cum ſcilicet, ut eo jure uterentur, Eccleſiæ res, temporumque ratio poſtulavit. Eo quidem jure uſus eſt Cœleſtinus in Neſtorium, nec tamen aut Cyrillus, aut Epheſina Synodus eum adrogati ſibi juris redarguerunt.

V. De cauſa Fidei ex ipſius Epheſinæ Synodi Actis eſt nunc diſſerendum. Cœleſtini ſententiam exequi non potuit Cyrillus, quia Neſtorius œcumenicam Synodum ab Imperatore convocandam curavit. Quod ut audivit Cœleſtinus, ratum habuit Imperatoris animum, atque Legatos ſuos ad Synodum miſit, ea tamen lege, ut quæ prius ipſe conſtituerat, tum Legati, tum Synodus exequerentur. In Commonitorio enim Legatis tradito (*nov. collect. Concil. Baluz.*): *Auctoritatem*, inquit, *Sedis Apoſtolicæ cuſtodiri debere, mandamus: Siquidem & inſtructiones, quæ vobis traditæ ſunt, hæc loquantur, ut intereſſe Conventui debeatis: ad diſputationem ſi fuerit ventum, vos de eorum ſententiis judicare debeatis, non ſubire certamen.*

Argumentum, quod ex allatis Cœleſtini verbis pro *abſoluta Romani Pontificis poteſtate in Concilio* Epheſino *exercita* ducit Doctiſſ. Card. Orſi (*Tract. de auct. R. P. tom. 1. p. 1.*), refellere conatur Febronius (*cap. 6. §. 5. n. 2.*). Cum, inquit, ageretur *Cauſa Neſtorii ex una, & S. Cyrilli ex altera parte..., Cum denique Cauſa ad œcumenicum Concilium delata eſſet, prudenter utique egit Pontifex inſtruendo Legatos ſuos, ne contendentium Epiſcoporum diſſidiis ſeſe immiſcerent, quippe qui non pars contendens, ſed Judices eſſe deberent, cum Synodo utique; in qua Papa legitimi Primatus prærogativam*

vam quidem, & recte, ſuſtinuit; judicis autem partes ſolus minime egit?

Sed Febronius doctiſſimi Cardinalis argumentum declinat quidem, ſed non refellit. Nam Cœleſtinus in primis mandat Legatis, ut Apoſtolicæ Sedis auctoritatem cuſtodiant; ut ſcilicet quæ prius ipſe Romæ ſtatuit, omnino exequantur, atque exequendum curent: Quod ſi diſceptatio aliqua orta fuerit non modo inter Cyrillum, & Neſtorium, ſed etiam inter Synodi Patres, vetat Legatos ſuos eorum diſceptationibus ſeſe immiſcere; cum ipſi non diſceptare, ſed de diſceptantium ſententiis, quicumque, & quotcumque illi ſint, judicare debeant. Vult equidem, ut judicent *una cum Synodo*; ſi nempe Synodus in eamdem cum ipſo ſententiam eat; tunc enim Synodus, & Romanus Pontifex ſunt unus veluti Judex: Sed ſi inter Synodi Patres diſceptatio oriatur, vult, ut ipſi vel ſoli de eorum ſententiis judicent. Sunt hæc ex Commonitorii verbis perſpicua. Ex his autem conſtat, Cœleſtinum *abſoluta* poteſtate in Epheſina Synodo uſum eſſe. Recte igitur ex Cœleſtini verbis id concludit Doctiſſ. Cardinalis, quod intendebat.

Sed clarius etiam Cœleſtini mens manifeſta fit ex epiſtola, quam Synodo ſcripſit, quæque lecta eſt Act. 2. *Direximus*, inquit, *pro noſtra ſollicitudine Sanctos Fratres Arcadium, & Projectum Epiſcopos, qui eis, quæ agentur, interſint, & quæ a nobis antea ſtatuta ſunt, exequantur*. Vult igitur Cœleſtinus, ut Legati quæ prius ipſe ſtatuerat, non Synodi judicio ſubjiciant, ſed exequantur. Neque obſtitere Epheſini Patres; ſed lecta Cœleſtini Epiſtola, omnes acclamaverunt: *hoc juſtum judicium eſt*. Imo cum Projectus dixiſſet Patribus, ut *quæ Cœleſtinus & dudum antea definire, & nunc in memoriam revocare dignatus eſt, ad finem numeris omnibus abſolutum deduci juberent*: Firmus Cæſareæ Epiſcopus nomine Synodi reſpondit: *Apoſtolica, & S. Sedes Cœleſtini Sanctiſſimi Epiſcopi .... de præſenti negotio ſententiam dixit, regulamque præſcripſit, quam nos quoque ſecuti .... formam illam executioni mandavimus, canonicum, Apoſtolicumque judicium in illum* (Neſtorium) *proferentes*. Sententia autem, & regula, quam ſecuti fuerant Synodi Patres, ea erat, quam præſcripſerat Cœleſtinus in Epiſtola a Cyrillum Alexandrinum. Sententiam enim in Neſtorium pronunciarunt Act. 1. cum Epheſum Cœleſtini Legati nondum appuliſſent. Jamvero Synodi Patres ſe Cœleſtini regulam, & ſententiam ſecutos eſſe, atque executioni mandaſſe, dicunt: ſe eam ad examen vocaſſe, aut, legitima ne auctoritate lata eſſet, ſe diſceptaſſe, non dicunt.

VI. Febronius tamen (*cap. 1. §. 7. n. 11.*), retractatam eſſe ait in Synodo Neſtorii cauſam. *Actione prima*, inquit, *canonice vocatur ad S. Synodi tribunal: Religioſiſſimus, & Reverendiſſimus Epiſcopus*

pus Neſtorius, non ſecus ac alii Antiſtites, a Patribus appellatur: cum vero paulo poſt ſententia in eum fertur, tunc ſic loquitur S. Synodus =: Cum præter cætera impiiſſimus Neſtorius neque noſtræ citationi parere, neque Sanctiſſimos, Religioſiſſimoſque Epiſcopos a nobis deſtinatos admittere voluerit, non potuimus ad eorum, quæ impie docuit, examinationem animum non adjungere =. *Et tum?* = Igitur Dominus noſter Jeſus Chriſtus, quem ſuis ille blaſphemis vocibus impetivit, per Sanctiſſimam hanc Synodum eumdem Neſtorium Epiſcopali dignitate privatum, & ab univerſo Sacerdotum conſortio, & cœtu alienum eſſe, definit = *Ex his evidens eſt, œcumenicam Synodum ſupremum eſſe, ac ultimum Eccleſiæ tribunal, ad quod cauſæ fidei, & Religionis, poſt R. etiam Pontificis judicium, & ſententiam, deferuntur, in eoque retractantur, ac examinantur, perinde ac ſi a Summo Pontifice judicatæ non eſſent, ac tandem ita finiuntur, ut deinceps retractari non valeant.* Hactenus Febronius.

VII. Sed pauciora ex Epheſinæ Synodi actis profert, quam opus eſt, ut tam multa concludendo complectatur. Quæ ipſe caute præterit, ego addam. Itaque cur Neſtorius canonice vocatur ad Sanctæ Synodi Tribunal, & *religioſiſſimus Epiſcopus* appellatur? Scilicet quia Cœleſtinus ipſe ſententiæ a ſe latæ executionem protrahi voluit. Neque enim Synodus Neſtorium veluti Epiſcopum recipere auſa fuiſſet, niſi Cœleſtinus permiſiſſet. Conſtat id ex ipſius Cœleſtini Epiſtola ad Cyrillum (10. *tom. 3. Concil. Labb.*), ubi: *Quæris*, inquit, *utrum Sancta Synodus recipere debeat hominem a ſe prædicata damnantem, an quia induciarum tempus emenſum eſt, ſententia dudum lata perduret*. Exiſtimavit igitur Synodus, ſe non poſſe recipere Neſtorium, etiamſi doctrinam ſuam ejuraret, niſi Cœleſtinus permitteret, ſententiamque ſuam ſuſpenderet. Et hujuſmodi tamen Synodus vocatur a Febronio ſupremum Tribunal, in quo cauſæ judicantur perinde ac ſi a Pontifice judicatæ non eſſet. Pergit autem Cœleſtinus: *Nonne nobis reſpondet illico* Dominus *per Prophetam, mortem ſe nolle morientis, & per Apoſtolum Paulum, omnem hominem velle ſalvum fieri, & venire ad ſcientiam veritatis..... Studeo quieti Catholicæ, ſtudeo pereuntis ſaluti, ſi tamen voluerit ægritudinem confiteri. Quod ideo dicimus, ne volenti ſe corrigere, forſitan deeſſe videamur.* Cum igitur Cœleſtinus ipſe ſuam ſententiam ſuſpenderit, *ne volenti ſe corrigere deeſſe videretur*, Synodus Neſtorium canonice vocare debuit, eumque religioſiſſimum Epiſcopum appellare, neque in eum ſententiam ante pronunciare, quam in erroribus pervicacem perſiſtere, compertum haberet. Cum autem Neſtorius canonice vocatus, parere noluerit, ſed pervicax in errore perſtiterit, Synodus in eum ſententiam juxta formam a Cœleſtino præſcriptam, pronunciavit.

vit. Quare ajunt Patres (*Act.* 1.): *Coacti*, vel potius, *neceſſario impulſi* (*ἀναγκαίως κατεπειχθέντες*) *per Sacros Canones, & Epiſtolam Sanctiſſimi Patris noſtri, & Comminiſtri Cæleſtini Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, lacrymis ſubinde perfuſi, ad lugubrem contra eum ſententiam neceſſario devenimus, Canonicum, Apoſtolicumque judicium in eum proferentes.* Nunc totum ejus Cauſæ ordinem paucis exponamus. Cœleſtinus ſententiam in Neſtorium pronunciat, ejuſque executionem Cyrillo committit. Cyrillus ſententiam exequi non poteſt: Synodus cogitur: Quærit hæc, utrum ſententia a Cœleſtino in Neſtorium dudum lata perduret: Cœleſtinus ſententiam ſuam ſuſpendit, futurum ſperans, ut Neſtorius doctrinam ſuam ejuret. Vocatur ad Synodum Neſtorius; ſed obedire detrectat: Quamobrem ſententia ab ipſo Cœleſtino lata, & juxta formam a Cœleſtino præſcriptam, in eum pronunciatur; & Cauſa finitur. Jamvero Synodus, quæ ita ſe geſſit, dici ne poteſt Neſtorii cauſam retractaſſe jure ſuo, examinaſſe, & judicaſſe perinde ac ſi a Pontifice judicata non eſſet? Synodus, cui judicii formam, regulamque Pontifex præſcribit, & quæ hujuſmodi formam adamuſſim ſequitur, ut ab ea ne latum quidem unguem, ut dicitur, ſe diſcedere poſſe, perſuaſum habeat: quæ denique Pontificis ſententiam ab ipſo ſuſpenſam, in reum pervicacem pronunciare cogitur, dici ne recte poteſt Tribunal ipſius Pontificis Tribunali ſuperius, in quo cauſa judicetur perinde ac ſi a Pontifice judicata non eſſet? Mihi quidem Synodi judicium, ipſius Pontificis judicium eſſe videtur, quod a Synodo majori, ut ita dicam, ſolemnitate pronunciatum eſt.

Sed illud præterea accedit, quod cum Synodus duriorem ſententiam in Epiſcopos, qui Neſtorio ſtuduerant, pronunciaſſet, Cœleſtinus ejus ſententiam temperavit: *De his autem*, inquit (*epiſt. ad Synod. Epheſ.*), *qui cum Neſtorio videntur pari impietate ſenſiſſe, atque ſe Socios ejus ſceleribus addiderunt, quamquam legatur in eos veſtra ſententia, tamen nos quoque decernimus quod videtur. Multa proſpicienda ſunt in talibus cauſis, quæ Apoſtolica Sedes ſemper aſpexit.* Qui autem Synodi ſententiam ſe auctoritate ſua temperare poſſe putat, is ſe Synodo ſuperiorem eſſe, perſuaſum habet.

VIII. Denique cum Cœleſtini Legati, poſt damnatum (*act.* 1.) a Synodo Neſtorium, Epheſum appuliſſent, quæ acta in Neſtorium fuerant, petierunt (*act.* 2.): *Quo*, inquit Philippus Presbyter, *juxta Sanctiſſimi Papæ noſtri, præſentiſque hujuſce cœtus ſententiam, & nos quoque illa noſtro ſuffragio confirmemus, noſtroque calculo approbemus.* Perlectis deinde actis, pronunciat, intellexiſſe ſe ex actorum lectione, omnia *canonice & ex Eccleſiaſtica diſciplina judicata eſſe:* Quibus verbis ſignificare voluiſſe Philippum, Cœleſtini judicium canonice

Q nice

nice retractatum eſſe; puerile eſt Boſſueti commentum (*def. decl. Cler. Gall. p. 2. lib. 12. cap. 13.*), quod narraſſe, refutaſſe eſt. Denique ſinguli Legati ſuam ſententiam dicunt: *Nulli dubium*, inquit Philippus, *imo ſæculis omnibus notum eſt, Sanctum, Beatiſſimumque Petrum Apoſtolorum Principem, & Caput, Fideique columnam, & Eccleſiæ Catholicæ fundamentum a Domino Jeſu Chriſto.... cæleſtis regni claves accepiſſe, ſolvendique, atque ligandi poteſtate, quam acceperat, uſum fuiſſe; nec non per Succeſſores ſuos hucuſque ſemper vivere cauſaſque decernere, & ſemper victurum eſſe. Hujus itaque Ordinarius Succeſſor, & Vicarius, Sanctus, Beatiſſimuſque Papa, & Epiſcopus noſter Cæleſtinus nos ſuos pro ſe quaſi Vicarios ad hanc Sanctam Synodum miſit.... Neſtorius itaque legitime, ſicut ex Synodalibus actis accepimus, vocatus, riteque ſecundum Patrum decreta, canonumque placita admonitus, judicio veſtro ſe ſiſtere contempſit.... Quamobrem a Sacerdotio, & ab omni præterea Eccleſia Catholica communione ſe prorſus alienum eſſe, intelligat.* Hæc Philippus, quibus quid luculentius pro ſuprema, nec errori obnoxia Romani Pontificis in cauſis fidei decernendis auctoritate proferri poſſit, non video: Petrum enim ipſum, Fidei columnam per Succeſſores ſuos vivere, cauſaſque decernere, affirmat: Petri autem Fidei columnæ in cauſis fidei auctoritas ſumma profecto eſt, nec errori obnoxia, nec ulli judicio ſubjicienda. Ergo hujuſmodi quoque eſt Romani Pontificis auctoritas. Sed in Epheſinæ Synodi actis diutius forte, quam opus erat, immorati ſumus.

CAPUT XXIV.

In eamdem rem expenduntur quæ in cauſa Eutychis tum a S. Leone M., tum a Chalcedonenſi Synodo geſta ſunt.

I. AD Synodum IV. quod attinet, quæ Chalcedone habita eſt anno 451. S. Leo M. in epiſtola ad S. Flavianum C. P. quid de Incarnationis Sacramento ſentiendum eſſet, definierat, atque Eutychianam hæreſim damnaverat. Imperator Theodoſius, Dioſcoro Alexandrino, & Chryſaphio Eunucho, qui Eutychi favebant, agentibus, Synodum Epheſi habendam indixit. Leo autem, quamvis exiſtimaret, rem *Synodali non indigere tractatu*, ut Synodus tamen haberetur, annuit. *Verum quia*, inquit (*ep. 30. ad Synod. Epheſ.*), *etiam talium non eſt negligenda*

cura

curatio, & pie, ac religioſe Chriſtianiſſimus Imperator haberi voluit Epiſcopale Concilium, ut pleniore judicio omnis poſſit error aboleri, Fratres noſtros Julium Epiſcopum, Renatum Presbyterum, Filium meum Hilarium Diaconum, cum his Dulcitium Notarium probatæ nobis fidei miſi, qui vice mea &c.

Febronius (*cap.* 1. §. 7. *n.* 12.) ex iis verbis, opinor, *ut pleniore judicio omnis poſſit error aboleri*, colligit, Synodum Leone annuente convocatam eſſe, ut lata contra Eutychen Conſtantinopoli a Flaviano, Romæque a Leone judicia, revocarentur ad examen. Sed perperam ſane. Quid enim demum erat plenius hujuſmodi judicium? Novum ne, in quo prioris judicii nulla eſſet habenda ratio? Minime gentium: Sed erat ipſius Leonis judicium, quod a Synodo, majori quaſi ſolemnitate, pronunciandum erat. Quod & factum eſt in Synodo Chalcedonenſi, uti ex ejus Actis patebit. Id facile colligere potuiſſet Febronius ex iis, quæ ſequuntur, Leonis verbis. Ait itaque Leo: *Fratres noſtros .... miſi, qui vice mea Sancto Conventui veſtræ Fraternitatis interſint, & communi vobiſcum ſententia, quæ Domino ſint placitura, conſtituant. Hoc eſt, ut primitus peſtifero errore damnato, etiam de ipſius, qui imprudenter erravit, reſtitutione tractetur: Si tamen doctrinam veritatis amplectens, ſenſus hæreticos, quibus imperitia ejus fuerat irretita, plene, aperteque propria voce, & ſubſcriptione damnaverit.* Vult igitur Leo, ut primum error damnetur, ac deinde de Eutychis reſtitutione tractetur, ſi tamen errores ſuos damnaverit. Vult ſcilicet, ut quod ipſe prius conſtituerat, a Synodo, cui ejus Legati præſint, executioni mandetur; eâque ratione pleniori judicio (plenius eſſe judicium, quod a Romano Pontifice ſimul, & ab Epiſcopis, quam quod ab uno Romano Pontifice fertur, nos non negamus) omnis error aboleatur. Cum igitur ait Leo, Synodum indictam eſſe, *ut pleniori judicio omnis error aboleri poſſit*, non ſignificat, novum judicium eſſe inſtituendum, aut quod ipſe Romæ tulerat, eſſe ad examen revocandum, ſed eſſe ſolemnius executioni mandandum. Nihil quoque præterea ſignificat idem Leo Magnus, rogans Theodoſium (*ep.* 25. *al.* 40. *Queſnell.*), poſtquam Epheſina Synodus in latrocinium evaſerat, *ut Generalem Synodum jubeat intra Italiam celebrari, quæ omnes offenſiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid ultra ſit vel in Fide dubium, vel in charitate diviſum.* Scilicet Synodus integra a Catholica Fide aberraverat, atque S. Flavianum Fidei Catholicæ vindicem acerrimum damnaverat, imo interfecerat. Cum eo autem res deductæ ſunt, ut plurimi Epiſcopi de Fidei dogmate diſſentiant, vix niſi in generali Synodo controverſia finiri poteſt. Quamvis enim Leo Fidei Catholicæ dogma conſtituiſſet, non tamen omnibus perſuaſerat, imo plurimi Epiſcopi ei aſſentiri

Digitized by Google

renuebant. Generali ergo Synodo opus erat, non ut Fidei dogma conſtitueretur, ſed ut qui diſſentiebant, aſſentiri cogerentur, *neve aliquid ultra eſſet vel in Fide dubium, vel in charitate diviſum*. Idque clarius explicat idem Leo epiſt. ad Theodoſium (33.) data anno 450. *Si vero*, inquit, *aliqui a puritate atque Patrum auctoritate diſſentirent, Concilium Univerſale intra Italiam cogeretur, ut in unum convenientibus omnibus his, qui aut ignorantia, aut errore prolapſi eſſent, correctionis remediis conſuleretur*.

II. Sed preſſius etiam Febronii argumentum refellam. *Anne putabimus*, ait ille (*ib.*), *Pontificem, qui ipſe hoc generale Concilium a Theodoſio Auguſto ſupplex petiit, tam facile in illud fuiſſe conſenſurum, in quo ſua ad Flavianum epiſtola denuo examinaretur, & ſi viſum eſſet, reformaretur? Num id paſſi eſſent Legati Pontificis? Num id Patres congregati auſi fuiſſent, niſi una omnium fuiſſet ſententia, ſupremum, & ultimum Eccleſiæ tribunal reſidere penes Concilia, & in his Romani Pontificis judicium poſſe retractari*.

Poſtulaſſet quidem Synodum Leo, ajo ego. Quamvis enim ſupremam apud ſe eſſe auctoritatem, ſeque Generali Concilio auctoritate præcellere, perſuaſum haberet, ſi tamen auctoritate ſua ſe nihil proficere, ſed plurimos Epiſcopos eam contemnere, nec niſi congregata generali Synodo ad parendum adduci poſſe, intelligeret, nonne ſatis id cauſæ eſſet, ut Synodum poſtularet? Si Regni alicujus Optimates plerique legi a Rege latæ parere nollent, imo in Regem ipſum, quod horreo, commoverentur; intelligeret vero prudentiſſimus Rex, nullam ſupereſſe tanto malo medendi rationem præter generalia totius Regni comitia, eâque de cauſa comitia indiceret, an hinc concluderet Febronius, perſuaſum habere Regem, non eſſe apud ſe ſupremam in Regno auctoritatem, ſed Regni comitia ſupremum eſſe, & ultimum Regni tribunal? Ita porro ſe res habet in re noſtra. Quidquid enim diſcriminis eſſe velit inter Regis auctoritatem in ditione ſua, & auctoritatem Romani Pontificis in Eccleſia, illud tamen jure concludo, ex eo quod S. Leo in ea rerum ratione Synodum poſtulaverit, ineptè omnino colligi, perſuaſum ipſum habuiſſe, non fuiſſe apud ſe ſupremam in Eccleſia auctoritatem.

Sed rogat Febronius: *An putabimus, conſenſurum fuiſſe Leonem in Concilium, in quo ſua ad Flavianum Epiſtola examinaretur, & ſi viſum eſſet, reformaretur, niſi &c?*

Ego vero reſpondeo, duo ſimul conjungi a Febronio veluti certa, quorum alterum verum eſt; ſed alterum eſt falſum. Conſenſiſſe Leonem in Concilii convocationem, verum eſt: conſenſiſſe præterea *in Concilium, in quo ſua Epiſtola examinaretur, & ſi viſum eſſet, reformaretur*, eſt omnino falſum.

Indicta

Indicta Synodo a Marciano Auguſto, qui Theodoſio ſucceſſerat; S. Leo ad eumdem Marcianum ſcribens (*ep. 99.*): *In præſenti Synodo*, inquit, *Fidem, quam Beati Patres noſtri ab Apoſtolis ſibi traditam prædicarunt, non patiamini quaſi dubiam retractari*. Et ad Synodum ipſam (*ep. 73.*) ſcribit: *Unde Fratres chariſſimi rejecta penitus audacia diſputandi contra fidem divinitus inſpiratam, vana errantium infidelitas conquieſcat*. Tanta ne præſidentia ſcripſiſſet ad Imperatorem, & ad Synodum Leo, ſi fidei definitionem a ſe antea editam in epiſtola ad Flavianum, a Synodo retractari, & reformari poſſe, exiſtimaſſet?

III. Sed jam Synodi Chalcedonenſis Acta expendimus. Act. I. Lucentius, & Paſchaſinus Apoſtolicæ Sedis Legati catholicum eſſe declarant S. Flavianum; *Siquidem ejus fidei expoſitio cum Beatiſſimi, atque Apoſtolici Viri Papæ Romani epiſtola concordat*.

Actio. 2. Perlecta Leonis epiſtola ad Flavianum, clamaverunt Patres: *Hæc Patrum fides: hæc Apoſtolorum fides: Omnes ita credimus: Orthodoxi ita credunt: Anathema ei, qui non ita credit: Petrus per Leonem locutus eſt &c.*

Reſpondet Febronius (*cap. 6. §. 6. n. 1.*), *Eos qui ſanam partem tuebantur, non provocaſſe ad unius Leonis epiſtolam, ſed etiam & æqualiter ad Cyrilli ſententiam: Leo ita docuit. Cyrillus ita docuit*: Verum Cyrillum quoque Patres nominarunt, ut quælibet Eutychianis excuſatio eriperetur; qui Leonem Eutychis errores damnantem in Neſtorii errores a Cyrillo refutatos propendere, arbitrabantur. Cæterum cum quidam Epiſcopi (*act. 4.*) effugia quærerent, ne Eutychen aperte damnarent, de Cyrillo præterea facta mentio non eſt, ſed clamaverunt omnes: *Leonis epiſtolæ ſubſcribant*.

IV. Act. 3. Lata eſt in Dioſcorum ſententia. Porro antea Paſchaſinus Leonis legatus dixerat: *BB. atque Apoſtolici Viri Papæ Urbis Romæ, quæ eſt Caput omnium Eccleſiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus eſt ejus Apoſtolatus, ut Dioſcorus non ſedeat in Concilio, ſed audiendus intromittatur. Hoc nos obſervare neceſſe eſt &c.* Hinc vero manifeſta fit ſumma Leonis in Dioſcorum auctoritas, & juriſdictio, Synodi etiam auctoritate major. Nam reſponderunt quidem Paſchaſino *glorioſiſſimi Judices*, ita eum rogando: *Quid enim ſpecialiter objicitur Dioſcoro Reverendiſſimo Epiſcopo?* uti narrat Febronius ipſe (*cap. 5. §. 4. n. 3.*); ſed inſiſtentibus Legatis, & Leonis mandata urgentibus, glorioſiſſimi Judices acquieverunt, ut Dioſcorus in medio ſederet, non ut Judex, ſed ut reus.

Ipſa vero Act. 3. cum tertio vocatus ad Synodum Dioſcorus, parere noluiſſet, Paſchaſinus dixit: *Quo igitur dignus eſt ita contemnens?*

Digitized by Google

mærens? Sancta Synodus dixit: *indignatione, quæ contra inobedientes a ſanctis regulis conſtituta ſunt.* Quare Legati ſententiam in Dioſcorum his conceptam verbis tulerunt: *Sanctiſſimus, & Beatiſſimus Archiepiſcopus magnæ, & Senioris Romæ Leo per nos, & per præſentem Sanctam Synodum una cum ter Beatiſſimo, & omni laude digniſſimo B. Petro Apoſtolo, qui eſt Petra, & Crepido Eccleſiæ Catholicæ, & rectæ Fidei Fundamentum, nudavit eum tam Epiſcopatus dignitate, quam etiam & ab omni Sacerdotali alienavit miniſterio.*

Poſt hæc, inquit Febronius (*ibid.*), *ſinguli Epiſcopi ſua ſuffragia dederunt, & unanimi conſenſu ſententiam in Dioſcorum conceptam probarunt;* ac deinde pluribus oſtendit, *non a ſolo Rom. Pontifice, ſed a tota Synodo Dioſcorum depoſitum fuiſſe.*

Sed operam perdit Febronius. Quiſnam enim noſtrum affirmat, Dioſcorum a ſolo Leone, non vero a tota Synodo damnatum fuiſſe? Non adeo equidem ſtulti ſumus, ut 630. Epiſcopos Chalcedonem ad audiendam tantum Leonis in Dioſcorum ſententiam convocatos eſſe, arbitremur. Fatemur imo, judices fuiſſe cum Leone alios Epiſcopos, atque a tota demum Synodo Dioſcorum damnatum eſſe. Sed cum Leo Dioſcorum in Synodo judicem ſedere vetuerit, eique Synodus paruerit; Cumque Leo damnari Dioſcorum juſſerit, niſi reſipuiſſet, atque Leonis ſententiam Synodus ſecuta fuerit, concludimus, Leonem ſumma Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & legitima juriſdictione in Dioſcorum Epiſcopum Alexandrinum uſum eſſe. Id unum intendit Honoratus Tournely (*de Eccl. q. 5. art. 2.*), neque Febronius ejus argumentum refellit, ſed eludit.

V. Demum Act. 5. exarata eſt fidei definitio, & Patribus omnibus probata, qui etiam veluti hæreticum habendum eſſe clamaverunt, qui eam non amplecteretur. Sed cum animadvertiſſent Apoſtolicæ Sedis Legati, deſiderari in ea Leonis phraſes in epiſtola ad Flavianum uſurpatas; nempe utriuſque naturæ proprietates in unam coiviſſe perſonam, *inconvertibiliter, inſeparabiliter, & inconfuſe*, proteſtati ſunt, ſe, niſi fidei definitioni adderentur, e Synodo diſceſſuros: *Si non conſentiunt Epiſtolæ Apoſtolici, & Beatiſſimi Viri Papæ Leonis, jubete nobis reſcripta dari, ut revertamur, & ibi Synodus perficiatur.* Sed Patres clamaverunt: *Omnibus definitio placuit.... Heri definitio omnibus placuit:* Judices dixerunt: *Epiſtolam Sanctiſſimi Leonis ſuſcipitis?* Epiſcopi clamaverunt: *Etiam ſuſcepimus, & ſubſcripſimus....* Judices dixerunt: *Ergo quæ in ea inſeruntur, inſerantur definitioni....* Epiſcopi clamaverunt: *Altera definitio non fit;* Sed vicerunt demum Legati, atque Fidei definitio juxta eorum voluntatem adornata eſt.

Rem hanc, ſed valde mutilatam narrat etiam Febronius (*cap.* 5. §. 4.

Digitized by Google

5. §. 4. *n.* 3.) : *Orta*, inquit, *inter Patres circa definitionem diſputatione, placuit Imperatori .... convenire ſex Epiſcopos Diœceſis Orientalis, & tres ex qualibet alia, cum Anatolio Epiſcopo C. P. & Vicariis Sedis Apoſtolicæ, qui definitionem Fidei conciperent:* alioquin: *cognoſcite*, inquit Imperator, *quia in Partibus Occidentalibus habet fieri Synodus*.

Sed ſilentio præterit Febronius contentionis cauſam ex eo ortam, quod exarata, & probata a Synodo fidei definitio, a Leonis Legatis improbata eſt. Præterea ideo Imperator Epiſcopis Synodum Romæ habendam minitatus eſt, quia Legati conteſtati fuerant, ſe omnino e Synodo diſceſſuros, & Romæ Synodum habituros eſſe: quod item Febronius omittit.

Concludit Febronius, *tandem electos eſſe e ſingulis Diœceſibus Epiſcopos ..... & fuiſſe conceptam per hos definitionem, prælectam, & ab omnibus probatam*.

Sed quidni addit Febronius, definitionem conceptam eſſe ad Legatorum mentem, & additas illi eſſe Leonis phraſes, quæ in priori definitione toti Synodo, præter Legatos, probata, prætermiſſæ fuerant? Nempe intelligebat Febronius, invictum inde duci argumentum pro ſumma Romani Pontificis etiam in Synodum œcumenicam auctoritate, & juriſdictione. Quamobrem malæ fidei argui, quam imperitos non fallere maluit. Atque hæc quidem accurate perpendat velim Febronius. Ex his enim perſpicuum eſſe arbitror, præſcripſiſſe Leonem Chalcedonenſi Synodo non modo fidei definitionem, ſed etiam phraſes, quibus exaranda erat, ut vel eas omittere, vel alias adhibere, Synodi arbitrio non permiſerit. Hinc vero manifeſtiſſime quoque colligitur, Romanum Pontificem in fidei cauſis decernendis cuivis œcumenicæ Synodo auctoritate præcellere, ejuſque decreta a Synodis retractari non poſſe, ſed ſuſcipienda, communique conſenſu probanda eſſe: paucis Synodos congregari, imo ſi vis, neceſſario congregari, non ut quæ ſint fidei dogmata, ſtatuatur, ſi a Romano Pontifice fuerint conſtituta, ſed ut omnibus perſuadeantur, ſive quemadmodum loquitur Leo: *ut pleniore judicio omnis poſſit error aboleri* (*Ep. ad Synod. Epheſ.*), neve *aliquid ultra ſit vel in fide dubium* (Epiſcopis, & fidelibus), *vel in charitate diviſum* (*Ep. ad Theodoſium* 25.).

VI. Audiamus, quid Febronius (*cap.* 6. §. 6. *n.* 1.) opponat. Poſtquam clamaverunt Patres: *Petrus per Leonem locutus eſt;* Atticus Epiſcopus Nicopolitanus Patres rogavit; *inducias dari, ut intra paucos dies tranquilla mente & non turbato animo, quæ Deo placent, a Sanctis Patribus ordinentur. Quoniam vero nunc Domini noſtri, & Sanctiſſimi Patris & Archiepiſcopi Leonis adornantis Apoſtolicam Se-*

dem

dem lecta eſt epiſtola: oportet vero, & B. Cyrilli epiſtolam ſcriptam ad Neſtorium, in qua jubet eum conſentire duodecim capitulis, & hanc nobis dari, ut in tempore diſceptationis parati inveniamur. Si jubetis dari nobis inducias, petimus Patres ſimul perſcrutari. Magnificentiſſimi Judices, & Senatus dixerunt: differatur audientia .... ut communiter de Fide tractetis. Quæ igitur ad Fidem ſpectabant, quamquam a Leone definita, examen ſubierunt.

Id teſtatur etiam S. Leo in epiſtola ad Theodoretum (93. *al.* 120.), ubi ait: *Nam ne aliarum Sedium ad eam, quam cæteris omnium Dominus ſtatuit præſidere, conſenſus aſſentatio videretur, aut alia qualibet ſubrepere poſſet adverſa ſuſpicio, inventi prius ſunt, qui de judiciis noſtris ambigerent. Et dum nonnulli a diſſenſionis incitati auctore ad contradictionum bella proſiliunt, ad majus bonum malo ejus, Auctore totius bonitatis diſpenſante, perventum eſt. Dulcius ſiquidem munera gratiæ divinæ proveniunt, quoties non ſine magnis ſudoribus acquiruntur, & minus bonum videri ſolet pax conſtituta per otium, quam reddita per labores. Ipſa quoque veritas & clarius renitescit, & fortius retinetur, dum quæ fides prius docuerat, hæc poſtea examinatio confirmarit. Multum denique Sacerdotalis officii meritum ſplendeſcit, ubi ſic ſummorum ſervatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad majorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc ſe accipit, ut vincatur adverſitas:* Hactenus S. Leo. Febronius vero ſic concludit: *Medio ſane meridie cæcutiat, qui in his non intelligit ſolemnis Pontificii decreti in materia Fidei Conciliarem diſcuſſionem, ſeu examen ad indagandam, firmandamque veritatem inſtitutum, conſenſum ab aſſentatione diſtinctum, eumque cum plenaria libertate præſtitum.*

VII. Verum primo malam Febronii fidem notari velim. Attici enim petitionem, & Judicum propoſitionem deſcribit, ſed & petitionis cauſam, & Chalcedonenſium Patrum reſponſum ſilentio prætermittit; ex quibus ejus argumentum refellitur inviċtiſſime. Itaque Patres una voce Leonis definitionem ſuſceperant, ejuſque Epiſtolæ ad Flavianum ſubſcripſerant, & clamaverant: *Hæc Patrum fides &c.* ideoque quæ ad fidem ſpectabant, una cum Leone definierant. Sed cum Leonis epiſtola legeretur, Epiſcopi Illyriciani, & Palæſtini identidem ſe dubitare, prodiderunt. Quamobrem opus fuit, ut Cyrilli epiſtolæ ad Neſtorium fragmenta legerentur, ut ipſi quoque intelligerent, Leonem cum Cyrillo conſentire, nec Neſtorianæ hæreſi favere. Sed cum illi non acquieſcerent, inducias, & Cyrilli epiſtolam petiit Atticus, non ut fidei definitionem jam probatam ad examen vocaret, ſed *ut quæ Deo placent, a Sanctis Patribus ordinentur, & ut in tempore diſceptationis*, inquit, parati *inveniamur*

veniamur: Et Judices dixerunt: *Differatur audientia, ut communiter de Fide tractetis, ut qui dubitant, doceantur*. Inducias quoque petiit Florentius Sardium Epiſcopus, *quatenus*, inquit, *cum decenti tractatu accedere ad veritatis cauſam poſſimus*; ſed audi, quæ ſtatim addit: *quamvis in noſtra perſona, qui Epiſtolæ Sanctiſſimi Leonis ſubſcripſimus, non indigeamus correctione*. Et Illyriciani quidem, ac Palæſtini Epiſcopi demum Leonis epiſtolæ ſubſcripſerunt, ſuamque moram excuſarunt, quod latinas quaſdam phraſes non intelligerent. Igitur de Fide iterum actum eſt, imo ſi vis, Leonis epiſtola ad examen vocata eſt, ut dumtaxat *qui dubitabant, docerentur; ut qui correctione indigebant, corrigerentur*. Scilicet Leonis Epiſtolæ examen eo modo inſtitutum eſt, quem ſuperius (*cap.* 22.) expoſui. Cujus quidem generis examen neque fidei definitioni a Leone editæ, neque ejuſdem Pontificis auctoritati officit.

VIII. Id manifeſtum fit ex ipſius Leonis Epiſtola ad Theodoretum. Scribit enim, *inventos eſſe, qui de judiciis ſuis ambigerent, ne aliarum Sedium conſenſus aſſentatio videretur*; ne ſcilicet cauſarentur Hæretici, cæteros Epiſcopos tantum Leonis auctoritati conceſſiſſe, ut temere, & inconſultô ejus definitioni ſubſcripſerint (*vide ſup. cap.* 22. *n.* 3. & 4.). Addit, *ipſam veritatem & clarius reniteſcere, & fortius retineri, dum, quæ fides prius docuerat, hæc poſtea examinatio confirmaret*. Quæ igitur ipſe definierat, ea prius fides docuerat. Quæ autem nos docet fides, ea examinatio confirmat, non pondus, & auctoritatem addendo, ſed perſuadendo (*vid. ib. n.* 2.). Pergit Leo: *Multum denique Sacerdotalis officii meritum ſplendeſcit, ubi ſic Summorum ſervatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas*. Scilicet ſumma Pontificis auctoritas aliis Epiſcopis inferioribus conſenſus libertatem non eripit: Libere enim hi Pontificis definitionibus aſſentiuntur; imo una cum Pontifice fidei cauſas decernunt (*vid. ib. n.* 3.). Denique ait, *ad majorem Dei gloriam proficere finem examinis; quando ad hoc ſe accipit exerendi fiducia, ut vincatur adverſitas*. Scilicet inſtituto fidei definitionis examine, in fide confirmantur Catholici, & facilius revincuntur Hæretici: atque definitionem, quam definientis auctoritate ſuſcipere detrectant, argumentorum vi amplecti adiguntur (*vid ib. n.* 2.). En Leonis Epiſtolæ examen a Chalcedonenſis Synodi Patribus inſtitutum. Qui autem ea, quæ hactenus in Leonis Epiſtolam ad Theodoretum a me obſervata ſunt, cum iis contulerit, quæ ſuperius de fidei definitionum examine adnotavi (*cap.* 22.), is mecum facile conſentiet, in meridiana luce potius cœcutire Febronium, qui hujuſmodi examen cum ſumma Pontificis, ejuſque definitionum auctoritate, & infallibilitate conſiſtere, non intelligit. Sed in Synodi Chalcedonenſis Actis expendendis longior fui: ero deinceps brevior.

R CAPUT

CAPUT XXV.

Expenduntur in eamdem rem Acta Synodi V.

I. EX V. Synodo novum argumentum deſumit Febronius (*cap.* 1. §. 7. *n.* 13.), quaſi Synodus V. tria Capitula damnaverit, quæ fuerant a Vigilio in celebri ſuo Conſtituto probata.

Verum illudere nobis vult Febronius. Primo enim non de fidei quæſtione, ſed *de quibuſdam ſolummodo perſonis ventilatum, & nihil aliud, quam de perſonis fuiſſe diſceptatum*, teſtantur Pelagius I. (*epiſt. ad Childeb. Reg.*), Gregorius M. (*epiſt.* 10. *lib.* 2. *ad Savinum*), & Pelagius II. (*epiſt. ad Epiſc. Iſtr.*). Secundo: Vigilius tria Capitula in celebri ſuo *Judicato*, & alibi damnaverat, ut patet ex ejuſdem V. Synodi Collat. VII. & VIII. atque in eadem ſententia Vigilium perſeveraſſe, Synodus perſuaſum habuit, ut ex iiſdem Collationibus manifeſtum eſt. Sed Vigilius tamen poſtea, antequam quidem Synodus abſoluta eſt, tria Capitula non quidem probavit, ut comminiſcitur Febronius; ſed ſilentio potius prætermittenda eſſe cenſuit, quod temporum ratio id poſtulare videretur. Erant enim qui tria Capitula damnari non poſſe putabant, quin Chalcedonenſi Synodo injuria inferretur. Hinc ipſa Synodus ſuam definitionem ad Vigilii mentem editam eſſe, perſuadere conatur (*collat.* 8.).

II. Deinde narrat Facundus (*lib.* 2. *&* 4.), Mennam Patriarcham C. P. alioſque Epiſcopos Juſtiniani edicto tria Capitula damnati ea conditione ſubſcripſiſſe, ut ſi Vigilius pro iis ſtetiſſet, irrita foret ſubſcriptio, & Chirographum ſibi reſtitueretur. Propterea Epiſcopi plurimi Africæ, Illyrici, Hyberniæ V. Synodo Vigilii Conſtitutum antetulerunt, & Synodum improbarunt, quamvis Vigilius eam confirmaſſet. Quare primo: vere dici nequit Synodus contrariam Vigilii Conſtituto definitionem edidiſſe. Secundo: etſi contraria fuit, Synodus tamen perſuaſum habuit, irritam eam futuram eſſe, niſi Vigilius eam confirmaſſet. Nihil enim non tentavit Juſtinianus, ut Vigilium ad Synodi decreta confirmanda adduceret. Hinc Febronius ipſe fatetur (*cap.* 1. §. 2. *n.* 8.), cauſam trium Capitulorum *citius finem obtinere non potuiſſe, donec Vigilius Papa cum Patribus Concilii C. P. II., & hi cum Vigilio in unum conſpiraverint*. Hinc vero qui colligi poſſit, non Rom. Pontificem, ſed Synodum œcumenicam a Rom. Pontifice ſejunctam, eſſe ſupremum Eccleſiæ Tribunal, non intelligo.

III.

III. Sed ait Febronius (*cap.* 1. §. 7. n. 13.): Si Occidentales Epiſcopi Synodum rejicientes ſenſiſſent Rom. Pontificem Concilio præcellere, & ſummum eſſe fidei controverſiarum judicem, jure *exclamaſſent, a V. Synodo uſurpari judicium controverſiæ a Summo Pontifice decretoria ſententia finitæ.*

Sed ineptiſſima eſt hujuſmodi conſecutio. Nonne enim Vigilius Synodum V. confirmaverat? Nonne Synodus, ſe tria Capitula damnare, profeſſa eſt, quod ea antea ſæpe Vigilius damnaſſet? Ejuſdem Synodi collationes VII. & VIII. fidem faciunt, id maxima cura præcaviſſe Synodum, ut palam omnibus faceret, ſe Vigilii de tribus Capitulis ſententiam omnino ſecutam eſſe. Quî ergo, Occidentales Epiſcopi V. Synodum rejicientes, ejuſmodi cauſam afferre potuerunt, *eam ſibi uſurpaſſe judicium controverſiæ a Summo Pontifice decretoria ſententia* pro tribus Capitulis finitæ?

Sed de V. Synodo dicam iterum inferius.

CAPUT XXVI.

Summa Rom. Pontificis auctoritas etiam ex VI. Synodi Actis oſtenditur.

1. SAnctus Agatho Rom. Pontifex Monothelitarum hæreſim ante in Lateranenſi Synodo a Martino I. damnatam, damnavit iterum in Synodo ſua Romana. Sed cum Imperator Conſtantinus Pogonatus œcumenicam Synodum indixiſſet, conſenſit Agatho, atque Legatos ſuos ad Synodum miſit. Scripſit etiam ad Imperatorem Epiſtolam, quæ in Synodo (*act.* 4. *tom.* 7. *Concil. Labb. col.* 651) lecta eſt, in qua profitetur ſe, quæ a Prædeceſſoribus ſuis, & ab œcumenicis Synodis fuerant definita, cuſtodire velle, & efficere, *ut nihil de iis, quæ regulariter definita ſunt, minuatur, nihil mutetur, vel augeatur, ſed eadem & verbis, & ſenſibus illibata cuſtodiantur:* Se Legatis ſuis *dediſſe licentiam, ſive auctoritatem apud tranquilliſſimum ejus Imperium, dum juſſerit ejus clementia, ſatisfaciendi, in quantum dumtaxat eis injunctum eſt, ut nihil profecto præſumant augere, minuere, vel mutare, ſed Traditionem Apoſtolicæ Sedis, ut a Prædeceſſoribus Apoſtolicis Pontificibus inſtituta eſt, ſinceriter enarrare.* Præterea: *Petrus*, inquit, *ſpirituales oves Eccleſiæ ab ipſo Redemptore omnium trina commendatione paſcendas ſuſcepit. Cujus adnitente præſidio, hæc Apoſtolica ejus Eccleſia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt; cujus auctoritatem, utpote Apoſtolorum omnium Principis, ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, & u-*

 niverſa-

niverſales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis ſecutæ ſunt. Jam vero qui cauſæ fidei definitionem ante a ſe editam ad œcumenicam Synodum tranſmittit, ſtatuens ut nihil de ea mutetur, augeatur, vel minuatur, ſed eædem verbis, & ſenſibus illibata cuſtodiatur; qui affirmat præterea, Eccleſiam ſuam nunquam a via veritatis aberraſſe, & omnem Eccleſiam, & œcumenicas Synodos ejus auctoritatem amplexas, & ſecutas eſſe; is profecto, niſi illudere geſtit, definitionem ſuam a Synodo retractari, & reformari, non vult.

II. Rurſus idem Agatho, & Romana Synodus ad Synodum VI. ſcribens (*ib. col.* 706.), affirmat, *Lumen Apoſtolicæ fidei ſplendidiſſimum, quod ex veri luminis fonte, per Beatum Petrum, & Paulum, & Apoſtolicos Succeſſores gradatim Dei opitulatione ſervatum eſt, nulla hæretici erroris tetra caligine tenebratum, nec falſitatis nebulis confœdatum: Se Legatos ad Synodum mittere, qui Apoſtolicam fidei confeſſionem offerant, non tamen tamquam de incertis contendere, ſed ut certa, atque immutabilia compendioſa definitione proferre.* Denique concludit: *Quicumque proinde Sacerdotum hæc, quæ in hac noſtra humilitatis confeſſione continentur, nobiſcum ſincere prædicare deſiderant, ut noſtræ Apoſtolicæ fidei concordes, & Conſacerdotes, & Comminiſtros ejuſdem fidei, ut ſpirituales Fratres, & Coepiſcopos noſtros ſuſcipimus. Qui vero hæc confiteri noluerint, ut infeſtos Catholicæ, atque Apoſtolicæ confeſſioni, perpetuæ condemnationis reos eſſe, cenſemus: nec aliquando tales in noſtræ humilitatis collegio, niſi correctos, ſuſcipere patimur.* Qui autem tanta præſidentia ſcribit, ſe perpetuæ condemnationis reos habiturum eſſe, nec in Sacerdotum collegio ſuſcepturum eos, qui fidei confeſſionem a ſe oblatam prædicare noluerint, hunc opinari, eamdem fidei confeſſionem a Synodo retractari, & reformari poſſe, mihi quidem perſuadere non poſſum. An vero Synodus ab Agathonis definitione receſſit, aut eam minuit, aut mutavit? Nequaquam; ſed eam adamuſſim ſecuta eſt. Imo ſcribens ad Agathonem (*ib. col.* 1110.): *Litteras*, inquit, *a veſtra Beatitudine ad piiſſimum Imperatorem miſſas, ut a ſummo Apoſtolorum vertice divine perſcriptas agnovimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam ſectam depulimus. Hæreticorum nefariam doctrinam .... anathematibus interfecimus ex ſententia per ſacras veſtras litteras ſuper iis prius lata.* Et in ſermone proſphonetico ad Imperatorem ait: *Confeſſionem tibi a Deo ſcriptam illa Romana Antiqua Civitas obtulit, & dogmatum diem ex veſpertinis partibus extulit: charta, & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.* Clarius ne, ac magnificentius ſupremam Rom. Pontificis in cauſis fidei decernendis auctoritatem commendare potuerunt VI. Synodi Patres?

III. *Nihilominus Quæſtionem ab Agathone definitam*, inquit Febronius

bronius (*cap. 6. §. 6. n. 2.*), *Concilium generale rurſus tractat, atque definit, quaſi neque tractata, aut definita fuiſſet.* Nam interrogatus Georgius C. P. Patriarcha = Si conveniret ſenſui Suggeſtionum directarum ab Agathone Sanctiſſimo Papa, & ſua Synodo, dixit: Inſpiciens omnem virtutem earum literarum, & ſcrutans libros Sanctorum Probabilium Patrum, cuncta, quæ continent, inveni conſonantia eis, & ſic profiteor, & credo = . *Alii* = Inveni in nullo eas a Sanctis Patribus diſcrepare, & conſentio = . *In eumdem ſenſum omnes ſingulatim dicunt, nec niſi eo examine probatæ ſunt Epiſtolæ S. Agathonis, & Romanæ Synodi.*

Verum primo: E ſextæ Synodi Patribus duo tantum, nempe Georgius Epiſcopus C. P., & Siſinnius Epiſcopus Heracleenſis dicunt, ſe ſcrutatos eſſe libros Probabilium Patrum, & *ſic conſentire*, ut conſtat ex Act. VIII. Quare audacter nimium ait Febronius, *in eum ſenſum omnes ſingulatim dicere*. Secundo: Agathonis definitionem a Synodi Patribus examinatam eſſe, fateor; eum ſcilicet in modum, quem ſuperius (*cap. 22.*) explicavi, qui neque ſummæ Pontificis auctoritati obeſt, neque argumento eſt, dubiam habitam eſſe a Patribus Agathonis definitionem. Id ex Synodi Actis apertiſſime conſtat. Nam Act. 1. Macarius Antiochenus, aliique cum eo ſentientes, unam eſſe in Chriſto voluntatem, id ex generalium Synodorum Actis, & ex Probabilium Patrum teſtimoniis ſe probaturos eſſe, promiſerunt. Cum autem plura Macarius, aliique Monothelitæ Patrum teſtimonia partim ſpuria, partim mutilata protuliſſent, genuina, & integra proferre opus fuit, ut illi revincerentur, quod ab Apoſtolicæ Sedis Legatis in ſequentibus Actionibus factum eſt. Igitur Agathonis definitionem, quam certiſſimam, & irrevocabilem habebant, ad examen vocarunt Synodi Patres, eam Patrum teſtimoniis, quaſi dubia eſſet, confirmando, ut intelligerent Hæretici, ſi fieri poſſet, eam Patrum etiam doctrinæ conſentaneam eſſe, eique ſubſcriberent. Quare etiamſi omnes Patres ſe conſentire dixiſſent in Agathonis definitionem tamquam Patrum doctrinæ conſentaneam, id tamen Hæreticorum tantum gratiâ dixiſſent, non vero quod Agathonis definitionem veluti dubiam habuiſſent.

IV. Sed *qui hæc objiciunt*, reſpondet Febronius (*ib.*), *non videntur ſatis percipere quid ſit examen in negotio fidei.... Neque enim Epheſini Patres, cum de Neſtorii, & Cyrilli, atque adeo de Cœleſtini fide inquiſitio fieret, ipſi de fide dubitabant, ſed recte ne an ſecus illi fidem expoſuiſſent. Neque item Chalcedonenſes ullo modo dubitabant &c. ſed quærebant, vere ne, & ex communi Patrum, & Eccleſiæ ſententia Incarnationis Sacramentum Leo exponeret.*

Verum primo: Quod ait Febronius, ab Epheſinis Patribus inquiſitio-

Digitized by Google

quiſitionem factam eſſe de Cœleſtini æque, atque de Neſtorii fide, quaſi æque utriuſque fides dubia, & ſuſpecta fuerit, neſcio, utrum impudentiæ illi tribuam, an imperitiæ. Id equidem abſque tanti Pontificis, & Epheſinæ Synodi injuria dici nequit (*vide cap.* 23.).

Secundo: Ubinam legit Febronius in Actis Synodorum generalium III. IV. & VI. inquiſitum eſſe a Patribus, *recte ne, an ſecus fidem expoſuiſſent* Cœleſtinus, Leo, & Agatho? Inquiſitum quidem eſt, quid Pontifices illi expoſuiſſent, ſed recte ne, an ſecus fidem expoſuiſſent, inquiſitum non eſt. Ex earum enim Synodorum Actis conſtat, Pontificum definitiones non a Catholicis Epiſcopis, ſi paucos Illyricianos, & Palæſtinos e Chalcedonenſibus Patribus excipias (*vid. cap.* 24. *n.* 7.), ſed ab Hæreticis in dubium vocatas eſſe: Patres vero in id tantum operam contuliſſe, ut eas rite intelligerent, Scripturæ, & Patrum auctoritate confirmarent, atque Hæreticis perſuaderent.

V. Sed *abſonum eſt dicere*, inquit Febronius (*ib. n.* 4.), *vel ſolum cogitare*, tot Synodos coactas eſſe, *ut quod ſinguli jam ante Pontificiâ, eâque ineluctabili auctoritate tamquam de fide domi tenebant, dein rationum momentis, Sacræ Scripturæ oraculis, vel Patrum ſententiis firmatum peregre perciperent.... Quaſi de his omnibus non potuiſſent per literas Encyclicas, aut aliis commodioribus viis fideles erudiri.*

Verum cum Febronius paulo ſuperius ſcripſerit, neque Nicænos Patres, neque Epheſinos, neque Chalcedonenſes de fide dubitaſſe; quæro ego ab eo, quid cauſæ fuerit, cur ſuas Eccleſias tot Epiſcopi deſeruerint? Nonne per literas Encyclicas, aut aliis commodioribus viis Fideles erudiri poterant? An ea una fuit Epiſcopis peregrinationis cauſa, ut inquirerent, *recte ne, an ſecus Fidem Pontifices expoſuiſſent?* Sed cum de fide illi non dubitarent, nonne domi id inquirere poterant, & per Encyclicas literas Fideles erudire? Niſi dicat, Synodos Hæreticorum tantum gratiâ congregatas eſſe, ut nempe illis Fides, quam Pontifex expoſuerat, perſuaderetur, turbæque ab ipſis excitatæ componerentur, vix ullam dare poterit generalium Synodorum cauſam, ſaltem niſi ſecum pugnare velit.

VI. Reſpondebit forte (*ib. n.* 2.), non de fide quidem dubitaſſe Patres, ſed *quæſiſſe, quam ab ea fide Hæretici abeſſent, quibuſque ſententiis, ac verbis inſanus error confutandus eſſet.*

Sed reſpondebo ego illi, Hæreticos quidem quam facillime cognoſci potuiſſe. Si enim compertum eſſet, profiteri eos doctrinam alienam a Romanæ Eccleſiæ Fide, quam Pontifices expoſuerant, Hæreticos eos eſſe, dubitari non poterat. Fuit enim ſemper Romanæ Eccleſiæ Traditio, & Fides veluti Lydius Lapis, quo aliarum Eccleſiarum Fides probata eſt. Nimis equidem multus eſſem, ſi

Patrum

Digitized by Google

Patrum continenti ſerie ſibi ſuccedentium teſtimonia rem hanc comprobantia proferrem. Unum tantum, vel alterum afferam, ut Febronium, ſi fieri poteſt, confundam. S. Irenæus Apoſtolicorum Patrum Auditor: *Maximæ*, inquit *(lib. 3. adv. hær. cap. 3.)*, *& antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ eam, quam habet ab Apoſtolis Traditionem, & annunciatam hominibus fidem per Succeſſionem Epiſcoporum venientem uſque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt eos, qui ſunt undique, Fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis, Traditio.* Niſi S. Irenæus ſexcentis, vel potius ſeptingentis annis ante Pſeudo-Iſidorum floruiſſet, Febronium, opinor, ſcribere non puderet, falſarum decretalium doctrinâ Irenæum imbutum fuiſſe. Alterum autem æque perſpicuum in hanc rem teſtimonium afferam proximo capite ex octava œcumenica Synodo. Cum igitur aliarum Eccleſiarum fides ex Eccleſiæ Romanæ fide ſemper probata ſit, Synodorum Patres Hæreticorum fidem cum Eccleſiæ Romanæ Fide a Pontificibus expoſita conferentes, quam longe a vera fide abeſſent Hæretici, ſtatim intelligebant.

Quibuſnam autem ſententiis, & verbis inſanus eorum error confutandus erat? Scilicet iis, quæ Pontifices in ſuis definitionibus uſurpaverant. Cum enim Chalcedonenſis Synodi Patres quaſdam Leonis phraſes omiſiſſent, interceſſere Leonis Legati, atque eos omiſſas phraſes definitioni addere, coegerunt *(vid. cap. 24. n. 5.)*. Igitur, velit nolit Febronius, generales Synodi congregatæ ſunt, non ut de Pontificum fide, quaſi ſuſpecta eſſet, aut *recte ne, an ſecus fidem illi expoſuiſſent*, inquiſitio fieret; ſed ut Pontificum definitiones facilius omnibus compertæ fierent, explicarentur, argumentis confirmarentur, eâque ratione Hæreticis etiam perſuaderentur, turbæ ab his excitatæ ſedarentur, omneſque ad unitatem fidei cum Romana Eccleſia, quæ unitatis centrum eſt, revocarentur: Hæc enim omnia per Encyclicas literas obtineri non poterant. Peracta equidem ſunt cum Epiſcoporum *diſcuſſione, deliberatione, votis, ſententiis, ac conſenſu*, ut ait Febronius *(ib. n. 4.)*; ſed ita ut immota, & immutabilis ſemper perſtiterit ſumma Pontificis, ejuſque definitionum auctoritas *(vide cap. 22.)*. Hæc ex generalium Synodorum III. IV. & VI. Actis luculentiſſime a me probata ſunt.

VII. Hæc tamen argumenta, quæ perſpicue demonſtrant, ſummam fuiſſe etiam apud œcumenicas Synodos Romani Pontificis de-

finitionum

Digitized by Google

finitionum auctoritatem, *minutias* vocat Febronius (*cap. 6. §. 6. n. 4.*), atque ovantis inſtar Italis illudere pergit. Eum ego pedetentim inſequar. *Interim his*, inquit, *& ſimilibus minutiis blandiuntur ſibi Itali, disjecta eſſe validiſſima præſidia* (validiſſima quidem, ſi Synodorum Acta mutilata afferantur, ut ea affert Febronius, neque conſequentia cum antecedentibus conferantur), *incomparabilis ille Sanctæ Religionis noſtræ defenſor Boſſuetus* (quod Catholicam Eccleſiam adverſus Hæreticos ſtrenue propugnaverit Boſſuetus, maximam ſibi apud omnes Catholicos laudem promeruit: Ejus vero *defenſio declarationis Cleri Gallicani* a pleriſque Catholicis improbata eſt. Vide procem. n. 6.), *& alii Viri docti, non minus quam pii* (perpaucis iis, quorum ſenſa ipſe ſectatus eſt, elogia, & encomia liberaliſſime impertitur Febronius. Interea vero, in quo ſita ſit hujuſmodi hominum pietas, ego non intelligo) *libertatem Eccleſiæ invicte tuentur* (præclara quidem libertas! quam in eo ſitam eſſe vult (*cap. 8. §. 1.*), ut unaquæque peculiaris Eccleſia ſuis legibus regatur, & a juriſdictione Romani Pontificis, quem Chriſtus univerſæ Eccleſiæ Caput, Paſtorem, & Rectorem conſtituit, libera ſit. Præclara, inquam, plurimique facienda libertas! quæ ſi Epiſcopis, quod Deus avertat, perſuaderetur, atque in Eccleſias induceretur, *nobiliſſimam Eccleſiæ politiam ad democratiam, vel Ariſtocratiam ſtatim redigeret*, quod conquerebatur Petrus Meldenſis Epiſcopus in Concilio Florentino. Vide procem. n. 5. Scilicet Febronius ut Epiſcopos faciat liberos, facere vult, ut minus dicam, Schiſmaticos). Pergit Febronius: *Quando ex contrario ſapientiores, & præjudiciis vacui* (impugnant enim R. Pontificis juriſdictionem, ejuſque decreta parvi pendunt. Nonne id ſatis abunde Febronio eſt, ut eos inter Sapientiores, & præjudiciis vacuos homines recenſeat?) *putant, hoc eſſe in re valde ſeria ludere, & propriis oculis ſponte velum objicere* (Febronius tantum, ejuſque ſimiles homines vident; cæteri vero, quamvis apertiſſimam Sacræ Scripturæ, & conſtantiſſimæ Traditionis auctoritatem ſequantur ducem, in re ſeria ludunt, & in meridiana luce ſponte cæcutiunt), *eo fine, ut incautis pro libertate Canonica* (ideſt pro Anarchia) *imponatur ſervitus* (ideſt legitima obedientia a Chriſto ipſo conſtituta) *Ordini Epiſcopali indigna* (fuit ea etiam Photii, Proteſtantium, aliorumque Hæreticorum querela), *Sacris Literis, & Traditioni adverſa* (nihil magis falſum eſſe, hactenus ego demonſtravi); *ſicque forma ſacri regiminis a Chriſto inſtituta evertatur*. Formam Eccleſiæ monarchicam a Chriſto inſtitutam eſſe, Catholicorum omnium ſententia eſt. Vide procem. n. 2. & 5. Febronius tantum, ejuſque ſimiles, quoniam ſapientiores ſunt, ſi ſuperis placet, & præjudiciis vacui, id negant.

CAPUT

CAPUT XXVII.

Expenduntur in eamdem rem Acta Synodorum generalium VII. & VIII. Febronii argumentum ex Tridentina Synodo ductum refellitur.

I. PAuca ex VII. Synodo proferam: Interrogati ejus Synodi Patres a Legatis Hadriani I. R. P. *an admitterent literas Sanctiſſimi Papæ Senioris Romæ, an non*: Reſponderunt: *Sequimur, & ſuſcipimus, & admittimus*.

II. Denique Synodus VIII. ſubſcripſit libello ab Hadriano II. ad eam tranſmiſſo, in quo hæc legebantur (*Tom.* 10. *Concil. Labb. col.* 497.): *Quia non poteſt Domini noſtri Jeſu Chriſti prætermitti ſententia dicentis: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Hæc quæ dicta ſunt, rerum probantur eventibus; quia in Sede Apoſtolica immaculata eſt ſemper ſervata Religio, & Sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo Fide, atque doctrina ſeparari minime cupientes, & Patrum, & præcipue Sanctorum Sedis Apoſtolicæ Præſulum ſequentes in omnibus conſtituta, anathematizamus omnes hæreſes ſimul cum Iconomachis.* Non ergo Rom. Præſulum conſtitura ſuo examini, ac judicio ſubjiciunt Synodi Patres, ſed in omnibus ea ſe ſequi, profitentur. Præterea Hadrianum alloquentes: *Omnia*, ajunt (*ibid.*), *quæ in his ſtatuta ſunt, ſecundum decreti veſtri moderationem venerabiliter conſervabimus, recipientes quos recipiunt, & damnantes omnes, qui in illis damnati ſunt, & præcipue jam dictum Photium.... Porro de Venerabiliſſ. Ignatio Patriarcha noſtro, & de his, qui ex parte hujus ſunt, quod auctoritas Apoſtolicæ Sedis veſtræ decrevit, tota mente ſequimur, & religioſa devotione veneramur, atque pro noſſe, & poſſe noſtro, pia intentione, ac ſpiritali conflictu defendimus. Quoniam, ſicut prædiximus, ſequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem, & obſervantes ejus omnia conſtituta, ſperamus, ut in una communione, quam Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe mereamur, in qua eſt integra & vera Chriſtiana Religionis ſoliditas.* Lecto autem libello, *juſte*, ajunt Patres, *& convenienter lectus nobis libellus expoſitus eſt a Sancta Romanorum Eccleſia, & propterea omnibus placet.* En fatentur Patres Hadriani libello ſubſcribentes, ſe tota mente ſequi in omnibus Sedis Apoſtolicæ Præſulum conſtituta, eaque Religioſa devotione venerari: ſe recipere quos illi recipiunt, & damnare quos illi damnant: in Apoſtolica Sede, ſeu in communione cum ipſa integram, & veram Chriſtianæ Religionis ſoliditatem eſſe. Eum qui ſuperiorem ſe Judicem agnoſcit, de inferioris Judicis de-

cretis ita & ſentire, & loqui poſſe, nemó ſibi perſuaſerit.

III. Rurſus cum ageretur de recipiendis ad pœnitentiam Epiſcopis, qui Photium ſecuti fuerant, Legati dixerunt: *Suſcipimus vos ſecundum præceptionem Sanctiſſimi Papæ noſtri Hadriani propter confeſſionem libelli pœnitentiæ veſtræ. Detulimus libellum a S. R. Eccleſia, a Sanctiſſimo Papa Hadriano, mandatum ab eo accipientes exigere a vobis fieri ipſum libellum, & ſic vos ſuſcipere. Vultis ergo facere, quod juſtum eſt a Sanctiſſimo Papa Hadriano?* An non omnia ex Hadriani præſcripto in ea Synodo acta ſunt? Nonne ipſe Synodo legem imponit? Quinam Judex majori in inferiores auctoritate uti poteſt?

IV. Poſtremum argumentum ducit Febronius ex Synodo Tridentina. Quamvis enim Leo X. Lutheri errores damnaverit; *nihilominus*, inquit (*cap. 6. §. 7. n. 3.*), *ex Actis Tridentini cum Bulla Leonis collatis manifeſtum eſt, Synodum rurſus, & ab integro diſcuſſiſſe errores a Pontifice jam damnatos.*

Sed cur Febronius iſtiuſmodi etiam argumentum attulerit, cauſam ego non video. Primo enim Leonis Conſtitutionem a Tridentina Synodo ad examen vocatam eſſe, non dixerit. Secundó: cenſet ne Febronius, Lutheri errores rite, & irrevocabili judicio non fuiſſe a Leone X. damnatos? aut Lutherum, quaſi nondum *ultimato* judicio damnatus eſſet, non fuiſſe Hæreticum? Aſt univerſa Eccleſia Catholica Lutherum etiam ante Synodum Tridentinam veluti Hæreticum ſemper execrata eſt? Perſuaſum igitur habuit Eccleſia, Lutherum irrevocabili judicio a Leone X. damnatum eſſe. Tertio: Leonis Conſtitutio: *Exurge Domine:* data eſt anno 1520. At vero ab eo anno errores alios evulgavit Lutherus, eoſque alii deinceps Lutheri Aſſeclæ amplexi ſunt, iiſque novos addiderunt. Alios errores vulgarunt Zuinglius, Calvinus, Bucerus, aliique plurimi, qui vix numerari poſſunt. Porro hujuſmodi errores omnes, non nominatis eorum Auctoribus, Tridentina Synodus damnavit. Quare errores Lutheri nominatim, quos Leo X. damnaverat, Tridentina Synodus *ab integro diſcuſſiſſe* dici nequit. Denique Synodus Tridentina damnavit errores ab aliis œcumenicis Synodis jam damnatos; exempli cauſa, errorem contra cultum ſacrarum Imaginum a Septima œcumenica Synodo jam damnatum. An veró inde conficiet Febronius, Septimæ œcumenicæ Synodi definitionem a Synodo Tridentina ad examen vocatam eſſe, aut Iconomachorum cauſam ab eadem ſeptima Synodo non fuiſſe *ultimato* judicio definitam? Si autem potuit Trid. Synodus errores ab aliis Synodis jam profligatos iterum damnare, quin earumdem Synodorum auctoritati quidquam detraxerit; quis dixerit, Pontificis auctoritati parum conceſſiſſe Tridentinam Synodum, quod errores a Leone X.

næ X. jam damnatos, iterum damnaverit? Sunt ne hæ quoque *Italorum minutiæ?*

CAPUT XXVIII.

Generalium Conciliorum Decreta rata non eſſe, niſi Romani Pontificis conſenſu, & auctoritate confirmata ſint.

I. FEbronius (*cap.* 6. §. 5.) ſtatuit, *Generalium Synodorum decreta non indigere Pontificiâ confirmatione*. Ut id probet, triplicem diſtinguit (*n.* 1.) Synodorum ſpeciem. *Prima eſt*, inquit, *illorum, quibus ipſe Pontifex interfuit: Altera, quibus adfuit per Legatos: Tertia, quibus neutro modo intervenit. Ad primam ſpeciem pertinent Concilia Lateranenſia, Lugdunenſia, Viennenſe, & Florentinum*. Cum autem his Conciliis Pontifex ipſe præfuerit, eorum decreta ab eo confirmari, opus non fuit; præſertim cum decreta Conciliorum Lateranenſis IV. duorum Lugdunenſium, Viennenſis, & Lateranenſis V. ab ipſo Pontifice edita ſint, *Sacro approbante Concilio*.

Quantum ad Concilia, inquit (*ib. n.* 2.), *quibus Pontifex per Legatos adfuit: nec de his ullum extat monumentum, quo probetur eorum confirmationem a Sede Romana rogatam fuiſſe*. Affert in hanc rem Conciliorum generalium hiſtoriam.

Concilia, addit (*ib. n.* 3.), *ſine ullo Pontificis interventu habita, ſunt C. P. I. ſub Damaſo habitum, & C. P. II. habitum ſub Vigilio*. Neutrum autem ſuorum decretorum confirmationem a Pontifice petiit; neque Pontifex ea confirmavit.

Cæterum cum non ignoret Febronius, aliqua ſaltem Concilia ſuorum decretorum confirmationem a Pontifice poſtulaſſe, notat (*ib. n.* 4.), etiam Patres Concilii C. P. I. geſtorum ſuorum confirmationem a Theodoſio Imp. petiiſſe his verbis: *Rogamus igitur Clementiam tuam, ut per literas pietatis tuæ ratum habeatur Concilii decretum*. Quare ſic concludit: *fieri itaque eâdem ratione potuit, ut generalia Concilia, ſi Pontificiam confirmationem petiiſſent, nihil intendiſſent aliud, quam ut impetrarent aliquas literas eorumdem Conciliorum executioni inſervientes, per teſtimonium approbationis Capitis Eccleſiæ*.

Denique ait, e Conciliis Occidentalibus unum Tridentinum ſuorum decretorum confirmationem a Pontifice petiiſe; nec tamen, quem in ſenſum confirmationem petierit, declaraſſe. Hactenus Febronii doctrinam expoſui. Nunc ad eam refellendam aggredior.

II. Recte quidem Febronius triplicem Conciliorum ſpeciem diſtinguit, ſed in quo ſita ſit nos inter, & ipſum controverſia, haud recte definit. Itaque ſi Pontifex ipſe Concilio præſit, atque decreta vel communi totius Synodi nomine, vel ipſe ſolus, *ſacro approbante Concilio*, edat, ea confirmari a Pontifice, aut Concilium eorum confirmationem petere, opus non eſſe, nos quoque fatemur. Si vero Pontifex a Patribus diſſentiat, rata ne ſunt decreta a Patribus diſſentiente Pontifice condita? Affirmat Febronius; imo *Si Papa*, inquit (*ib.*), *Concilii decretis ſubſcribere, & univerſalis Eccleſiæ deciſioni ſeſe accommodare recuſet, poterit œcumenica Synodus ſua adverſus illum, ſicut contra alia Eccleſiæ membra, auctoritate uti*. Nos vero id negamus.

Secundo: Si Concilio præſint Legati Pontificis, atque cum Legati, tum Concilii Patres ejuſdem Pontificis mandata exequantur; aut editis ab eo definitionibus ſubſcribant, Concilii geſta, quæ Pontificis mandatis reſpondent, confirmatione non indigent. Si vero vel Legati Pontificis mandata prætergrediantur, vel Synodi Patres alia conſtituant, præter ea, quæ Legatis mandata ſunt, aut Patrum Statutis Legati obſiſtant, nos contendimus, hujuſmodi Patrum Statuta irrita eſſe, niſi a Romano Pontifice confirmentur.

Tertio: Si Concilium abſque Pontifice, ejuſve Legatis celebretur, ejus Concilii decreta nec rata, nec firma ſunt, niſi Romani Pontificis auctoritate confirmentur.

Quarto: Si decreta, vel primum invito, vel inconſulto Romano Pontifice, ejuſve Legatis, a Synodis edita tandem Romanus Pontifex confirmet, dicimus, Pontificis confirmationem non in eo tantum ſitam eſſe, ut Synodorum decreta *rata habeat*, ſeu iis cenſentiat; aut *agnoſcat, quod requiſitæ ſolemnitates fuerint obſervatæ*, ut vult Febronius, ſed etiam ut auctoritatem iis impertiatur.

Quinto: Denique dicimus, in hunc poſtremum ſenſum Concilia ſuorum decretorum confirmationem a Romanis Pontificibus petere conſueviſſe. Hæc autem ſi demonſtravero, nonne rite conficiam, Generalium Synodorum decreta *indigere Pontificia confirmatione*, nec rata, firmaque eſſe, niſi Romani Pontificis auctoritate confirmentur? Ad rem aggredior.

III. Julius R. P., Socrates, Sozomenus, Lucentius S. Leonis Legatus, & Patres Septimæ œcumenicæ Synodi teſtantur, Eccleſiæ Canonem, & Conciliorum legem eſſe: *Acta illa irrita eſſe, quæ abſque ſententia Epiſcopi Romani conſtituuntur: Nunquam licitum fuiſſe Synodum facere ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ*: Irritam eſſe Synodum, *quæ non habet cooperantem Romanorum Papam* (*vid. cap. 19.*): Ergo Eccleſiæ Lex, imo Apoſtolica Traditio eſt (*vid. ib. n. 3.*),

irrita

irrita eſſe Conciliorum quamlibet generalium decreta, quæ Romani Pontificis auctoritate confirmata non ſunt.

IV. Etiam S. Gelaſius (de anath. vinc.): *Totumque, ut dictum eſt*, inquit, *in Sedis Apoſtolicæ poſitum eſt poteſtate. Ita quod firmavit in Synodo Sedes Apoſtolica, hoc robur habuit: quod refutavit, habere non potuit firmitatem*. Et alibi (epiſt. ad Epiſc. Dardan.): *Confidimus, quod nullus jam veraciter Chriſtianus ignoret, uniuſcujuſque Synodi conſtitutum, quod univerſalis Eccleſiæ*, ideoque & Romani Pontificis, *firmavit aſſenſus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quam Primam; quæ & unamquamque Synodum ſua auctoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit, pro ſuo ſcilicet principatu*. Loquitur autem Gelaſius non modo de Provinciali Synodo, ut vult Natalis Alexander (*ſæc. 15. & 16. diſſ. 4. a. 1. n. 37.*), ſed etiam de œcumenica. 1. enim de *unaquaque* Synodo loquitur. 2. ait, Primam Sedem *uniuſcujuſque Synodi conſtitutum oportere exequi*, & Primam Sedem *unamquamque Synodum ſua auctoritate confirmare*. Oportet autem, Primam Sedem exequi Conſtituta etiam Synodi œcumenicæ: ergo Prima Sedes unamquamque Synodum etiam œcumenicam ſua auctoritate confirmat. Confirmare autem, Gelaſii ſententiâ, non eſt dumtaxat *exequi, conſentire, aut executionem imperare*, ſed *robur, & firmitatem tribuere*. *Quod enim firmavit in Synodo Sedes Apoſtolica, hoc robur habuit; quod refutavit, habere non potuit firmitatem*.

V. Et hæc quidem olim fuiſſe videtur etiam Gallicanæ Eccleſiæ ſententia. Hincmarus enim (*lib. de divort. Loth. & Theuber.*): *Quibus omnibus*, inquit, *demonſtratur, quia Synodus comprovincialium Epiſcoporum judicia: generalis autem Synodus Comprovincialium dijudicationes, ſive diſſenſiones vel probet, vel corrigat: Apoſtolica vero Sedes & comprovincialium, & generalium retractet, refricet, & confirmet judicia, ſicut Epiſtolæ Leonis, & Gelaſii, cæterorumque Romanorum Pontificum, & Sardicenſis Synodus evidenter oſtendunt*.

VI. Conciliorum hiſtoriam nunc percurramus. De Nicæni Concilii confirmatione duæ extant Romanorum Pontificum epiſtolæ, ſed quæ a Pſeudo-Iſidoro confictæ ſunt. Quamobrem ſibi plaudens Febronius (*ib. n. 2.*). *Nulla*, inquit, *hic apparet requiſitio confirmationis ex parte Synodi, aut ejus conceſſio ex parte Pontificis, præter utramque Spuriam*.

Verum Epiſtola Concilii Romani anno 485. ad Orientales Clericos, & Monachos ſcripta, ſpuria non eſt (*tom. 5. Concil. Labb. col. 248.*); quamvis Launojus eam in dubium vocare conatus ſit. In ea autem epiſtola Synodus: *Quam vocem*, inquit, (tu es Petrus) *ſequentes trecenti decem & octo Sancti Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum, atque auctoritatem Romanæ Eccleſiæ detulerunt*.

Præfa-

Præfatiuncula quoque Nicænis Canonibus præfixa, hæc habet verba: *Et placuit, ut hac omnia mitterentur ad Epiſcopum urbis Romæ Silveſtrum (tom. 3. oper. S. Leonis edit. Baller. & Amort Jur. Canon. tom. 1. p. 2.).* Prætermitto Concilium Romanum anno 330. a S. Silveſtro celebratum, in quo *Silveſter Epiſcopus Sanctæ Apoſtolicæ Sedis Urbis Romæ dixit: Quidquid in Nicæa Bithiniæ conſtitutum eſt..... noſtro ore conformiter confirmamus*: Quamvis enim de ejus Concilii veritate non dubitent plures eruditi Viri, plerique tamen ejus veritatem negant. Sed quidquid ea de re ſit, præter duas epiſtolas ſpurias, alia extant certæ fidei monumenta, Nicænos Patres decretorum confirmationem a Romano Pontifice petiiſſe, eaque reipſa a R. Pontifice confirmata eſſe. Hæc autem monumenta ſubleſte potius prætermiſiſſe, quam ignoraſſe Febronium, arbitror, ut audacter ſcribere poſſet (*ib.*), *utriuſque documenti* (Iſidoriani) *convictionem deſignare potius, quid Romani ſerius imperitis perſuadere tentaverint, quam quid dictaverit geſtorum veritas.*

VII. Poſt Nicænum Concilium celebratum eſt Ariminenſe, quod tamen Conciliabulis adnumeratum eſt. Ejus autem rei cauſam afferens Damaſus R. P. (*epiſt. 3.*): *Neque enim*, inquit, *præjudicium aliquod naſci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt: Cum conſtet, neque Romanum Epiſcopum* (Liberium), *cujus ante omnes fuit expetenda ſententia.... hujuſmodi ſtatutis conſenſum aliquem commodaſſe.*

VIII. Concilium C. P. I. quoad fidei definitionem a Damaſo, atque ab aliis deinceps Romanis Pontificibus confirmatum eſt; ſed ejus Canones a Romana Eccleſia rejecti fuerunt, eâque de cauſa nullam vim habuerunt (*vid. cap. 20. n. 4.*).

Concilium Epheſinum a Cœleſtino confirmari, opus non fuit. Nihil enim egit præter id, quod Cœleſtinus ipſe ſtatuerat (*vid. cap. 23. n. 5. ſeqq.*).

IX. De altero Concilio Epheſino, quod *prædatorium* dictum eſt, ita ſcribit Gelaſius (*epiſt. ad Epiſc. Dard.*): *Itemque S. Flavianum Pontificem Græcorum congregatione damnatum, pari tenore, quia ſola Sedes Apoſtolica non conſenſit, abſolvit; potiuſque qui illic receptus erat, Dioſcorum ſecundæ Sedis Præſulem ſua auctoritate damnavit, & impiam Synodum, non conſentiendo, ſola ſubmovit.* Quid vero illi Synodo deerat, ut œcumenica, & legitima eſſet? A Theodoſio enim Imperatore, Leone Magno annuente, convocata erat. Illi, Theodoſio jubente, & Concilii Patribus pleriſque ſaltem conſentientibus, præfuerat Dioſcorus Alexandrinus; quamobrem legitima adhuc erat juxta Febronii doctrinam, qui ait (*cap. 6. §. 4. n. 1.*): *In Concilii facultate &c, etiam præſentibus Pontificis Legatis, alteri deferre præſidi-*

præſidium. Præterea tota Synodus in S. Flavianum ſententiam dixit. Leonis autem Legatos obſtitiſſe, parvi refert; Febronii enim ſententiâ, ut ſummum prærogativa ſuffragii Legatis, imo Romano Pontifici convenit; cæterum major ſuffragiorum pars prævalere debet. Denique illa Synodus a Theodoſio Imperatore lege latâ confirmata fuit. Quidni igitur legitima fuit? Scilicet quia Leo Magnus non modo eam non confirmavit, ſed etiam veluti latrocinium reprobavit; ut hinc manifeſtiſſimum ſit, irrita eſſe Synodorum quamlibet œcumenicarum decreta, ſi fuerint a R. Pontifice reprobata, aut etiam tantum non confirmata.

Sed prætermittere nequeo quod reſpondet Natalis Alexander (*ſæc.* 15. *&* 16. *diſſ.* 4. *art.* 1. *n.* 48.), nempe non ideo irritam fuiſſe Epheſinam Synodum, quia eam irritavit Leo, ſed quia irrita erat, ideo eam irritam Leonem declaraſſe.

Ego vero ſic reſpondeo. Arii dogma, *Verbum eſſe creaturam*, non ideo hæreticum eſt, quia hæreticum eſſe, difinivit Nicæna Synodus; ſed ideo hæreticum eſſe dogma illud, Nicæna Synodus definivit, quia antea hæreticum erat. Similis plane eſt utraque ratiocinatio. Ex poſteriori autem ratiocinatione non colliget Natalis Alexander, aut non Nicænæ Synodi auctoritate damnatum eſſe Arii dogma, aut non ſummam fuiſſe Nicænæ Synodi in fidei cauſis definiendis auctoritatem. Neque igitur ex Natalis Alexandri ratiocinatione concludi poteſt, aut non Leonis auctoritate improbatam eſſe Epheſinam Synodum, aut non ſummam eſſe R. Pontificis in Conciliis probandis, vel improbandis auctoritatem.

X. Non minus in Chalcedonenſi Synodo emicuit ſumma R. Pontificis hac in re auctoritas. Primo enim S. Leonis Epiſtolam ad Flavianum ſuſcepit Synodus, eamque ſubſcripſit: quamobrem Fidei definitionem a Synodo editam confirmari a Leone, opus non fuit. Qua de re vere dicit Febronius (*cap.* 5. §. 4. *n.* 3.): *Quoad hæc nihil amplius deſiderabatur* (*vid. cap.* 24.). Sed præterea ſtatuit Synodus *can.* 28., ut Conſtantinopolitanus Epiſcopus primum locum poſt Romanum Pontificem obtineret, quem illi adjudicaverat etiam Synodus Conſtantinopolitana I. Ejus vero Canonis confirmationem vehementer rogarunt Leonem Anatolius ipſe Conſtantinopolitanus Epiſcopus, Synodi Patres, Marcianus Imperator, & Pulcheria Auguſta. Anatolius (*epiſt. inter Leon* 100.): *Et honoris quidem gratia*, inquit, *quo vos proſequimur, ejuſmodi etiam decretum ad veſtram Sanctitatem Synodus detulit, & nos, ut approbationem a vobis, confirmationemque conſequamur; obſecramuſque, ut hoc etiam per vos, o ſanctiſſimi, efficiatur*. Synodus (*Ep. inter Leon.* 98.): *Rogamus igitur*, inquit, *& tuis ſententiis noſtrum honora judicium; & quemadmodum nos*

conſen-

Digitized by Google

conſenſum in bonis Capiti contulimus, ita & Caput Filiis, quod decet, adimpleat. Sed Leo tamen iſtiuſmodi Canonem improbavit. Scribens enim ad Pulcheriam Auguſtam (*ep.* 105.): *Conſenſiones vero Epiſcoporum*, inquit, *Sanctorum Canonum apud Nicaam conditorum regulis repugnantes, unita nobiſcum veſtra Fidei pietate, in irritum mittimus; & per auctoritatem B. Petri Apoſtoli generali prorſus definitione caſſamus.* Eadem fere ſcripſit ad Synodum, & ad Anatolium. Quid vero egit Synodus?

En, Febroni, caſum, de quo agis. Leo M. Concilii Chalcedonenſis decretis, & univerſalis Eccleſiæ (Synodum enim etiam ſeorſim a Pontifice univerſalem Eccleſiam repræſentare, vis) deciſioni ſeſe accommodare recuſat, imo in irritum eam mittit, & B. Petri Apoſtoli auctoritate ſe caſſare, confidenter dicit. Quid porro agit Synodus? Sua ne adverſus illum auctoritate utitur? Haudquaquam. Ne in mentem quidem Synodi Patribus id venit.

XI. Febronius hujus argumenti vim imminuere ſaltem conatur. Synodus, inquit (*ib. n.* 2.), *non poſtulata a Pontifice confirmatione ſententiarum, quas in hæreſes ipſas, harumque auctores tulerat* (quia Leonis Epiſtolam, & mandata adamuſſim Synodus ſecuta erat), *ad aliud factum tranſit multo minus grave, ejus petens confirmationem, ex quo Pontificis Legati illi contradixiſſent .... & adverſaretur diſpoſitionibus ſexti Canonis Nicæni, & primi Concilii C. P., inſuper etiam dignitati Sedis Apoſtolicæ, cujus eſſet tales prærogativas concedere. Itaque Synodus cupiens tollere hanc qualemcumque difficultatem, recurrit ad Pontificem .... diverſa hac agendi ratio, circa duo capita, docet, Concilium non putaviſſe, quod ſua decreta annuentibus Legatis confecta, confirmatione Pontificis indigeant: e contra eam utiliter obtineri pro roboratione decreti, iiſdem Legatis repugnantibus concepti circa rem, de qua citra Primatis univerſalis concurſum diſponi non poſſe, exiſtimabatur.*

Sed ex his Febronii verbis quiſque facile intelligit, eum veritatem agnoſcere quidem, ſed aperte fateri nolle. Vocat hujuſmodi canonem, *factum multo minus grave:* repugnantiam Legatorum *qualemcumque difficultatem:* ait, confirmationem decreti, repugnantibus Legatis, *concepti utiliter obtineri.*

Sed primo: Canon ad diſciplinam ſpectans non equidem tanti eſt, quanti Canon fidei. Sed cum velit Febronius, Conciliorum generalium decreta, tum quæ ad fidem, tum quæ ad diſciplinam ſpectant, non indigere Pontificis confirmatione, imo ſi repugnet Pontifex, poſſe Concilia in eum ſua auctoritate uti, fateri debet, ne Chalcedonenſem quidem Canonem indiguiſſe Pontificis confirmatione, imo potuiſſe Synodum cum cogere, ut ſtatutum Canonem ratum haberet. Si autem confirmari a Leone Canonem, opus non erat,

cur

cur Synodus ipſa, Anatolius, Marcianus Imperator, & Pulcheria Auguſta ejus Canonis confirmationem Leonem adeo flagitarunt? Cur cum Leo Canonem irritaſſet, ſua in eum auctoritate Synodus uſa non eſt? Sed ab ea re vel cogitanda adeo abſuerunt Synodi Patres, ut Leonem ſupplices Canonis confirmationem *rogaverint*, ſeque ejus *Filios* appellaverint.

Sed Chalcedonenſis Canon, inquit Febronius, adverſabatur *diſpoſitionibus ſexti Canonis Nicæni*. Sed rogo ego iterum: Quid demum Chalcedonenſi Synodo deerat, ut Canonem a Nicæna Synodo in re diſciplinæ conſtitutum, mutaret; præſertim cum etiam rerum ratio mutata eſſet? Nempe ei deerat Pontificis conſenſus, & auctoritas. Nam ſi Pontifex Canonem probaſſet; ratus habitus eſſet, etiamſi Nicæno Canoni contrarius eſſet. Ergo ſola demum Pontificis auctoritate fit, ut Synodorum generalium decreta rata ſint.

Sed, ait Febronius, adverſabatur etiam dignitati Sedis Apoſtolicæ, *cujus eſſet tales prærogativas concedere*. Sed vereor ego, ut id ſerio affirmet Febronius. Nam eo Canone Epiſcopo C. P. non modo ſecundus in Eccleſia honoris locus; ſed etiam Diœceſes Aſianæ, & Ponticæ ab Antiocheni Patriarchæ juriſdictione ſubtractæ, attributæ ſunt. Si autem Apoſtolicæ Sedis erat iſtiuſmodi prærogativam concedere, ideſt integras Diœceſes ab unius Epiſcopi juriſdictione ſubtrahere, eaſque alterius Epiſcopi juriſdictioni ſubjicere, cur alibi ſæpe invehitur Febronius in Monachorum privilegia ipſis ab Apoſtolica Sede conceſſa; negatque, poſſe R. Pontificem eos, eorumque Monaſteria ab Epiſcoporum juriſdictione ſubtrahere, eaque Moderatorum ſuorum juriſdictioni ſubjicere? Sed negare alicubi non pudet Febronium, quod alibi affirmat; & ſcita alicubi ſtatuere, eorumque conſectaria alibi negare; dummodo ubique R. Pontificis auctoritatem impugnet.

Denique ait Febronius, *utiliter* poſtulatam eſſe ejus Canonis confirmationem, quia *exiſtimabatur, circa eam rem citra Primatis univerſalis concurſum diſponi non poſſe*. Quaſi vero neceſſaria non fuerit confirmatio; aut ea una fuerit res, de qua Synodus abſque Pontificis conſenſu ſe diſponere non potuiſſe, exiſtimaverit. Quidni fatetur, exiſtimaſſe Synodum, de nulla re ſe diſponere potuiſſe abſque Pontificis conſenſu, & auctoritate? Quod enim ea una res in controverſiam venerit, argumento non eſt, potuiſſe Synodum jure ſuo abſque Pontificis conſenſu cætera ſtatuere. Interea vero ex his manifeſtum eſt, Febronium argumento, quod ex Chalcedonenſis Canonis refutatione ducimus, nonniſi nugas, & ineptias opponere.

XII. Sed magis magiſque confirmationis, de qua agimus, neceſſitatem oſtendunt ea, quæ poſt improbatum a Leone Canonem

contigerunt. Cum enim, prætermiſſis Fidei decretis, totus in eo eſſet Leo, ut eum Canonem refutaret, opinati ſunt Eutychiani, etiam Fidei decreta a Synodo edita, a Leone rejecta eſſe. Quæ res ne Fidei Catholicæ detrimento eſſet, veritus Marcianus Imperator, Leonem rogavit, ut Fidei ſaltem decreta litteris ad omnes Eccleſias tranſmittendis confirmaret, ne Eutychiani, aliique cauſatentur, ea ab Apoſtolica Sede confirmata non fuiſſe: *Miramur ſupra modum*, inquit Marcianus (*ep. 110. inter Leon. edit Baller. al. poſt ep. 88.*), *quod poſt Chalcedonenſem Synodum, & litteras venerabilium Epiſcoporum ad tuam Sanctitatem miſſas, quibus omnia in ipſa Synodo acta ſignificabant, nullo prorſus pacto a tua Clementia ejuſmodi epiſtolæ remiſſæ ſint, quas videlicet in Sanctiſſimis Eccleſiis perlectas, in omnium oportebat notitiam venire. Quod nonnullorum animis, qui Eutychetis etiam nunc pravam opinionem, & perverſitatem ſectantur, ambiguitatem multam injecit, utrum tua Beatitudo, quæ in Sancta Synodo decreta ſunt, confirmaverit.... Quamobrem tua veneranda dignitas decretum quamcelerrime emittat. quo confirmare ipſam Chalcedonenſem Synodum, manifeſtiſſime oſtendat, ut ii, qui exoptant invia diverticula, nullam habere poſſint ſuſpicionem de judicio tuæ Sanctitatis*. Viden' quam neceſſarium eſſe exiſtimaverit Marcianus, ut Chalcedonenſis Synodi decreta, quæ ad Fidem ſpectabant, confirmaret Leo? Et Pontifex quidem Marciano reſcripſit (*ep. 115.*), nullam fuiſſe de Fidei decretis ambigendi rationem; *cum ei fidei*, inquit, *omnium ſubſcribentium conſenſus acceſſerit, quæ a me ſecundum formam Apoſtolicæ doctrinæ, & paternæ traditionis emiſſa eſt*. Sed quam tamen rogaverat Marcianus decretorum fidei confirmationem, ad eum Leo miſit, ut eam ipſe ad omnes Orientis Eccleſias tranſmitteret. Quæ autem in hac cauſa contigerunt, ea ſummam Romani Pontificis etiam in Concilia generalia auctoritatem præclariſſime demonſtrare mihi videntur.

XIII. Id perſenſit etiam Febronius (*cap. 5. §. 4. n. 3.*). Quare ait: *Interim haud diffitendum, quod Pontifex authoritatis ſuæ commendandæ multum ſtudioſus* (aliquid præterea dicere vellet, ſed non audet), *non petitam confirmationem fuerit impertitus..... Scilicet ſtylo Eccleſiaſtico confirmantur decreta non modo ab æqualibus, ſed paſſim etiam ab inferioribus, & ſpeciatim non tantum a Romanis Pontificibus Conciliaria decreta, ſed & viciſſim a Conciliis etiam particularibus decreta Summorum Pontificum confirmata leguntur. Quod erudite demonſtrat Ill. Boſſuetus def. decl. Cler. Gall. p. 2. lib. 13. cap. 2.*

Verum cur primum Chalcedonenſis Synodus decretorum fidei confirmationem non petiit? Quia nempe ad Leonis mentem, & ex ejus verbis, & phraſibus adornata erant (*vid. ſup. cap. 24.*). Cur vero poſtea confirmationem petiit a Leone Marcianus, & cum eo

Ortho-

Orthodoxi Epiſcopi? Quia ſcilicet quamplurimi non modo Canones, ſed Fidei etiam decreta a Leone improbata eſſe arbitrabantur. Ergo univerſa Eccleſia perſuaſum tunc temporis habebat, ſola R. Pontificis auctoritate fieri poſſe, ut quæ ab œcumenicis etiam Synodis in cujuſvis generis cauſis ſtatuta ſunt, firma ſint, & rata. Cum enim plures, ne Fidei definitionem ſuſciperent, eam a Leone rejectam eſſe, cauſarentur, non iis reſponderunt Marcianus, & Orthodoxi Epiſcopi, opus non eſſe, ut Fidei definitio ab œcumenica Synodo edita, a Romano Pontifice confirmetur; ſed definitionis Fidei confirmationem iterum iterumque Pontificem flagitarunt. Rogo nunc ego Febronium, & Boſſuetum, ut demonſtrent, Synodorum œcumenicarum, aut Romanorum Pontificum decreta ita ab aliis Epiſcopis, aut a Provincialibus Synodis confirmata eſſe, ut alioquin irrita futura fuiſſent. Id enim demum eſt, quod hic agimus. At vero id nunquam demonſtrabunt. Nam decretum quidem aliquod confirmare dicitur is, qui ei aſſentitur; quem in ſenſum Synodorum generalium, & Pontificum decreta ab Epiſcopis, & a Provincialibus Synodis confirmata fuiſſe, legimus: ſed hujuſmodi confirmationem vim & robur decretis addidiſſe, ut alioquin irrita futura eſſent, nullibi legimus, niſi ubi de Romani Pontificis confirmatione agitur.

XIV. Hinc vero ut ad Synodum V. tranſeamus, magnæ de tribus Capitulis excitatæ ſunt in Eccleſia turbæ; quia Epiſcopi plures, præſertim Occidentales exiſtimabant, omnia Chalcedonenſis Synodi geſta, præter Canonem 28. a Leone Magno confirmata eſſe. In ea enim Synodo Theodoretus, & Ibas ut orthodoxi in Catholicæ Eccleſiæ communionem recepti ſunt. Eam fuiſſe tot turbarum cauſam, teſtantur Facundus Hermianenſis (*lib.* 2. *&* 4.), & Ferrandus Diaconus Carthaginenſis (*Epiſt. ad Pelagium, & Anatol.*): quorum alter, qui præſertim pro Epiſtola Ibæ pugnavit; *Si quis tunc*, inquit, *accuſator Epiſtolæ, cujus Catholica eſſe dictatio claruit, ad majora judicia provocaret, accuſationi forſitan ſecundum conſuetudinem locus pateret. Sed quo iret, aut ubi majores in Eccleſia reperiret Judices, ante ſe habens in Legatis ſuis Apoſtolicam Sedem, qua conſentiente, quidquid illa definivit Synodus* (Chalcedonenſis), *accepit robur invictum?.... Quæ finiuntur judicantibus Epiſcopis Sanctis, & ad B. Petri memoriam perducta diligentius examinantur, atque firmantur, ſequenda ſunt, tenenda ſunt, amplectenda ſunt: in retractatione ſub qualibet pietatis occaſione teneri non debent.* Sed errarunt Facundus, Ferrandus, aliique in re geſta. Pelagius enim II. (*ep. 6. ad Epiſcopos Iſtriæ tom. 6. Concil. Labb. col. 631.*) teſtatur, præter fidei definitionem, reliqua, quæ a Synodo Chalcedonenſi geſta ſunt, a Leone confirmata non fuiſſe: *Privatas cauſas*, inquit, *quæ ibi poſt definitionem fidei acta ſunt, non ſolum minime confirma-*

firmavit, ſed & retractari, atque dijudicari conceſſit. Tota igitur controverſiæ ratio in eo verſabatur, utrum Leo præter fidei definitionem, reliqua Concilii Chalcedonenſis geſta confirmaſſet. Scilicet perſuaſum omnibus erat, Synodorum decreta a Romano Pontifice confirmata, firmiſſima eſſe, nec retractari poſſe: ea vero, quæ Romanus Pontifex non confirmaſſet, firma non eſſe, ſed in controverſiam iterum adduci poſſe. Trium autem Capitulorum cauſam definivit V. Synodus, ejuſque definitionem confirmavit eodem anno 553. Vigilius Romanus Pontifex epiſtola ad Eutychium Conſtantinopolitanum Patriarcham data 6. Idus Decembris.

XV. Epiſtolam hanc primus in lucem edidit Petrus de Marca (*differt. Select. Eccleſ. diſſ. de decreto Vigil.*) ex antiquiſſimo Codice Bibliothecæ Regiæ, quem Ammanuenſis Leo Cinnomus ſe deſcripſiſſe teſtatur temporibus Michaelis Palæologi ex Autographo, quod in veteri Bibliotheca Eccleſiæ Romanæ aſſervabatur, calamo exaratum anno mundi 6267., ſeu anno Chriſti 753. Eam genuinam eſſe, oſtendit ipſe Petrus de Marca, & *a Græcis ipſis tanti factam eſſe ad robur Quintæ Synodi aſſerendum, ut eam in Acta ejus Synodi retulerint, & definitioni Synodicæ ſubjunxerint*. Eamdem genuinam eſſe, cenſent Cardinalis Noriſius, Dupinius, Natalis Alexander, & plerique Eruditi Viri. Quare fruſtra ait Febronius (*cap. 6. §. 5. n. 3.*), notari ab Harduino: *Suppoſititiam eſſe hanc Epiſtolam, probari a Joanne Garnerio Soc. Jeſu in Notis ad Brev. Liberati*.

Sed, inquit, *quamvis in inſcriptione hujus decreti ad Eutychium miſſi, feratur, illud factum fuiſſe ad Confirmationem S. Concilii, nullum tamen in eo eſt verbum, ex quo id colligatur: niſi pro Confirmatione Concilii accipiatur damnatio Trium Capitulorum, quæ oſtendit, Pontificem conſentire Synodi decreto. Porro ne loquitur quidem Pontifex de hoc Concilio, multo minus de damnatione ab eodem facta*.

Verum, ut ipſi Petro de Marca notatum eſt (*ib. n. 14.*), Vigilius in ſua decretali Epiſtola ad Eutychium iis verbis uſus eſt, quibus dignitatem ſuam tueri poſſet adverſus Synodum C. P. ſine ulla Juſtiniani Imperatoris, & Epiſcoporum offenſione. In ejus enim Synodi celebrationem, iis conditionibus, quibus facta eſt, Vigilius non conſenſerat. Igitur ne ei Synodo, cui neque ipſe, neque ipſius Legati præfuerant, auctoritatis aliquid tribuere videretur, eam, poſtquam quatuor ſuperiores œcumenicas Synodos ſe venerari profeſſus eſt, ne Synodi quidem nomine cohoneſtavit. Tria itaque Capitula ſuo decreto damnavit; eos vero, qui ea jam damnaverant (his verbis Synodum C. P. ſignificat), fidem a quatuor Synodis prædicatam amplectentes, *Fratres, & Conſacerdotes eſſe, definit*, ideſt eos communioni ſuæ adjungit, eorumque ſententiæ robur illud imper-

pertitur, quod ex conſenſione cum ipſius decreto trahere debent. Porro Vigilii decretum pro confirmatione Quintæ Synodi acceperunt Græci; illud enim in Acta retulerunt, ut robur Synodo afferrent.

Nempe, ait Febronius, Vigilius Synodi decreto conſenſit. Conſenſit quidem, ajo ego: ſed ejus conſenſus Synodo robur, & auctoritatem tribuit; alioquin non tanti eum feciſſent Græci. Equidem Patres Synodi VI. *Vigilius poſt hæc*, inquiunt (*proſphon. ad Imp.*) *Juſtiniano piiſſimo conſonuit, & quintum Concilium conſtitutum eſt*, quaſi dicerent: *Ideo quintum Concilium conſtitutum eſt, quia Vigilius Juſtiniano conſonuit*. De V. Synodi confirmatione hactenus.

XVI. Cum ſextæ œcumenicæ Synodi Patres Fidei definitionem a S. Agathone ad eos tranſmiſſam ſuſcepiſſent, & ſubſcripſiſſent (*vid. cap.* 26.), opus quidem non erat, ut Fidei definitionis confirmationem a Pontifice poſtularent. Nihilominus eam neceſſariam eſſe ipſi exiſtimarunt. Quare S. Agathoni ſcribentes (*tom. 7. Conc. Labb. col.* 1114): *Orthodoxæ Fidei*, inquiunt, *ſplendidam lucem vobiſcum clare prædicavimus, quam ut iterum per honorabilia veſtra Reſcripta confirmetis, veſtram rogamus Paternam Sanctitatem*.

Hæc Sextæ Synodi Patrum verba moleſtiæ nonnihil Febronio creant; quamobrem in alienum ſenſum ea interpretari conatur (*cap.* 6. §. 5. *n.* 2.): *Fatendum*, inquit, *Concilium generale VI. videri poſtulare ab Agathone Pontifice ſuorum decretorum confirmationem .... ſed multum abeſt, ut Patres poſtulent confirmationem, de qua hic agitur, tamquam ſine qua decreta Conciliorum non habeant vim obligandi: rogant enim dumtaxat confirmationem, quæ ſita eſt in nova approbatione; quæ cum ſit novum teſtimonium, Pontificem Concilio conſentire, definitionem aliquatenus corroborat. Firmat hunc ſenſum, verbum ITERUM, evincitque, nihil aliud peti a Pontifice, niſi ut rurſus faciat, quod jam fecit*.

Sed Febronii reſponſum ſe ipſo refellitur. Sive enim quod Pontificem rogant Sextæ Synodi Patres, illud ſit confirmatio, ſive nova approbatio decretorum, aut novum teſtimonium, Pontificem Concilio conſentire, exiſtimant illud neceſſarium eſſe, ut firma, & rata ſint Concilii decreta; alioquin illud Pontificem non rogarent. Itaque cum Patres decretorum confirmationem Pontificem rogaverint, Febronii eſt, oſtendere, eos confirmationem rogaſſe, quamvis neceſſariam eſſe non exiſtimarent. Interea vero ex eorum verbis ego jure meo concludam, eos confirmationem rogaſſe, *tamquam ſine qua decreta Conciliorum non habere vim obligandi*, exiſtimaverint.

Præterea ſi ea fuiſſet Patrum ſententia, Conciliorum decreta vim habere abſque confirmatione Pontificis, imo ſe cogere poſſe Pontificem iis conſentire, ut vult Febronius, Pontificem non rogaſſent,

ſent, ut decreta confirmaret, ſed ei præcepiſſent, ut decreta ad eum miſſa ſuſciperet ipſe, & veneraretur, atque ab aliis ſuſcipienda curaret. Sed a Febronii ſententia longiſſime aberant Sextæ Synodi Patres: multoque ipſi erga S. Petri Succeſſorem obſequentiores erant, quam nunc ſunt obſcuri quidam homines, qui ad Eccleſiæ diſciplinam reformandam a Deo miſſi videri volunt.

XVII. Neque ſeptimam Synodum a Romano Pontifice confirmari, opus fuit. Cum enim Hadriani I. Legati (*Act. 2. tom. 8. Concil. col. 775.*) dixiſſent: *Dicat nobis S. Synodus, num recipiat SS. Papæ veteris Romæ Literas, an minus? Sancta Synodus reſpondit: Sequimur, ſuſcipimus, & admittimus*. Deinceps vero ſinguli Epiſcopi ſuam ſententiam his fere verbis expreſſerunt: *Juxta Literas Sanctiſſimi Papæ Veteris Romæ Hadriani confiteor, & recipio, & adoro venerandas, & Sanctas Imagines*. Quamobrem neque Synodi Patres decretorum confirmationem a Pontifice poſtulaſſe legimus. Quamquam hujus rei ea forte cauſa eſt, quod deſideremus Septimæ Synodi Epiſtolam Synodicam ad Hadrianum. Epiſtola enim Tharaſii Archiepiſcopi C. P. perperam a Febronio inter *Synodales Relationes* numeratur (*ibid.*); cum proprio Tharaſii, non vero communi Synodi nomine ſcripta ſit. Falsò etiam ſcribit Febronius, *nihil in illis literis aliud dici Romanæ Sedi favorabile, quam quod definitiones Concilii Romam miſſæ ſint*. Primo enim Concilii definitiones Romam miſſas eſſe, ne uno quidem verbo indicat Tharaſius. Secundo hæc ſcribit Tharaſius (*tom. 8. Concil. col. 155.*): *Itaque prærogativa quadam Literas Sanctitatis tuæ primo loco legi juſſimus: & eramus quidem tunc omnes veluti in regio Convivio epulis Spiritus intenti, quod tali convivio animi noſtri recrearentur: Pedeſque noſtri in viam rectam veritatis PER TE ducebantur*: vel, ut legitur in græco textu (*ib. col. 1275.*): *& ſicut oculus totum corpus ad rectitudinis, & veritatis ſemitam oſtendebas*. Nihilne continent verba hæc Romanæ Sedi *favorabile?*

XVIII. Denique ne Octavam quidem Synodum a R. Pontifice confirmari opus erat. Omnes enim ejus Synodi Patres Hadriani II. Libellum ad eos miſſum ſubſcripſerant (*vid. cap. 27. n. 2.*). Sed præterea plures Canones Act. 10. ediderunt. Quamobrem Pontificis Legati præter morem his verbis ſubſcripſerunt (*tom. 10. col. 662.*): *Uſque ad voluntatem ejuſdem eximii Præſulis*. Et Patres quidem Hadriano ſcribentes: *Igitur libenter oppido*, inquiunt (*epiſt. ad Hadr. tom. 10. Concil. Labb. col. 673.*), *& gratanter Imitatrice Dei Sanctitate veſtra omnium noſtrum Conventum, & univerſalis hujus, & Catholicæ Synodi conſenſum, & conſonantiam recipiente* (Febronius ib. legit: *benevole recipite, & precibus apud Deum veſtris confirmate*) *prædicâ eam magis, & veluti propriam, & ſollicitius confirma evangelicis præceptio-*

ceptionibus, *& admonitionibus veſtris*, *ut per Sapientiſſimum magiſterium veſtrum etiam aliis univerſis Eccleſiis perſonet*, *& ſuſcipiatur veritatis verbum*, *& juſtitiæ decretum*.

Febronius ſcribit, *his verbis oſtendi*, *Synodum longe abfuiſſe a petenda confirmatione ſuorum decretorum*, *ut ea vim obligandi haberent*.

Sed cum Patres Pontificem rogent, ut Synodi conſenſum, & conſonantiam recipiat, & ſollicitius confirmet præceptionibus ſuis; exiſtimant profecto totam decretorum vim a Pontificis confirmatione pendere.

Jamvero ex Conciliorum Orientalium hiſtoria, quam hactenus perſecutus ſum, manifeſtiſſimum eſt, falſo ſcripſiſſe Febronium (*cap.* 6. §. 5. *n.* 2.), *In nullo eorum quidquam reperiri*, *ex quo colligi poſſit*, *eadem ſuorum decretorum confirmationem a Pontifice petiiſſe*, *& veroſimillimum eſſe*, *nullum eorum hanc deſideraſſe*.

XIX. Nunc quæ hactenus dicta ſunt, in pauca contraho.. I. Antiquiſſimus Eccleſiæ Canon, imo Apoſtolica Traditio eſt, irrita eſſe, ideoque *vim obligandi* non habere Conciliorum Decreta, quæ abſque ſententia, & auctoritate Romani Pontificis condita ſunt (*n.* 2.): & irrita ſunt Conciliorum decreta quæ a R. Pontifice vel non confirmantur, vel refutantur; quod etiam aperte docet S. Gelaſius (*n.* 3.): ergo Conciliorum decreta, ut rata ſint, & vim habeant, indigent Pontificis confirmatione, quæ vim & auctoritatem iis impertiatur. Quare Synodus Secunda, quoad fidei definitionem, & Quinta ideo inter œcumenicas recenſentur, quia ab Apoſtolica Sede confirmatæ ſunt (*n.* 8. *&* 15.): Synodi vero Ariminenſis, & Epheſina Secunda Conciliabulis adnumerantur, quia ab Apoſtolica Sede rejectæ ſunt (*n.* 7. *&* 9.).

II. Synodus Chalcedonenſis (*n.* 10. *ſeqq.*), & duæ Synodi Conſtantinopolitanæ III., & IV. (*n.* 16. *&* 18.), imo veroſimilius etiam Nicænæ Synodi I. & II. (*n.* 6. *&* 17.) ſuorum decretorum confirmationem a Romano Pontifice petierunt; ut ſcilicet Pontifex non modo rata haberet Synodorum decreta, iiſque conſentiret, *& agnoſceret*, *quod requiſitæ ſolemnitates fuiſſent obſervatæ*; *aut daret aliquas litteras Conciliorum executioni inſervientes*, quas ab Imperatoribus Concilia aliquando poſtulabant; ſed etiam ut auctoritatem iiſdem decretis impertiretur. Quamquam Patres Conſtantinopolitani non aliud Theodoſium rogarunt, niſi ut ſubſcriptione, & Imperii Signo Concilii Acta firmaret, ne qua oriretur de eorum fide, & integritate ſuſpicio; quod unum ſignificat verbum ἐπικυρῶσαι, quo utuntur Synodi Patres.

Sed poſtremo ait Febronius cum Meldenſi Epiſcopo (*cap.* 6. §. 5. *n.* 6.): *Libenter quærerem*, *ludant ne nos Synodi*, *cum abſolute*, *& de-*

& decretorie pronunciant: Qui non ita ſenſerit, anathema ſit? Non ludunt quidem, reſpondeo ego, ſi cum Romano Pontifice pronuncient: at ludunt profecto, ſi anathema pronuncient, Romano Pontifice diſſentiente; ſicuti luſere Synodi Ariminenſis, Epheſina II. Conſtantinopolitana anno 757. celebrata, & aliæ ſimiles. De Conciliorum Orientalium confirmatione ſatis hactenus dictum eſt.

XX. Ex his vero facile cætera Febronii ſphalmata caſtigantur: *Quantum ad Concilia generalia Occidentis*, inquit (*ibid.*), *quibus per Legatos Papa adfuit, nullum noſcitur, quod miſerit ad illum ſuorum Geſtorum relationes: unicum eſt Tridentinum, quod Pontificis confirmationem rogaverit.*

Sed quæro, quotnam generalia Concilia, præter Tridentinum, in Occidente celebrata ſint, quibus non ipſe Pontifex, ſed ejus Legati præfuerint? Nullum profecto. Nam Concilium quidem Conſtantienſe tunc ſolum certo legitimum, & œcumenicum fuit, cum illi præfuit Martinus V. qui etiam Concilii decreta confirmavit: Synodus vero Baſileenſis vel ea una de cauſa, ut alias prætermittam, inter Conciliabula numeranda eſt, quod ab Apoſtolica Sede rejecta, & refutata ſit. Sed de utrâque Synodo pluribus poſtea agam. Interea certum eſt, omnibus Occidentis Conciliis certo œcumenicis Pontificem ipſum præfuiſſe, præter quam Tridentino. Non ergo opus fuit, ut ſuorum geſtorum relationes ad Pontificem mitterent, & decretorum confirmationem ab eo peterent. Synodus vero Tridentina, cui non ipſe Pontifex, ſed ejus Legati præfuerunt, & ſuorum geſtorum relationem ad Pontificem miſit, & decretorum confirmationem ab eo petiit.

Id ægre fert Febronius, & forte etiam improbat. Sed ne Synodum ipſam, quæ decretorum confirmationem a Pio IV. petiit, & Pontificem, qui ea confirmavit, palam impetere videatur, carpit potius Scriptorem Conſtitutionis, qua Pius IV. Concilii decreta confirmat. *Is igitur*, inquit, *qui Bullam Pii IV. Concilii Tridentini confirmatoriam confecit, in Hiſtoria Conciliari parum erat verſatus, vel ipſos fontes minime conſuluerat, cum Pontificem dicere facit, Concilium, dum confirmationem ſuorum decretorum petit, veterum ſequi veſtigia Conciliorum.*

Sed Conſtitutionis Scriptorem, Pontificem ipſum, & Tridentinam Synodum abunde ſatis vindicant ea, quæ ex Orientalium Conciliorum Hiſtoria ſuperius allata ſunt.

XXI. Quamquam cum negare nequeat Febronius, Synodum Tridentinam decretorum confirmationem a Pontifice petiiſſe, confirmationis ſaltem vocabulum in alienum ſenſum explicare conatur. *Finaliter*, inquit (*ib. n. 5.*), *triplicem poteſt habere confirmatio ſenſum, a) auctoritatem impertiri: b) ratum habere: c) agnoſcere, quod requiſitæ ſolemnitates fuerint obſervatæ. Non declararunt Patres Tridentini, in qua harum*

harum trium ſignificationum confirmationem ſuorum decretorum a Pontifice peterent. Veroſimile eſt, eos id diverſis motivis impulſos feciſſe, prout alii pro Superioritate Pontificis ſupra Concilium, alii pro dependentia Papæ a Concilio affecti erant. Sic conſenſerint in hanc petitionem Itali ſub prima notione confirmationis: Galli, Germani, & Hiſpani ſub ſecunda, & tertia.

Sed nugæ iſtæ ſunt, quæ facillime diluuntur. Nam *Confirmationis* vocabulum in tertium a Febronio expoſitum ſenſum accipi non poteſt; niſi tam facile eſt verborum ſenſa, quam verba ipſa immutare. Qui enim agnoſcit, requiſitas ſolemnitates in aliquo condendo decreto obſervatas eſſe, non propterea is decretum *confirmare* dici poteſt; niſi præterea addat, ſe decretum ratum habere, & auctoritatem illi impertiri. Neque qui decreti confirmationem ab alio petit, is petit tantum, ut ille agnoſcat, requiſitas ſolemnitates obſervatas eſſe; ſed petit præterea, ut decretum ratum habeat, illudque ſua auctoritate firmum reddat. Ergo Tridentina Synodus decretorum confirmationem a Ro. Pontifice petens, non petiit dumtaxat, ut Pontifex agnoſceret, requiſitas ſolemnitates obſervatas fuiſſe; ſed præterea ut ea rata haberet, iiſque auctoritatem impertiretur.

Sed Confirmationis vocabulum etiam in Febronianum ſenſum accipiamus. Vel neceſſarium eſt ad decretorum vim, ut Pontifex agnoſcat, requiſitas ſolemnitates in iis condendis obſervatas eſſe, vel non. Si non: cur ergo id a Pontifice petunt Synodi Patres? Si vero neceſſarium id eſt, *confirmationis* ſenſus in primum, vel alterum ſenſum recidit, ut patet.

Itaque demum confirmare idem eſt, atque ratum habere, vel auctoritatem impertiri. Jamvero ſi in priorem ſenſum *Confirmationis* vocabulum accipias; vel ad decretorum vim, neceſſarium eſt, ut ea Pontifex rata habeat, vel non. Si non: cur ergo id Synodus a Pontifice petit? Si vero neceſſarium eſt, Pontificis confirmatio, quemcumque in ſenſum accipiatur, vim decretis impertitur: & Synodus decretorum confirmationem a Pontifice petens, petit, ut vim iiſdem decretis, & auctoritatem impertiatur.

Denique quiſnam ſibi perſuaſerit, Tridentinam Synodum exiſtimaſſe, ſe Pontifice ſuperiorem eſſe, ſuaque decreta ſe ipſis, abſque R. Pontificis auctoritate, rata, & firma eſſe, imo ſe Pontificem ad ea ſuſcipienda, & ſervanda compellere poſſe, & nihilo ſecius conventum ſuum, Patribus omnibus Italis, Gallis, Germanis, & Hiſpanis conſentientibus, abſolviſſe, decernendo, ut *omnium, & ſingulorum, quæ tam ſub fel. rec. Paulo III. & Julio III. quam ſub Sanctiſs. D. N. Pio Quarto Romanis Pontificibus in ea decreta, & definita ſunt, confirmatio nomine Sanctæ hujus Synodi per Apoſtolicæ Sedis Legatos, & Præſidentes a Beatiſſimo Romano Pontifice petatur?*

PARS TERTIA.

Oſtendit, Romanum Pontificem Eccleſiæ, et cuivis Synodo auctoritate præcellere.

CAPUT I.

Controverſiam conſtituit, eamque invictiſſimis argumentis definit.

I. CUM quæritur, Romanus ne Pontifex Eccleſiæ, & Synodo, an vero Eccleſia, & Synodus Romano Pontifici auctoritate præcellat, ſecernitur utique Pontifex ab Eccleſia, & a Synodo, velut Caput a Corpore; alioquin inepta eſſet, & Sapientibus Viris indigna iſtiuſmodi quæſtio. Et Febronius quidem, & Galli Theologi, cum ſentiant, R. Pontificem Generali Concilio ſubjici, atque ab eo judicari poſſe, & Pontificem ei parere debere, ipſi quoque Pontificem ab Eccleſia, & a Concilio, a quo eam repræſentari volunt, ſecernunt. Quamquam cum ſententiæ ſuæ argumenta proferunt, ipſius controverſiæ obliti eſſe videntur. Ea enim proferunt, quæ, ſiquid valent, evincunt, Pontificem ſubjici Concilio, cujus magna, & præcipua pars eſt ipſe Pontifex. Ejus rei exemplum unum do. Ajunt illi, Pontificem ſubjici c. c. decretis a Nicæna Synodo conſtitutis; atque hinc colligunt, Pontificem Concilio ſubjici: quaſi S. Silveſtri Legati non fuerint præcipua Nicænæ Synodi pars; atque non primi Synodi decreta ſtatuerint. Hinc equidem ſiquis colligit, Pontificem Concilio ſubjici, ab eo judicari poſſe, eique parere debere, ridiculum omnino ſe facit. Itaque Pontificem ſecretum ab Eccleſia, & a Concilio, Eccleſiæ ipſi, & Concilio quamlibet œcumenico auctoritate præcellere, his argumentis evinco.

II. Primo: Chriſtus non Eccleſiæ, eamque repræſentanti œcumenicæ Synodo, ſed Petro *immediate* dedit Claves Regni Cœlorum, ideſt ſummam auctoritatem, & juriſdictionem in Eccleſia (*ex 1. p. cap. 3.*): ergo ſummam in Eccleſia auctoritatem, & juriſdictionem non habet Eccleſia ipſa, ut a Petro, ejuſque Succeſſore Romano Pontifice ſejungitur, ſed habet Petrus, & Romanus Pontifex.

Secundo: Chriſtus conſtituit Petrum, & Romanum Pontificem Agno-

Digitized by Google

Agnorum, & Ovium, ideſt Chriſtianæ Plebis, & Epiſcoporum, ſeu totius Eccleſiæ Paſtorem (*ex* 1. *p. cap.* 4.): Paſtor autem univerſo Gregi ſive diſperſo, ſive coacto præeſt, & auctoritate præſtat.

III. Tertio: Juxta Florentinæ Synodi definitionem (2. *p. cap.* 5. *n.* 3.), Romano Pontifici tradita eſt a Chriſto *plena poteſtas paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam*, ideoque etiam Synodum œcumenicam. Qui autem poteſtatem habet paſcendi, regendi, & gubernandi, is grege, qui paſcitur, regitur, & gubernatur, ſuperior profecto eſt: ergo R. Pontifex etiam univerſali Eccleſia ſuperior eſt.

Neque te moveat, quod addit Synodus, nempe: *juxta eum modum qui* (ſic enim legi vult Febronius. vid. 2. p. cap. 5. n. 4.) *& in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur*. Non enim his verbis ſubjicitur Romanus Pontifex œcumenicis Conciliis, ſed ut ſummum indicatur, traditam illi eſſe a Chriſto plenam poteſtatem regendi univerſalem Eccleſiam non ad libidinem, ſed juxta Sacros Canones ab œcumenicis Synodis editos, & a Romanis Pontificibus confirmatos, quos vel ipſi Romani Pontifices (*v.* 2. *p. cap.* 7. *n.* 5.), imo & œcumenicæ Synodi ſe prætergredi non poſſe, ſæpe faſſæ ſunt.

Cæterum Florentina Synodus memoratis verbis non regendæ Eccleſiæ legem R. Pontifici præſcribit, ſed fontes tantum indicat, e quibus definitionem ſuam deduxit. Latini enim Patres Pontificis Primatum exprimere volebant *per dicta Sanctorum Patrum*: at Michael Imperator, *an ſiquis*, inquit, *Sanctorum in epiſtola honoret Papam, excipiet hoc pro privilegio?* Quare Græcis, qui ſe alioquin diſceſſuros eſſe, dictitabant, annuit Eugenius IV., ut dictis Sanctorum Patrum prætermiſſis, exprimerentur geſta œcumenicorum Conciliorum, & Sacri Canones, tamquam fontes, e quibus deducebatur, traditam eſſe R. Pontifici a Chriſto plenam poteſtatem paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam.

Quid vero, quod *Eccleſia Græca*, ait Febronius, (*cap.* 1. §. 10. *n.* 1.) *non modo ſæculo XII. per os Nechitis Nicomediæ Archiep. ſuos hac de re ſenſus abunde declaravit in Anſelmi Havelbergenſis dialogo* 3. *cap.* 8. ubi in Eccleſiam R. invehitur; *ſed etiam in Concilio Florentino nunquam voluit agnoſcere R. Præſulem aut Concilio ſuperiorem eſſe, aut infallibilem?* = Scimus, *inquiebat Seſſione IX. Beſſarion pro Græcis verba faciens*, quæ ſint jura, & prærogativæ R. Eccleſiæ: nihilominus ſcimus etiam, prærogativæ ejus quos terminos habeant =. *Et infra*: = Quantacumque facultate polleat R. Eccleſia, minus tamen pollet Synodo œcumenica, & univerſali Eccleſia =.

Sed Febronius Eccleſiæ Græcæ non Catholicæ, ſed Schiſmaticæ

 ſenſa

ſenſa nobis objicit. Nam & Nechites Schiſmaticus erat, & Beſſarion Seſſione IX. Synodi Florentinæ a Schiſmaticis ſtabat; recteque ab Eccleſia Romana additam eſſe Symbolo particulam *Filioque*, negabat, hanc afferens cauſam, quod Epheſina Synodus Symbolo quidquam addi, vetuerat. Hujuſmodi autem auctoritatem negabat non modo Eccleſiæ Romanæ, ſed etiam Synodo œcumenicæ, & univerſali Eccleſiæ; quia putabat, Epheſinæ Synodi decretum immutabile eſſe. Quare cum dixit, Eccleſiam R. minori facultate pollere univerſali Eccleſia, & œcumenica Synodo, nomine univerſalis Eccleſiæ, & œcumenicæ Synodi intellexit Synodum Epheſinam, ideſt Synodum, cui Pontificis Legati præfuerant, & quæ a R. P. probata erat, non vero eam Synodum, de qua cum Febronio diſputamus. Cæterum Beſſarion tandem ad Latinorum partes tranſiit, atque una cum aliis Græcis Fidei definitioni ſubſcripſit, ubi aſſeritur non modo recte, & pie Symbolo additam eſſe particulam *Filioque*; ſed etiam traditam eſſe a Chriſto Romano Pontifici plenam poteſtatem paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam. Sed eo, unde diſceſſi, regredior.

IV. Quarto: Eccleſia Romana eſt omnium Eccleſiarum Mater, & Magiſtra (*ex Synodis Later. III. cap. 5. & Trident. ſeſſ. 7. Can. 3. de bapt. ſeſſ. 14. cap. 3. de extr. unct. & in profeſſ. Fid.*), & Romanus Pontifex eſt omnium Chriſtianorum Pater, & Doctor (*ex Synod. Flor. defin. Fid.*): Pater autem, & Mater omnibus Filiis, Magiſter, & Doctor omnibus diſcipulis tum ſingulis, tum omnibus ſimul ſuperior eſt. Ergo Romana Eccleſia, ideſt R. Pontifex univerſali Eccleſia, & omnibus Chriſtianis ſimul ſuperior eſt.

Hoc argumentum diluere conatur Febronius (*cap. 3. §. 6. n. 3.*); ſed e pluribus, quæ affert, reſponſis, quod arripiat, neſcit. Ait 1. *Titulum Matris, & Magiſtræ omnium Eccleſiarum* Romanæ Eccleſiæ attributum, *deſumptum eſſe ex ſpuria Calixti Epiſtola*; quaſi Tres memoratæ œcumenicæ Synodi e ſpuriis fontibus, non vero ex communi, & perpetua totius Eccleſiæ ſententia Romanæ Eccleſiæ prærogativas hauſerint.

Ait 2. *Proprie eum titulum ſpectare ad Eccleſiam Romanam comparatam cum ſingulis aliis ſeorſim ſumptis, & ut plurimum, ſaltem in Occidente, ab illa conditis.*

Sed Synodi memoratæ vocant Eccleſiam Romanam non ſingularum, neque Occidentalium tantum, ſed *omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram*: & Synodus Florentina non ſingulorum, neque Occidentalium tantum, ſed *omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem* vocat Romanum Pontificem.

Ait 3. *Ea auctoritate, qua Chriſtus fuit, & eſt Magiſter diſcipulorum*

rum ſuorum, omniumque fidelium, nec Petrum, nec ejus in Primatu Succeſſores Magiſtros omnium Eccleſiarum dici debere. Hoc enim expreſſe prohibuit Dominus Matth. 23. v. 8. ſeqq.

Quaſi Tres œcumenicæ Synodi Domini præceptum violaverint, aut nemo vocari poſſit Magiſter, quia dixit Chriſtus diſcipulis: *Nolite vocari Rabbi*. Vide 1. p. cap. 5. n. 7.

Ait 4. *Quod proprie non potuerit, nec poſſit Romana Eccleſia dici Mater Catholicæ, ideſt univerſalis Eccleſiæ, manifeſtum eſt: potiori id jure debetur aliis Apoſtolicis Eccleſiis ..... inprimis Hieroſolymitanæ, quæ revera Mater, & Matrix omnium Eccleſiarum nuncupatur in Epiſtola Concilii C. P. ad Damaſum &c.*

Sed iſtud Febronii reſponſum libenter ego excipio. Ut enim ipſe fatetur, *Matris, & Magiſtræ omnium Eccleſiarum* appellatio non debetur Eccleſiæ Romanæ, ac propterea ei a Synodis non tribuitur eam ob cauſam, quod omnes Eccleſias fundaverit, aut ab ea omnes Eccleſiæ originem habuerint; alioquin potiori jure Eccleſiæ Jeroſolymitanæ tribuenda eſſet; ſed ob aliam cauſam. Quæ autem eſt? Scilicet, quia Eccleſia Romana omnibus Eccleſiis præeſt, omnes regit, omnes docet. Et legimus quidem, Jeroſolymitanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum *Matrem, & Matricem* appellatam eſſe, quia omnium prima ab ipſis Apoſtolis originem habuit; ſed omnium etiam Eccleſiarum *Magiſtram* appellatam eſſe, nullibi legimus: imo ne inter Patriarchales quidem Sedes, niſi multo ſerius numerata eſt. Paucis: Eccleſia Jeroſolymitana omnium Eccleſiarum *Mater* dicta eſt, originis cauſâ: Eccleſia Romana vocatur a Synodis omnium Eccleſiarum Mater, & Magiſtra, cauſâ dignitatis, quia omnibus præſtat, & cauſâ officii, quia omnes regit, & docet.

De reliquo, addit Febronius, *hæc in Tridentino non declarantur per decretum Fidei, ſed referuntur ex communi Juris Canonici uſu loquendi*.

Sed 1. Florentina Synodus definit, *Romanum Pontificem omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem exiſtere*. 2. Synodus Tridentina vocat Eccleſiam R. *omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram* in Canone Fidei: *Si quis dixerit*, inquit, *in Eccleſia Romana, quæ omnium Eccleſiarum Mater eſt, & Magiſtra, non eſſe veram de Baptiſmi Sacramento doctrinam, anathema ſit*. Si autem in Eccleſia Romana eſt vera de Sacramento Baptiſmi doctrina, hujus profecto doctrinæ omnibus aliis Eccleſiis Romana Eccleſia Magiſtra eſt. Ergo definiens Tridentina Synodus, eſſe in Eccleſia R. veram de Sacramento Baptiſmi doctrinam, definit etiam eâdem operâ, ſeu potius veluti definitum ſumit, Eccleſiam Romanam eſſe omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram. Quare Profeſſio Fidei edita a Pio IV., in qua

nonniſi

nonniſi Fidei dogmata continentur, hoc etiam habet: *Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco*.

Ait denique, S. Cyprianum in epiſt. 45. ad Cornelium, & 71. ad Quintum vocaſſe *radicem, & matricem* non peculiarem Eccleſiam Romanam, ſed *unitatem Catholicam*.

Verum etiamſi id verum eſſet, quod tamen falſum eſſe, ego alibi (2. *p. cap.* 3. *n.* 1.) ex Cypriano ipſo demonſtravi: annon peculiarem Eccleſiam Romanam *omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram* vocarunt Synodi Lateranenſis, & Tridentina? Sed vides jam, Febronium nihil ad rem reſpondere.

V. Quinto: Romanus Pontifex eſt Caput univerſæ Eccleſiæ. Caput autem non modo ſingulis membris, ſed etiam toti corpori præeſt, illud regit, eoque ſuperius eſt. Quamobrem Patres Synodi Chalcedonenſis ſibi Leonem M. *veluti membris Caput præfuiſſe* dicunt (*epiſt. ad Leon.*). *Quibus*, ajunt, *ipſe velut membris Caput praeeras*: ideſt: quos regebas; reipſa enim Leo quid ipſis agendum eſſet, omnino præſcripſerat (*Vide* 2. *p. cap.* 24.). *Dantur* equidem *Corpora ſuo Capite ſuperiora*, ut ait Febronius (*ib. n.* 4.), *qualia ſunt pleraque Capitula, Collegia Judicum, Univerſitates &c.* Sed iſtiuſmodi Collegiorum Capita ſuam habent ab ipſis Collegiis auctoritatem. E contra vero R. Pontifex a Chriſto ipſo univerſæ Eccleſiæ Caput conſtitutus eſt, ſuamque non ab Eccleſia, ſed a Chriſto immediate habet auctoritatem.

De univerſis, ideſt de tota ſimul Eccleſia, inquit Febronius, *ſemper manebit verum, quod Sixtus III. in Epiſt. ad Epiſc. Illyr. ſcripſit*: = Ut omne corpus Capite regitur, ita ipſum Caput, niſi ſuo corpore ſuſtentetur, firmitatem, & vigorem perdit, & non tenet, quam habuerat, dignitatem =.

Sed præterquam quod iſta Sixti Epiſtola non reperitur apud diligentiſſimos Conciliorum Collectores, quorſum eam Febronius afferat, ego non intelligo. Nam etiam regnum a Rege veluti Corpus a Capite regitur: Sed niſi a ſuo corpore, ideſt a ſuis ſubditis ſuſtentetur, firmitatem profecto, & vigorem ſuum perdit, & non tenet, quam habuerat, dignitatem. Annon ergo Rex regno ſuperior eſt?

Cæterum, addit, *uti Metropolitanus & decretis, quæ Provinciale Concilium edit, & ipſi Provinciali Concilio ſubjicitur, etiamſi hujus Concilii Caput ſit, ita R. Pontifex univerſali Concilio*.

Sed fallitur egregie Febronius, ſi putat, æque univerſalis Concilii Caput eſſe Romanum Pontificem, atque Concilii Provincialis Caput eſt Metropolitanus. Hic enim Concilii Provincialis Caput eſt jure, ut ajunt, humano: ille vero jure divino. Metropolitanus non modo Concilio provinciali, ſed etiam alii Epiſcopo, ad

quem

quem Metropolitæ jura transferantur, ſubjici poteſt. At Romanus Pontifex cum non ab Eccleſia, ſed a Chriſto conſtitutus ſit ejuſdem Eccleſiæ, & Conciliorum Caput, ea dignitate, & auctoritate ab Eccleſia privari non poteſt.

VI. Sexto: Romanus Pontifex ſummus Cauſarum Fidei Judex eſt; & ſi ex Apoſtolico quidem Tribunali Fidei cauſas judicet, ejus Judicium errori obnoxium non eſt (2. *p. cap.* 13. *ſeqq.*), neque a Synodis retractari, aut reformari poteſt (*ib. cap.* 23. *ſeqq.*). E contra Synodi etiam œcumenicæ, ſi abſque R. Pontificis auctoritate judicent, errare poſſunt. Id palam faciunt Synodi Ariminenſis, Epheſina II., & Conſtantinopolitana ab Iconomachis celebrata anno 775. cui adfuerunt Epiſcopi 338. Ergo decernendarum Fidei Cauſarum auctoritate præſtat Romanus Pontifex œcumenicæ Synodo.

Reſpondebit forte Febronius, iſtiuſmodi Synodos non fuiſſe œcumenicas. Sed quæram ego ab eo, quam ob cauſam non fuerint œcumenicæ? Iis enim adfuerunt Epiſcopi multo plures, quam nonnullis aliis Synodis certo œcumenicis. Eæ ab Imperatoribus convocatæ fuerunt. Non equidem iis præfuere Legati Pontificis, ſed parvi id refert; vult enim ipſe, *in poteſtate Synodi eſſe, etiam præſentibus Pontificis Legatis alteri præſidium deferre*. Sed non conſenſit iis, nec earum decreta probavit Romanus Pontifex: ergo hanc ſolam ob cauſam non fuerunt legitimæ, & œcumenicæ.

Nihilominus hujuſmodi Synodos œcumenicas voco, ut adverſariis morem geram. Cum enim ipſi velint, R. Pontificem œcumenicæ Synodo obedire debere, & ab ea judicari poſſe, Synodum utique œcumenicam vocant etiam eam, in cujus decreta Pontifex non conſentit. Nunquam enim iſtiuſmodi Synodi decreta Romanus Pontifex probaturus eſt.

VII. Septimo: Synodorum quamlibet œcumenicarum decreta rata & firma non ſunt, nec vim habent, niſi Romani Pontificis auctoritate confirmata ſint (*cap.* 28. *n.* 2. *&* 3.): ergo major eſt Pontificis, quam Synodorum auctoritas.

VIII. Octavo: Romani Pontifices nunquam ſuorum decretorum confirmationem Synodos œcumenicas rogarunt; imo decreta ſua a Synodis executioni omnino mandari voluerunt (2. *p. cap.* 23. *n.* 5. *cap.* 24. *n.* 4. *&* 5. *cap.* 26. *&* 27.). E contra œcumenicæ Synodi decretorum ſuorum confirmationem a Romanis Pontificibus petere conſueverunt (*cap.* 28. *n.* 6. *ſeqq.*). Ergo Romani Pontifices ſemper ſenſerunt, majorem ſibi eſſe, quam Synodis etiam œcumenicis auctoritatem, atque in eâdem cum Pontifice ſententiâ fuerunt etiam œcumenicæ Synodi.

IX. Denique prætermittere nequeo Synodale Baſileenſium reſponſum

ſponſum ad Orationem Epiſcopi Tarentini Eugenii IV. Legati, qui Baſileam profectus eſt, ut eos ad Eccleſiæ unitatem revocaret (*apud Hard. tom.* 8. *Conc. col.* 1323.): *Late*, ajunt, *explicat* (Eugenii Legatus) *juriſdictionem, & poteſtatem Romani Pontificis, quod Caput ſit, & Primas Eccleſiæ, Vicarius Chriſti, & a Chriſto, non ab hominibus, vel Synodis, aliis Prælatus, & Paſtor Chriſtianorum, & ei datæ ſint a Domino claves, & uni dictum:* Tu es Petrus; *& ſolus in plenitudinem poteſtatis vocatus ſit, alii in partem ſollicitudinis; & multa hujuſmodi, quæ cum vulgatiſſima ſint, minime neceſſarium erat recenſere. Iſta plane fatemur, & credimus, operamque in hoc ſacro Concilio dare intendimus, ut omnes eamdem ſententiam credant.* Itaque invictiſſimis argumentis convicti Baſileenſes fatentur, R. Pontificem habere in Eccleſia Primatum juriſdictionis non a Synodis, ſed a Chriſto: eſſe Chriſtianorum Paſtorem: ei uni datas eſſe a Domino Claves: eum ſolum in plenitudinem poteſtatis vocatum eſſe; alios in partem ſollicitudinis. Utinam tantumdem cum Baſileenſibus, quos tanti facit, & quorum verba affert (*cap.* 3. §. 6. *n.* 4.), crederet Febronius. Quid enim præterea opus eſt, ut fateantur, R. Pontificem eſſe Synodo quavis Superiorem? Nempe opus eſt mente docili, & ſincera, & recta ratione: quæ omnia Baſileenſibus defuiſſe videntur. Audi enim, quæſo, quid Legati argumentis reſpondeant.

Etſi Pontifex, inquiunt (*apud Febronium ib.*), *ſit caput Miniſteriale Eccleſiæ, non tamen eſt major tota Eccleſia. Etſi Caput ſit, & principalis Prælatus hujus Corporis myſtici, eſt nihilominus intra corpus; nam ſi extra corpus eſſet, tunc non pertineret ad corpus, nec tunc Caput eſſet. Corpus igitur hoc totum continet, & ipſum, quod dicitur Caput, & ſingula membra .... dicimus, Summum Pontificem eſſe Caput Eccleſiæ, & Romanam Sedem principalem inter alias Sedes. Sed numquid, dum partem laudatis, obliti eſtis totius? Numquid dum unam Eccleſiam extollitis, eam, quæ univerſalis eſt, prætermittitis?*

Scilicet argumentis ex Scriptura, & ex Traditione ductis ſophiſmata opponunt Baſileenſes. Caput, inquiunt, eſt minus toto Corpore, ideſt Capite ſimul, & membris: ergo ſubjicitur toti corporis, ideſt ſibi ſimul & membris: quæ quidem ineptiſſima argumentatio eſt. Rurſus: Caput, inquiunt, eſt minus toto corpore: Ergo ſubjicitur Corpori, ideſt reliquis membris; eo enim argumento concludere volunt, Pontificem *obedire teneri mandatis, ſtatutis, ordinationibus Sanctæ Synodi Baſileenſis*. Synodus autem Baſileenſis erat corpus ſine Capite: Ergo ex eo quod Caput ſit minus toto corpore, ideſt Capite ſimul, & reliquis membris, concludunt, Caput ſubjici reliquis membris: quod alterum ſophiſma eſt. Denique eadem argumentatione conſicitur, quemlibet Regem ſubjici toti Re-

gno,

Digitized by Google

gno. Quamvis enim Rex ſit Caput Regni, eſt tamen minor toto Regno. Sed vereor ego, ne me quoque Sophiſten illi faciant.

Itaque cum ipſi Baſileenſes fateantur, R. Pontificem eſſe Caput Eccleſiæ, quærimus, Eccleſia ne Capiti, an Caput Eccleſiæ auctoritate præſtet? Is autem procul dubio alteri auctoritate præſtat, cui ſumma poteſtas a Chriſto data eſt. Summa autem poteſtas a Chriſto data eſt Capiti. Id ego hactenus demonſtravi non ſophiſmatibus, ſed Sacræ Scripturæ, & perpetuæ Traditionis auctoritate. Id etiam fatentur Baſileenſes; proteſtantur enim ſe credere, *ſoli Romano Pontifici datas eſſe Claves, eum ſolum habere plenitudinem poteſtatis:* Ergo non Eccleſia Capiti, ſeu Romano Pontifici, ſed Romanus Pontifex Eccleſiæ auctoritate præſtat.

CAPUT II.

Romanus Pontifex ne ab œcumenica quidem Synodo judicari poteſt.

I. CUM R. Pontifex univerſæ Eccleſiæ, ideoque etiam œcumenicæ Synodo præſit, ut Caput membris, ut Paſtor Gregi; paucis: cum tradita illi ſit a Chriſto plena poteſtas paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam (*ex ſupp.*), perſpicua res eſt, eum ab Eccleſia judicari non poſſe. Atque hæc quidem perpetua fuit ipſius Eccleſiæ ſententia uſque ad ſæculum XV. S. Gelaſius (*epiſt. ad Epiſc. Dardan.*) confidentiſſime ait: *Cuncta per mundum novit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententiis ligata Pontificum Sedes B. Petri Apoſtoli jus habet reſolvendi, ut pote quod de omni Eccleſia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio.* Ita ne vero ſcripſiſſet, ſi ea tunc obtinuiſſet in Eccleſia ſententia, Sedem B. Petri ab Eccleſia, vel ab œcumenica Synodo judicari poſſe?

II. Sed clariora hujus rei, de qua agimus, argumenta ſuppeditant Romanæ Synodi celebratæ annis 501., & 503. in cauſa Symmachi Romani Pontificis. Cum enim is a Schiſmaticis multorum criminum accuſatus fuiſſet, Theodoricus Rex, ut tumultus ſed. ret, & pacem Eccleſiæ, & Urbi reſtitueret, Synodum Romæ, Symmacho ipſo conſentiente, congregari juſſit. Patres autem ſub Synodi initium (*tom. 5. Concil. Labb. col. 457.*) *Suggeſſerunt, ipſum, qui dicebatur impetitus, debuiſſe Synodum convocare. Scientes*, inquiunt, *quia ejus Sedi primum Petri Apoſtoli meritum, vel Principatus, deinde ſecuta juſſionem Domini Conciliorum venerandorum auctoritas ei ſingularem in Ec-*

cleſiis tradidit poteſtatem: nec antedicta Sedis Antiſtitem minorum ſubjacuiſſe judicio, in propoſitione ſimili forma aliqua teſtaretur. Sed potentiſſimus Princeps ipſum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem ſuam literis demonſtraſſe, ſignificavit. Non hic ego *Minorum* nomine, quorum judicio non ſubjacuiſſe R. Antiſtitem, ajunt Romanæ Synodi Patres, demonſtrabo, non Clerum, Senatum, & populum, ſed Epiſcopos ſignificari. Ea enim de re abunde ſatis Launoji commenta refutavit Natalis Alexander (*in h. e. ſæc. 6. diſſ. 1.*). Non modo autem *de evocatione Synodali Clementiſſimo Regi gratias retulit* Symmachus, ſed etiam *auctoritatem ordinis corrigendi, ſicut poſcebant Eccleſiaſtica Statuta, in omnium, qui ibidem convenerant, Epiſcoporum præſentia, ſe dare profeſſus eſt.* Synodus vero Symmachum ab illatis criminibus immunem eſſe pronunciavit, *quantum ad homines reſpicit, & totam cauſam Dei judicio reſervavit. Huic ſtatuto noſtro*, inquiunt, *in quo totam cauſam Dei judicio commiſimus, ſubſcripſimus.*

III. Pro ea autem R. Synodo, & pro Simmacho Ennodius Ticinenſis librum apologeticum ſcripſit, *cui a Synodo V. Romana* anno 503. celebrata, *canonica auctoritas tributa eſt*, inquit Natalis Alexander (*ib.*). Ibi autem ſcribit Ennodius: *Aliorum forte hominum cauſas Deus voluerit per homines terminari: Sedis iſtius Præſulem ſuo ſine quæſtione reſervavit arbitrio .... Voluit, B. Petri Apoſtoli ſucceſſores cælo tantum debere innocentiam, & ſubtiliſſimi diſcuſſoris indagini inviolatam exhibere conſcientiam. Uni dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram &c. Et rurſus Sanctorum voce Pontificum dignitatem Sedis ejus factam toto Orbe venerabilem, dum illi quidquid Fidelium eſt, ubique ſubmittitur, dum totius corporis caput eſſe deſignatur.*

IV. De eadem Simmachi R. P. cauſa ſcribens S. Avitus Viennenſis Epiſcopus ſuo, & Gallicanorum omnium Epiſcoporum nomine ad Fauſtum, & Symmachum Senatores (*tom. 5. Concil. Labb. col. 499.*) *Intelligimus*, inquit, *Sanctum Symmachum Papam, ſi ſæculo primum fuerat accuſatus, Conſacerdotum ſuorum ſolatium potius, quam recipere debuiſſe judicium; quia .... non facile datur intelligi, qua vel ratione, vel lege ab inferioribus eminentior judicetur .... Quod Synodus ipſa venerabilis laudabili conſtitutione proſpiciens, cauſam, quam (quod ſalva ejus reverentia dictum ſit) pene temere ſuſceperat inquirendam, divino potius ſervavit examini ... Cæterum non eſt Gregis Paſtorem proprium terrere, ſed judicis.*

Alia Romana Synodus in cauſa Leonis III. an. 800. celebrata, cui Carolus Magnus interfuit cum pluribus Galliarum Proceribus, & Epiſcopis, teſte Anaſtaſio Bibliothecario (*in vita Leonis III.*), ait: *Nos Sedem Apoſtolorum, quæ eſt Caput omnium Dei Eccleſiarum, judicare non audemus. Nam & ab ipſa nos omnes, & ab ejus Vicario judicamur: Ipſa autem a nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit. Sed*

ſicut

ſicut ipſe Pontifex cenſuerit, canonice obediemus.

V Jamvero utriuſque Romanæ Synodi, & Eccleſiæ Gallicanæ ſententiam fuiſſe, R. Pontificem ne ab œcumenica quidem Synodo judicari poſſe, perſpicua res eſt. Ajunt enim, R. Pontificem cœlo tantum debere innocentiam: Deum voluiſſe aliorum hominum cauſas per homines terminari, ſed Ro. Præſulem ſuo ſine quæſtione arbitrio reſervaſſe: ejuſque rei has afferunt cauſas: quod major minorum judicio non ſubjacet, quod uni dictum eſt: *tu es Petrus &c.* quod eminentior ab inferioribus, Paſtor a Grege judicari non poteſt. Hæ autem cauſæ evincunt, ne ab œcumenica quidem Synodo Romanum Pontificem judicari poſſe. Saltem cum Romana Synodus Symmachi cauſam cognoſcere recuſaret, cumque S. Avitus, temere cauſam illam a Romana Synodo ſuſceptam eſſe, ſentiret, indicaſſent, nonniſi ab œcumenica Synodo Romani Pontificis cauſam judicari poſſe. Id vero ne innuerunt quidem, ſed generatim hujuſmodi cauſas ab hominibus judicari non poſſe, affirmarunt. Atque hæc quidem erat Gallicanæ Eccleſiæ ſententia, ineunte ſæculo VI. & ſæculo IX.

VI. Præterea S. Ivo Càrnutenſis (*ep.* 235.): *Admonendus*, inquit, *mihi videtur Papa* (Paſchalis I. qui in Laicorum *inveſtituras* conſenſerat), *ut ſe judicet, aut factum ſuum retractet. Quod ſi fecerit, referamus Deo gratias, & gaudeat nobiſcum Eccleſia, quæ graviter languet, dum Caput ejus laborat tanta debilitatum moleſtia. Si autem in hoc languore inſanabiliter ægrotaverit, non eſt noſtrum judicare de Summo Pontifice... ubi ſuccumbunt humana judicia, divina eſt expetenda miſericordia.* Et a Johanne Lugdunenſi invitatus, ut una cum aliis Epiſcopis, quæ Paſchalis geſſerat, diſcuteret, reſpondit (*cap.* 283.): *Non videtur nobis utile conſilium ad ea Concilia convenire, in quibus non poſſumus eas perſonas, contra quas agitur, condemnare, vel judicare. Quia nec veſtro, nec ullius hominum probantur ſubjacere judicio. Nullius hominum*, inquit S. Ivo, ideoque neque Synodi œcumenicæ judicio ſubjacet Romanus Pontifex.

VII. Etiam Hadrianus II. in Synodo Romana contra Photium, qui Nicolao I. R. P. anathema dicere auſus fuerat, celebrata, ait (*cap.* 3.): *Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe, legimus, de eo vero quemquam judicaſſe, non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum; ſciendum tamen eſt quia fuerat ſuper hæreſi accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtere, vel pravos ſenſus reſpuere. Quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antiſtitum cuipiam quamlibet de eo fas fuerit proferendi ſententiam, niſi ejuſdem primæ Sedis præceſſiſſet auctoritas.* Igitur ob ſolam hæreſeos cauſam Romanus Pontifex judicari poteſt;

 quia

Digitized by Google

quia is in hæreſim lapſus, non eſt in Eccleſia, ideoque Romanus Pontifex, & Eccleſiæ Caput præterea non eſt. Nec tamen a minoribus, ideſt ab œcumenica Synodo judicari poteſt, niſi præcedat Romani Pontificis auctoritas. Igitur ne ab œcumenica quidem Synodo propria auctoritate judicari poteſt. Porro Synodi hujus Romanæ acta in Synodo VIII. lecta, atque ejuſdem Synodi Actis addita ſunt (*Act. 7. Synodi VIII. œcum. tom. 10. Concil. Labb. col. 847.*); ideoque VIII. Synodi auctoritate probata ſunt.

VIII. Huc denique ſpectat ejuſdem VIII. Synodi Canon XXI. qui eſt hujuſmodi (*tom. 10. Concil. Labb. col. 646.*): *Definimus, neminem ... conſcriptiones contra Sanctiſſimum Papam Senioris Romæ, ac verba complicare liceat, ſub occaſione quaſi diffamatorum quorumdam criminum: quod & nuper Photius fecit, & multo ante Dioſcorus. Quiſquis autem tale facinus contra Sedem Petri Principis Apoſtolorum auſus fuerit intentare, æqualem, & eamdem, quam illi, condemnationem accipiat.* (Hanc œcumenicæ Synodi ſententiam verentur recentiores quidam Scriptores). *Porro ſi Synodus univerſalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de S. Romanorum Eccleſia quævis ambiguitas, & controverſia, oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia de propoſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, aut proficere, & profectum facere, non tamen audacter ſententiam dicere contra Summos Senioris Romæ Pontifices.* Ergo ne univerſalis quidem Synodus contra R. Pontificem ſententiam dicere poteſt.

Atqui, quod ego miror, Natalis Alexander (*in h. e. ſæc. 15. & 16. diſſ. 4. art. 1. n. 26.*): *Hoc Canone*, inquit, *œcumenica Synodus, Concilii generalis auctoritatem eſſe Pontificia ſuperiorem, oſtendit: Si quidem controverſias, & quæſtiones Romanam Eccleſiam, & Summum Pontificem ei præſidentem ſpectantes, a Concilio judicari, ſtatuit, ſervata tamen erga ipſum reverentia, ita ut audacter contra ipſum ſententia non dicatur; cum ſcilicet Eccleſiam audire paratus fuerit.*

Verum inepte prorſus, quod tanti Viri pace dictum velim, argumentatur Natalis Alexander. Memorato enim Canone ſtatuit quidem Synodus, *oportere de propoſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, & profectum facere*, ſed oportere etiam *ſententiam dicere*, nullibi ſtatuit; niſi forte Natali Alexandro *ſciſcitari, ſolutionem accipere, & proficere* idem ſonant, atque *ſententiam dicere*. Quid vero, quod eo canone vetatur Synodus univerſalis *ſententiam dicere?* Oportet, inquit Synodus, ſciſcitari ..... *non tamen ſententiam dicere*.

Sed Synodus, inquit ille, ſtatuit, non oportere *audacter* ſententiam dicere: *Audacia itaque, non juſtitia Patribus in Concilio generali congregatis prohibetur.*

Ego

Ego vero ajo, vetari eo canone Synodum generalem, non modo conjunctim cum audacia, ſed etiam ſimpliciter ſententiam dicere. Quid enim Synodo liceat, explicatur in prima canonis parte; quid non liceat, declaratur in altera: In prima autem parte permittitur Synodo ſciſcitari, & ſolutionem accipere: in altera vetatur Synodus ſententiam dicere. Ergo ſciſcitari quidem Synodo licet; ſed præterea ſententiam dicere non licet. Addit autem Synodus vocabulum *audacter*; quia cum Synodo liceat tantummodo ſciſcitari, & ſolutionem accipere, & proficere; ſi ſententiam præterea dicat, *audacter* dicit.

Rurſus: exorta de R. Eccleſia controverſia, *oportet*, hoc eſt *debet* Synodus *ſolutionem accipere*: qui autem debet controverſiæ *ſolutionem accipere*, is non poteſt ſententiam dicere. Quod ſi ſententiam dicat, *audacter* dicit.

Denique oportet, Synodum *ſciſcitari, & ſolutionem accipere*: a quonam, quæſo? Non equidem a Synodo; oportet enim, Synodum ipſam ſciſcitari, & ſolutionem accipere. Ergo oportet ſolutionem accipere ab ipſa Romana Eccleſia, ſeu a Romano Pontifice. Atque is demum eſt germanus illius Canonis ſenſus. Nam Nicolaus I. paulo ante Synodum VIII. ſcripſerat (*epiſt.* 8. *ad Michaelem Imp.*): *Primam Sedem de omnibus judicaſſe, nec quemquam de ejus judicio judicare potuiſſe*; quod longe antea ſcripſerat S. Gelaſius (*epiſt.* 17. *ad Epiſc. Dardan.*). Ipſius Hadriani II. Legati in eadem Synodo affirmarunt, Romanum Pontificem nullius judicio ſubjici, niſi propter hæreſim. Quare Canonem, de quo agimus, in eum ſenſum, quem Natalis Alexander intendit, probaturos fuiſſe, ſtultus eſt, qui ſibi perſuadet.

Jamvero quæ a me hactenus allata ſunt monumenta, ea ſatis evincunt, Eccleſiam univerſam, ipſaſque œcumenicas Synodos perſuaſum ſemper habuiſſe, Romanum Pontificem neque ab Eccleſia, neque ab ulla Synodo quamlibet œcumenica judicari poſſe. Interea conferas velim celebrem Gallicani Cleri declarationem cum Epiſtolis Sanctorum Aviti, & Ivonis, & cum ſententia Romanæ Synodi celebratæ in Cauſa Leonis III. ut hinc perſpicue intelligas, Gallicanum Clerum ſæculo XVII. a veteris Eccleſiæ Gallicanæ ſententia diſceſſiſſe.

CAPUT

CAPUT III.

A Romani Pontificis judicio nunquam appellare licet.

I. Quamquam Argumenta, quibus hactenus a me oſtenſum eſt, Romanum Pontificem obtinere in univerſam Eccleſiam Primatum jurisdictionis; ejus judicium in Fidei, & morum cauſis finiendis ſummum eſſe, nec retractari poſſe; eumque univerſæ Eccleſiæ tum diſperſæ, tum in Synodo congregatæ auctoritate præcellere, conficiunt etiam, præter Romani Pontificis Tribunal nullum eſſe, quod appellari poſſit, hac tamen de re ſeorſim differere operæ pretium eſt: hujuſmodi enim appellationes legitimas eſſe, contendit Febronius (*cap. 6. §. 10.*)

Itaque Synodus Sardicenſis agens de appellationibus, ſtatuit Judicium Apoſtolicæ Sedis veluti ſupremum, a quo nemini appellare liceat (2. *p. cap.* 10.). Quare S. Gelaſius (*ep. ad Epiſc. Dardan.*) *Sedes B. Petri*, inquit, *de omni Eccleſia fas habet judicandi, neque cuiquam de ejus licet judicare judicio: ſiquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus.* Et alibi (*ep. 4. ad Fauſtum*): *Ipſi ſunt Canones, qui appellationes TOTIUS Eccleſiæ ad hujus Sedis examen volvere deferri, ab ipſa vero NUNQUAM PRORSUS appellari, ſanxerunt; ac per hoc illam de tota Eccleſia judicare, ipſam ad nullius commeare judicium, nec de ejus umquam præceperunt judicio judicare; ſententiamque illius conſtituerunt, non oportere diſſolvi, cujus potius ſequenda decreta mandarunt.* Et nequis ſupremam iſtam Apoſtolicæ Sedis auctoritatem Sardicenſibus Canonibus, ideſt humanæ inſtitutioni referret acceptam, addidit: *Non veremur, ne Apoſtolica ſententia* (in Acacium C. P. lata) *reſolvatur, quam & vox Chriſti, & majorum traditio, & Canonum fulcit auctoritas, ut totam potius Eccleſiam ſemper ipſa dijudicet.* Hæc autem Gelaſii verba clariora ſunt, quam ut ullam exceptionem, & interpretationem patiantur. Cujuſcumque enim generis cauſas ab Apoſtolica Sede judicatas complectitur Gelaſius, ſive ad fidem & mores illæ ſpectent, ſive ad diſciplinam, atque Acacianis demonſtrat ex Chriſti voce, ex Majorum traditione, & ex Canonum auctoritate, nemini unquam ab Apoſtolicæ Sedis judicio appellare licuiſſe. Ante Gelaſium Bonifacius I. (*ep. ad Rufum Theſſalonic.*) ſcripſerat: *Talia ſcripta direximus, quibus univerſi Fratres intelligant, primo convenire te citra tuam conſcientiam minime debuiſſe, deinde de noſtro non eſſe judicio retractandum.*

dum. Nunquam etenim licuit de eo rurſus, quod ſemel ſtatutum eſt ab Apoſtolica Sede, tractari.

His autem Bonifacii, & Gelaſii teſtimoniis, non vero falſis decretalibus innixus S. Nicolaus I. (*ep. 8. ad Michaelem Imp.*): *Quoniam*, inquit, *cum ſecundum Canones, ubi eſt major auctoritas, judicium inferiorum ſit deferendum, ad diſſolvendum ſcilicet, vel ad roborandum, patet profecto, Sedis Apoſtolicæ, cujus auctoritate major non eſt, judicium a nemine fore retractandum .... Juxta quod & Bonifacius, & Gelaſius Sanctiſſimi Præſules non ſuis adinventionibus, ſed Eccleſiæ Romanæ conſuetudines non ignorantes, dicunt &c.*

II. S. Bernardus (*ep. 238.*) ait: *Qui locum Petri tenet, poteſt uno ictu extinguere Ananiam, uno Simonem Magum. Et ut plenius, quod loquimur, fiat, peremptoriam dare ſententiam ad depoſitionem Epiſcoporum, ſolius R. Pontificis noſcitur eſſe, pro eo nimirum, quod etſi alii multi vocati ſint in partem ſollicitudinis, ſolus ipſe plenitudinem habeat poteſtatis.* Jam vero Bonifacius, Gelaſius, Nicolaus confidenter affirmant, Apoſtolicæ Sedis judicium a nemine, ne ab Eccleſia quidem, ac propterea neque ab œcumenica Synodo retractari poſſe; quia, ut ait Gelaſius, Apoſtolica Sedes *fas habet de tota Eccleſia judicandi, ab ea autem nemo eſt appellare permiſſus*: quia, ut inquit Nicolaus, Apoſtolicæ Sedis auctoritate nulla major eſt: quia demum, ut inquit S. Bernardus, Romani Pontificis ſententia *peremptoria* eſt. Ergo ab Apoſtolicæ Sedis judicio ne œcumenicam quidem Synodum appellare licet.

III. Præterea, ut aliqua etiam argumenta proferam, qui a judice damnatus judicem alium appellat, judicem, qui ſit, appellare debet: At Synodus œcumenica nullibi eſt, nec forte erit, niſi poſt multos annos: Interea igitur qui vel hæreſeos, vel ſchiſmatis crimine damnatus eſt, errores ſuos diſſeminare, & Supremi Eccleſiæ Paſtoris præcepta, & Leges contemnere impune perget. Ita ne vero Eccleſiam ſuam Chriſtus inſtituit? Quamobrem jure Pius II. Conſtitutione *Execrabilis*. data in Conventu Mantuano anno 1459. hujuſmodi appellationes veluti *rebellioni adverſus primam Sedem, & corruptelæ fovendæ* aptas damnavit, atque appellantes hæreticorum pœnis puniri juſſit. Pii conſtitutionem confirmarunt Julius II. & Gregorius XIII. qui eam etiam *Bullæ Cœnæ* inſeruit.

IV. Sed Febronius (*cap. 6. §. 11. n. 2.*) ait, extare œcumenicam Synodum in *Voto Eccleſiæ, & in jure, vigore decretorum Concilii Conſtantienſis, & Baſileenſis*, quæ Synodum ſingulis decenniis congregari juſſerunt.

Sed reipſa non extat, ajo ego, & ſingulis decenniis œcumenicam Synodum congregari, difficillimum eſt, & ab Eccleſiæ conſuetudine

tudine alienum; quidquid Concilium Conſtantienſe, & Conciliabulum Baſileenſe ſtatuerint. Nonniſi enim ob graviſſimas cauſas œcumenicæ Synodi celebratæ ſunt; quarum una erat tempore Concilii Conſtantienſis maximum Schiſma, cujus ſimile aliud ne poſt paucos annos oriretur, metuendum erat: Quamobrem ut Synodus ſingulis decenniis celebraretur, decrevit. Sed hujuſmodi cauſæ præterea nullæ fuerunt uſque ad Lutheranorum Schiſma, cujus cauſa Synodus Tridentina celebrata eſt. Cæterum quod ait Febronius (*ib. n.* 1. 2. *&* 3.), Romanos Pontifices Tridentinæ Synodi celebrationi obſtitiſſe, & Synodos œcumenicas *machinatione ejus, a cujus judicio provocatur, non exiſtere;* impudentiſſimi hominis impoſtura eſt indignatione potius contemnenda, quam ſerio refutanda.

V. Nunc hujuſmodi appellationum origo eſt inveſtiganda. *Quoad ſubſtantiam*, ait Febronius (*ib.* §. 10.), *hæ appellationes, ſeu recurſus antiquiſſimi ſunt*. Affert in hanc rem ex Ludovico Haricourt exempla Aſianorum, Cypriani, Donatiſtarum, Neſtorii, &c. quaſi omnes hi a Pontificis judicio Generale Concilium appellaverint. Sed non minus inſcite ratiocinari Hericurtium, quam Febronium, perſpicuum eſt ex iis, quæ ſuperius differui de Aſianis 2. p. cap. 7. n. 2. & Cap. 8. n. 4. de Cypriano cap. 3. de Donatiſtis cap. 16. n. 4. de Neſtorio cap. 15. n. 2. & cap. 23 n. 4. ſeqq. Itaque quod attinet ad judicia ab Apoſtolica Sede in Fidei cauſis lata, e pluribus Hæreticis, qui prioribus Eccleſiæ ſæculis a Romano Pontifice damnati ſunt, primi ab ejus judicio Synodum appellarunt Pelagiani, & legitime quidem, ſi Febronii doctrina vera eſt. At vero S. Auguſtinus (*lib.* 4. *ad Bonif. cap. ult.*), S. Proſper (*contra Collat. cap.* 41.), & univerſa demum Eccleſia eorum impudentiam improbavit. *Aut vero congregatione Synodi opus erat*, inquit Auguſtinus, *ut aperta pernicies damnaretur?... Verum iſtorum ſuperbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur..... Cum potius vigilantia, & diligentia Paſtorali poſt factum illis competens, ſufficienſque judicium, ubicumque iſti Lupi apparuerint, conterendi ſint*. Et S. Proſper ait: *Venerabilis memoriæ Pontifex Cæleſtinus, cui ad Catholicæ Eccleſiæ præſidium multa Dominus gratiæ ſuæ dona largitus eſt, ſciens, damnatis non examen judicii, ſed ſolum pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum, Cæleſtium, quaſi non diſcuſſo negotio audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus juſſit extrudi: adeo & Prædeceſſorum ſuorum Statuta, & decreta Synodalia inviolabiliter ſervanda cenſebat: ut quod ſemel meruerat abſcindi, nequaquam admitteret retractari*. Pelagianorum igitur appellatio illegitima fuit, eam ſolum ob cauſam, quod Romani Pontificis judicium *competens, ſufficienſque* ſit, ut ait S. Auguſtinus: quod damnatis a Romano Pontifice *non*

examen

examen judicii, ſed pœnitentiæ remedium præſtandum ſit: Nunquam igitur a Romani Pontificis judicio appellari poſſe, ſenſerunt Auguſtinus, Proſper, Cœleſtinus, & cum his Eccleſia univerſa. Sed Auguſtinus, inquit Febronius, (*ib.* §. 10.), ſenſit, appellationes a Pontifice ad Concilium eſſe legitimas. In cauſa enim Donatiſtarum ait: *Reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium &c.* Et in quæſtione de Baptiſmo Hæreticorum: *Neque Nos*, inquit, *tale aliquid auderemus aſſerere &c.* Verum quorſum utraque Auguſtini ſententia ſpectet, ego alibi oſtendi. Vide 2. p. cap. 3. n. 8. & 9. & cap. 16. n. 4. & 5.

Præter Pelagianos, Synodum forte appellavit Neſtorius; Sed ea quoque de re ſuperius diſſerui (2. *p. cap.* 23.). Poſt hos nemo in cauſa fidei a Romano Pontifice Synodum œcumenicam appellavit uſque ad Lutherum, cujus appellationem univerſa Catholica Eccleſia execrata eſt. Denique a Luthero uſque ad ætatem noſtram non alii Synodum œcumenicam præter Janſeniſtas appellarunt; ſed horum appellationes Eccleſia quoque Gallicana hactenus improbavit.

VI. Paulo frequentiores fuerunt hujuſmodi appellationes in cauſis diſciplinæ, pro quibus præſertim pugnat Febronius. Sed illæ ſæculo XIII. antiquiores non ſunt. Donatiſtæ enim in cauſa Cæciliani a Melchiade damnati aut non omnino appellarunt, uti opinatur Sirmundus (*in Notis ad Concil. Arelat.*), vel ſingulari exemplo non œcumenicam Synodum, ſed Imperatorem appellarunt. Primus eo audaciæ progreſſus eſſe fertur Fridericus II. Imperator. Excommunicatus enim a Gregorio IX. anno 1239. Concilium generale appellavit. Innocentius IV. congregato Lugdunenſi Concilio anno 1245. iterum Fridericum excommunicavit, & Imperatoris dignitate privavit. Quamobrem Thaddæus Friderici Procurator *appellavit pro eo ad Concilium proxime futurum generalius*. Hanc Friderici appellationem eſſe primam, vult etiam Petrus de Marca (*de Conc. lib.* 4. *cap.* 17.), & *novam* vocat, *quia nunquam in Eccleſia admiſſa fuit provocatio ab Eccleſia ad Concilium*.

VII. Generale etiam Concilium appellavit Eccleſia Anglicana annis 1246. 1264. & 1267. propterea quod Romanæ Curiæ mandato pecuniæ in Anglia exigerentur. Sed Angli novam potius, & accuratiorem ejus cauſæ cognitionem, quam œcumenicæ Synodi judicium poſtulaſſe videntur. Perſuaſum enim habebant, Synodum eſſe a Romano Pontifice convocandam, eumque illi præeſſe debere.

VIII. Anno 1251. Conradus IV. Imperator Innocentii IV. excommunicationem veritus, miſit Legatos ad Cardinales, qui *primo ad Deum vivum .... & deinde ad futurum ſummum Pontificem, ad generalem Synodum, ad Principes Alemaniæ, & generaliter ad univerſos*

Digitized by Google

Reges, & Principes Orbis Terræ, ac cæteros Chriſtianos, pro parte noſtra valeant appellare. (*Balut. tom.* 1. *Miſcellan.*). Sed hæc non fuit vera appellatio, ut patet.

IX. Anno 1303. Philippus Pulcher Galliarum Rex appellavit a Bonifacio VIII. futurum Concilium. Sed Bonifacium ut verum ac legitimum Pontificem non agnoſcebant, aut ſe non ignoſcere ſimulabanr Galli, uti perſpicuum eſt ex pluribus appellationum libellis apud Natalem Alexandrum (*in h. e. ſæc.* 13. *&* 14. *diſſ.* 9. *art.* 4.), & alios. Præterea appellabant Galli *ad prædictum generale Concilium, & ad verum, & legitimum Summum Pontificem*. Quare ne hæc quidem inter veras appellationes numerari poſſe videtur.

X. Anno 1324. Ludovicus Bavarus a Johanne XXII. anathemate perculſus, *ad Concilium Generale* appellavit, *& ad verum, & legitimum futurum Summum Pontificem, & ad Sanctam Matrem Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedem, & ad alium, vel alios, ad quem, vel ad quos fuerit appellandum.* (*Bzovius, & Heruartus tom.* 1.). Sed Ludovicum Schiſmaticum, & hæreticorum Patronum fuiſſe, neminem latet. Eo enim dementiæ, & impieratis progreſſus eſt, ut Petrum de Corbaria Pſeudo-Pontificem creaverit, & Johanni XXII. oppoſuerit. Qua de re præter ejus ætatis Hiſtoricos, legendus eſt Alvarus Pelagius (*lib.* 1. *de Planctu Eccl. cap.* 68.). Quamquam Ludovici appellatio, non ſecus atque quæ ſuperius memoratæ ſunt, vera non fuit appellatio. Hi enim omnes non futurum Concilium appellarunt, quod Concilium a Papa ſejunctum ſupra Papam eſſe, atque Papæ judicia ab hujuſmodi Concilio retractari poſſe, arbitrarentur, ſed Concilium appellarunt, cui Papa præeſſet: quare a Papa ad Papam appellaſſe, aut potius novam a Papa, & accuratiorem Cauſarum cognitionem poſtulaſſe videntur.

XI. Itaque primus a Romani Pontificis judicio appellari poſſe, docuit Petrus Alliacenſis in Tractatu, quem anno 1387. nomine Pariſienſis Facultatis obtulit Clementi VII. Antipapæ. Quamobrem tempore Schiſmatis ea doctrina orta eſt, quo etiam opinio obtinere cœpit, Concilium eſſe ſupra Papam. Negat id Boſſuetus (*def. declar. Cler. Gallic. p.* 2. *lib.* 15. *cap.* 24.): *Ecce enim*, inquit, *triginta annis ante Concilium Conſtantienſe, cum necdum quidquam moveretur ad ambos contendentes* (Clementem VII. & Urbanum VI.) *in ordinem Conciliari auctoritate cogendos, noſtri in cauſis Fidei a Papa appellari poſſe ad Concilium*, docent. Sed fallitur Boſſuetus. Teſtatur enim S. Antoninus (*p.* 3. *tit.* 22. *cap.* 2. §. 14.), Clementem VII. Legatos miſiſſe ad Florentinos, ut hi Concilii convocationi operam darent, quo declararetur, quis eſſet verus, & legitimus Papa. Ergo etiam Clementis ætate id agebatur, ut ambo contendentes Conciliari au-

ctori-

ctoritate in ordinem cogerentur. Velit igitur nolit; Schiſmatis tempore, & ex Schiſmate ipſo ea opinio, de qua hic agimus, originem habuit; quam poſtea male feriati homines etiam compoſito Schiſmate obtinere, voluerunt. Alliacenſis quidem, & Pariſienſes Theologi hujuſmodi appellationem Schiſmatis tempore dumtaxat obtinere, ſenſiſſe videntur. Nam in eodem Tractatu Alliacenſis: *Proteſtamur*, inquit, *quod quidquid hactenus in hac cauſa actum eſt, & quidquid in ea nunc, vel alias acturi, aut dicturi ſumus, correctioni, & judicio Sedis Apoſtolicæ, & Sedentis in ea Summi Pontificis humiliter ſubmittimus, dicentes cum B. Hieronymo: Hæc eſt Fides, Pater Beatiſſime, quam in Eccleſia didicimus &c.*

XII. Primum autem veræ appellationis exemplum dederunt Oratores Poloni in Concilio Conſtantienſi. Cum enim librum Johannis Flanchembergi jam a Cardinalibus, & Nationibus damnatum Martinus V. non damnaſſet, Futurum Concilium appellarunt: Quare *rem novam auſos fuiſſe Poloniæ Regis Legatos*, ſcribit Martinus Chromerus (*lib.* 18. *de Geſt. Polon.*). Sed Martinus V. excommunicationis pœna propoſita, ſilentium iis indixit: Imo Conſtitutionem Conſtantiæ in publico Conſiſtorio edidit, in qua ſtatuit: *Nulli fas eſſe, a Supremo Judice, videlicet Apoſtolica Sede, ſeu Romano Pontifice Jeſu Chriſti Vicario in Terris appellare, aut illius Judicium in cauſis fidei, quæ tamquam majores ad ipſum, & Sedem Apoſtolicam deferendæ ſunt, declinare.* Hanc autem Conſtitutionem commentitiam non eſſe, ut vult Boſſuetus (*ib.* 2. *p. lib.* 25. *cap.* 27.), teſtis eſt Gerſonius ipſe, qui eam impugnare auſus eſt tractatu inſcripto: *Quomodo, & an liceat a Summo Pontifice appellare.* Ait quidem ſe eam non legiſſe, ſed aliorum tamen teſtimonio editam eſſe, certior factus eſt.

XIII. Nihilominus quia ea ætate opinio invaluit, Concilium eſſe ſupra Papam, frequentiores etiam deinceps fuerunt a Papa ad Generale Concilium appellationes. Cum vero memorata opinio, ne quid præterea dicam, falſa ſit, quemadmodum hactenus ego validiſſimis argumentis oſtendi, illegitimæ quoque ſunt hujuſmodi appellationes.

XIV. Quid vero, ſi Apoſtolica Sedes Epiſcopis, Principibus, ac Regnis graviſſimum jugum imponat? Nempe excipiendum eſſe arbitror S. Ivonis Carnutenſis conſilium, quod legitur ep. 183. al. 159. *Quoniam judicia Eccleſiæ Romanæ a nemine foris retractari poſſe, eadem Eccleſia Romana docente, didicimus, ſi qui aliquando ſe prægravatos illius Eccleſiæ auctoritate, conqueruntur, hoc eis conſilium damus, ut non deſcendant in Ægyptum propter auxilium, ſed ab illa ad ipſam confugiant, & inde expectent levamen, unde ſe conqueruntur accepiſſe*

cepiſſe gravamen, quia quæ aliquando corrigit paterna ſeveritate, eadem frequenter colligit materna pietate. Idem conſilium dat etiam S. Bernardus (*ep.* 213. *ad Innocentium II.*). *Quis*, inquit, *faciet mihi juſtitiam de vobis?... Extat quidem Tribunal Chriſti, ſed abſit, ut ad illud appellem vos... Itaque recurro ad eum, cui datum eſt judicare de univerſis, hoc eſt ad vos: vos appello ad vos: judicate me, & vos.* Ut enim ajunt Innocentius I. & Nicolaus I. a Gratiano memorati (C. *ſententiam*. 35. q. 9. & C. *cum ex literis*. de in integrum reſtit.) *Sententia Romanæ Sedis poteſt in melius commutari, cum ſubreptum aliquid fuerit, aut ipſa pro conſideratione ætatum vel temporum, ſeu gravium neceſſitatum diſpenſatione quadam ordinare diſponit.* Quod ſi Romanus Pontifex querelas ad eum delatas, poſt accuratum examen inanes eſſe judicaverit, ſervandum tunc eſt Caroli Magni, ſeu potius Tiburienſis Synodi monitum, quod alibi deſcripſi (2. *p. cap.* 8. *n.* 4.): nempe *ſervanda eſt cum manſuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur jugum, conferamus, & pia devotione toleremus.*

CAPUT IV.

Expendit Decreta a Synodo Conſtantienſi edita in Seſſionibus IV. & V.

I. SYnodus Conſtantienſis Seſſ. IV. hujuſmodi decretum edidit: *Hæc Sancta Synodus Conſtantienſis Generale Concilium faciens pro extirpatione præſentis Schiſmatis, ac unione, & reformatione Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris fienda..... in Spiritu Sancto legitime congregata.... ordinat, diſponit, ſtatuit, decernit, declarat, ut ſequitur. Et primo quod ipſa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitime, generale Concilium faciens, & Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem a Chriſto immediate habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ in Capite, & in membris.*

Rurſus Seſſ. V. ſtatuit: *Quod quicumque cujuſcumque conditionis, ſtatus, dignitatis, etiamſi Papalis, qui mandatis, aut præceptis hujus Sacræ Synodi, & cujuſcumque alterius Concilii generalis legitime congregati, ſuper præmiſſis, ſeu ad ea ſpectantibus, factis, vel fiendis, obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo.*

II. Jam-

II. Jamvero Synodus Conſtantienſis congregata eſt anno 1414. ad dirum Schiſma componendum, quo ſcindebatur Eccleſia ab annis 40. Tres Romanos Pontifices tunc temporis habere Eccleſia videbatur, Johannem XXIII. Gregorium XII. & Benedictum XIII. quorum ſingulis Epiſcopi plures, Virique Principes, & Nobiles cum magna Chriſtianæ Plebis parte, veluti legitimis Petri Succeſſoribus, parebant. Quamobrem quinam e tribus illis legitimus eſſet Romanus Pontifex, dignoſci certo non poterat. Quamvis enim Johannes Alexandro V. in Piſana Synodo creato, & jam vita functo ſuffectus eſſet, cum tamen Piſanam ipſam Synodum veluti legitimam non agnoſcerent plurimi, imo eam rejicerent, qui a Gregorio, & Benedicto ſtabant, legitime quoque nec ne electus eſſet Johannes, incerta ſaltem res erat. Petrus ipſe Alliacenſis, & Gerſonius, qui Johanni ſtudebant, id faſſi ſunt (*app. Concil. Labb. tom. 16. col. 38.*) Imo in antiquo Codice Cardinalis de Capranica, de Johannis electione hæc leguntur verba: *Quam fuiſſe vitioſam, fama eſt*. Quare nimiâ confidentia ſcribit Febronius (*cap. 6.* §. *16. n. 6.*), Johannem a Concilio Conſtantienſi habitum eſſe *pro legitimo haud dubie*. Gregorius quidem, qui Urbano VI. ſuffectus erat, multo probabilius legitimus Pontifex eſſe videbatur. Vide Raynaldum ad an. 1376. Quod ſi legimus in Actis Synodi Conſtantienſis (*ſeſſ. 12.*), Johannem *ſententiæ ſuæ depoſitionis conſenſiſſe, & ex abundanti renunciaſſe*; legimus etiam in Narbonenſibus Concordatis, Gregorium *ſua ſponte ceſſiſſe* (*ſeſſ. 22.*).

III. Itaque ad pacem Eccleſiæ reſtituendam, & Schiſma componendum congregata eſt Conſtantiæ Synodus. Sed ea a Johanne convocata fuit, nec ei interfuere uſque ad Seſſionem 14. niſi qui Johanni parebant. Quamobrem Synodum illegitimam eſſe, cauſati ſunt Gregorius, & Benedictus: nec immerito, uti ex iis, quæ paulo ante dixi, compertum eſt. Quod enim ait Natalis Alexander (*ſæc. 15. & 16. diſſ. 4. art. 1. n. 80.*), œcumenicam fuiſſe Epheſinam Synodum Actione 1. quamvis abeſſet Johannes Antiochenus cum ſui Patriarchatus Epiſcopis, non eſt ad rem. Epheſina enim Synodus legitime convocata fuerat, eique præerat Actione 1. S. Cyrillus Alexandrinus S. Cœleſtini Romani Pontificis certo legitimi Legatus. Sed ut ad Conſtantienſem Synodum regrediar, Synodus præterea (*Seſſ. 14.*) Gregorii *Bullam*, qua Synodum œcumenicam eſſe, negabat, & Johannem ei præeſſe, vetabat, libenter excepit, annuitque, ut nova a Gregorii Legatis ederetur Synodi convocatio. Rurſus: Hiſpani, cum Sigiſmundi Imperaroris operâ Benedictum XIII. deſeruiſſent, ad Synodum convenerunt, novamque Synodi convocationem indixerunt, ajunt enim Seſſ. 22. *Convocamus*

vos

vos omnes Prælatos, & ceteros Dominos de hac Congregatione. Patres vero congregati reſponderunt: *Nos miſeratione divina Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales, Patriarchæ &c. dictam convocationem acceptamus &c.* Id vero argumento eſt, ne ipſam quidem Synodum, ſe œcumenicam eſſe, perſuaſum omnino habuiſſe. Quod enim obtrudit Natalis Alexander (*ib. n.* 82.), œconomiæ cauſa id a Synodo factum eſſe, ejus commentum eſt, cujus ne leve quidem Acta Synodi argumentum præbent.

IV. Sed, ait Febronius (*cap. 6.* §. 15. *n.* 3.) cum Natali Alexandro (*ib. n.* 1. & 81.), cujus etiam argumenta identidem refellam, quia Febronius (*ib.* §. 1.) ait, *plura de hac materia ab eo ſolide tractata fuiſſe*: Martinus V. 8. Kal. Martii anno 1418. *edidit Bullam adverſus Sectatores Wiclefi, & Huſſi, in qua mandat, ut qui de his Hæreſibus ſuſpectus eſt, interrogetur, & juret = ſe credere, quod quodlibet Concilium generale, & quod Sacrum Concilium Conſtantienſe, univerſalem Eccleſiam repræſentans, approbavit, & approbat =; tamquam*, inquit Febronius, *emanata a Corpore univerſalem Eccleſiam repræſentante*.

Sed huic ego argumento reſpondeo, tunc demum certo œcumenicam fuiſſe Conſtantienſem Synodum, cum Martinus V. poſt Seſſionem 41. electus, ei præfuit, eamque probavit. Cum autem Martinus V. ratam habuerit, & confirmaverit ſententiam in Hæreticos a Synodo nondum œcumenica latam, jure ſtatuit, ut deſcriptæ interrogationes ad Eccleſiam redeuntibus Hæreticis proponerentur. Enimvero cur ſtatuiſſe dixeris Martinum V. ut certo crederetur, quod apud Catholicos ipſos, ambiguum erat; nempe Conſtantienſem Synodum etiam initio œcumenicam fuiſſe? Johannes quidem a Turrecremata in Apologia pro Eugenio IV. negavit, eam œcumenicam fuiſſe, & legitimam, antequam ad illam acceſſerunt, qui Gregorio, & Benedicto parebant, quod ſeſſione tantum 14. factum eſt, quia nullus certo legitimus Romanus Pontifex eam congregaverat. Quamquam ne poſtea quidem œcumenica fuit uſque ad Seſſionem 42. cui Martinus V. legitimus Pontifex præfuit. Nulla enim unquam Synodus œcumenica, & legitima fuit, niſi quæ Romani Pontificis auctoritate celebrata, aut probata eſt, ut ſtatuit vetuſtiſſimus Eccleſiæ Canon, de quo ſuperius diſſerebam (2. *p. cap.* 19. *n.* 3.). Itaque cum memoratum Diploma Martinus V. edidit, Synodus Conſtantienſis œcumenica erat: ideoque jure deſcriptas interrogationes Hæreticis proponi, juſſit.

V. Quamquam cum Conſtantienſis Synodi decreta confirmaverit Martinus V. huc demum controverſia redit, an Martinus Seſſionum etiam IV. & V. decreta confirmaverit; & præterea an Synodus

dus decretis illis Romanum Pontificem etiam procul dubio legitimum Generali Concilio parere debere, ſtatuerit.

Itaque plurimi e noſtris ſentiunt, decreta Seſſionum IV. & V. non fuiſſe a Martino V. confirmata. Hic enim Seſſione ultima declaravit: *Quod omnia, & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materiis fidei per præſens Concilium conciliariter, tenere, & inviolabiliter obſervare volebat, & nunquam contraire quoquo modo. Ipſaque ſic concilariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo.* Martinus igitur, inquiunt, confirmavit *omnia decreta in materiis fidei per præſens Concilium conciliariter, & non aliter, nec alio modo*. Decreta autem Seſſionum IV. & V. neque *Conciliariter* ſtatuta ſunt, neque ad *materias fidei* ſpectant. Non eſſe *conciliariter* ſtatuta, ſed tumultuario, ſine diligenti conſultatione, pluribus obſiſtentibus Concilii Patribus, & præter Conciliorum conſuetudinem, his argumentis perſuadent. 1. Quia Johanne abſente, & repugnante edita ſunt. 2. Quia excluſum fuit ſuffragium Cardinalium. Quare Petrus ipſe Alliacenſis (*tract. de poteſt. Eccl.*): *deliberatio*, inquit, *excluſa deliberatione dicti Collegii, & non facta in communi ſeſſione collatione votorum, videtur multis, non eſſe cenſenda deliberatio conciliariter facta* 3. Johannes XXIII. in Literis ad Ducem Aurelianenſem, & ad Academiam Pariſienſem (*tom. 16. Concil. Labb. col.* 805.) conqueſtus eſt, Patres in Nationes fuiſſe diſtributos, e quibus Anglicana paucis Epiſcopis conſtabat; & ſuffragia nihilominus juxta nationum numerum fuiſſe computata. Præterea ad Nationum ſuffragia ferenda admiſſos fuiſſe, non modo inferiores Clericos, ſed etiam Laicos matrimonio junctos tum nobiles, tum plebejos.

4. Denique Martinus V. confirmans ea, quæ geſta, & decreta fuerant in cauſa Wicleſi, Johannis Hus, & Hieronymi Pragenſis, Conſtitutione, quæ incipit: *In Eminenti*. data 8. Kal. Martii an. 1418. (*tom. 16. Conc. col.* 770.) ait, ſe ſanare omnes defectus, quicumque in condemnandis eorum erroribus irrepſiſſent, & quæ deerant, a ſe ſuppleri. Nihil vero ſimile ait de aliis decretis. His argumentis, & aliis, quæ quidem levia non ſunt, conficiunt, decreta, de quibus agimus, *conciliariter* condita non eſſe. Non pertinere vero decreta illa ad *materias fidei*, conſtare putant ex ipſius Seſſionis V. Actis: ubi vocantur *certa Capitula per modum conſtitutionum Synodalium*, & diſtinguuntur a *quibuſdam Aviſamentis in materia fidei, & ſuper materia Joannis Hus*. Hinc non temere colligunt, memorata decreta a Martino V. confirmata non fuiſſe.

VI. Sed his ego non omnino aſſentior. Arbitror enim Conſtantienſis Synodi decreta, de quibus agimus, ad Schiſmatis tempus eſſe referenda, cum nempe plures ſibi Petri Cathedram vindicant

dicant

dicant, nec quinam ex illis verus ſit, ac legitimus Petri Succeſſor, plane conſtat: atque decreta illa, ut ad Schiſmatis tempus dumtaxat referuntur, a Martino V. confirmata fuiſſe. Id affirmarunt Johannes a Turrecremata (*apol. Eugenii, & lib. 2. de Eccl. cap. 100.*), Eugenius IV. (conſtit. *Moyſes*), Æneas Sylvius (*orat. habita Viennæ anno 1452. edita a cl. Muratorio tom. 2. Anecd.*), & alii plures. In hanc autem ſententiam pluribus, iiſque validiſſimis argumentis adducor.

Ac 1. Id apertiſſime ſignificare mihi videntur Synodi verba; Ait enim (*Seſſ. 4.*): *Hæc Sancta Synodus Conſtantienſis generale Concilium faciens pro extirpatione PRÆSENTIS Schiſmatis, & unione, ac reformatione Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris fienda.... ad obtinendum facilius, ſecurius, liberius, & uberius unionem, & reformationem Eccleſiæ Dei, ordinat &c.* Decretum igitur Seſſ. IV. pertinet ad componendum Schiſma, quod tunc temporis erat in Eccleſia, cum nullus eſſet certo legitimus Pontifex. Quare ſtatuens Synodus, ut quilibet etiam *Papali dignitate* inſignitus Synodi ipſius decretis obediat, non id ſtatuit de Papa vero, & procul dubio legitimo, ſed de iis, qui tunc temporis eam ſibi dignitatem nullo certo jure arrogabant. Rurſus Seſſ. V. ait: *Hæc Sancta Synodus Conſtantienſis generale Concilium faciens pro extirpatione PRÆSENTIS Schiſmatis &c.* Ergo utriuſque Seſſionis decreta ad componendum ejus temporis Schiſma referuntur.

VII. Sed notat Febronius (*cap. 6. §. 1. n. 1. & §. 16. n. 6.*) poſt Natalem Alexandrum (*ib. art. 2. n. 1.*), Seſſione V. ſtatui, *Papam obedire debere mandatis hujus Synodi, & cujuſcumque alterius Concilii generalis*. Non ergo, inquit, Papam dumtaxat incertum, ſed etiam certum Concilii generalis mandatis obedire debere, ſtatuit Synodus Conſtantienſis.

Fallitur vero egregie uterque; quemadmodum quæ ſequuntur Synodi verba a Febronio prætermiſſa demonſtrant: Nempe ſtatuit Synodus, ut quicumque etiam Papali dignitate inſignitus, *qui mandatis hujus Synodi, & cujuſcumque alterius Concilii generalis legitime congregati ſuper præmiſſis, ſeu ad ea pertinentibus, factis, vel fiendis &c.* Quæ autem præmiſſa erant, ea *ad extirpationem præſentis Schiſmatis* ſpectant. Ergo etiam Papa, quem ſtatuit obedire debere mandatis *hujus Synodi, & cujuſcumque alterius Concilii generalis*, eſt Papa, qui tempore ejus, vel ſimilis Schiſmatis eam ſibi dignitatem arrogaret, ideoque Papa non certo legitimus. Ideo vero ſtatuit Synodus, hujuſmodi Papam obedire debere mandatis cujuſcumque alterius Concilii generalis, quia cum Schiſma, quod ab annis 40. vigebat, a Piſana Syodo extinctum non eſſet, verebatur, aut vereri poterat, ne ipſa quoque, Schiſmate nondum compoſito, diſſolveretur.

VIII.

VIII. Notat iterum Febronius (*ib.* §. *16. n. 6.*) cum Natali Alexandro (*ibid.*), Synodi Conſtantienſis decretum complecti non modo *caſum extirpationis Schiſmatis*, ſed etiam *reformationem Eccleſiæ tam in Capite, quam in membris*, & ea, quæ *ad fidem* ſpectant.

Verum 1. Verba: *Et reformationem generalem Eccleſiæ in Capite, & in membris*, deſiderantur non modo in novem MſS. Codicibus ab Emmanuele Schelſtrate memoratis (diſſert. de Act. Conſtant.), ſed etiam in aliis: quidquid Febronius dicat (*cap. 6.* §. *1. n. 1.*), *ea inveniri in præambulo hujus decreti, & adhuc magis authentice in primo decreto Seſſionis V.* Verba vero *ad Fidem* deſiderantur in prioribus Concilii editionibus, in Hagenovenſi anni 1500. in Mediolanenſi anni 1511. in Pariſienſi anni 1522. in Colonienſi anni 1530. primumque Crabbeanæ editioni anno 1538. inſerta ſunt. Deſunt quoque in pluribus Codicibus, etiam Concilio Synchronis, memoratis ab Hermanno Wonderhardt, & ab aliis.

2. Etiamſi genuina ſint, ea ad Schiſmatis tempus dumtaxat ſunt referenda. Nam quod attinet ad priora verba: *Et reformationem &c.* Synodus non ſecernit extirpationem Schiſmatis a reformatione, quaſi Papam parere velit Concilii alterius generalis decretis non modo Schiſmatis tempore, ſed etiam ſemper quoad reformationem: *Sed extirpationem Schiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in Capite* ſimul conjungit. Decretum igitur referendum eſt ad reformationem Eccleſiæ tunc temporis neceſſariam, ut ii, qui Eccleſiæ Capita ſe inſcribebant, in ordinem cogerentur. Sed ad Schiſmatis tempus referenda ſunt etiam verba: *ad fidem*. Scilicet Piſana Synodus abdicandos eſſe ſtatuerat Benedictum XIII. & Gregorium XII. Sed eos ante abdicare auſa non eſt, quam hæreticos eos eſſe declaraſſet. Hæreticos autem ea de cauſa illos eſſe cenſuit, quod ſponte ſe abdicare Pontificia dignitate noluiſſent. Ea enim pervicacia Eccleſiæ paci adeo noxia, ſchiſma, & hæreſis eſſe credebatur, ut colligitur ex propoſitione 8. Petri Alliacenſis; quæ eſt hujuſmodi: *In caſu prædicto, dum ſcilicet Pontificatum ob Eccleſiæ unionem dimittere renueret, Papam tamquam hæreticum, & ſchiſmaticum condemnantes, & dictam condemnationem juſtam, & canonicam fore, ſimiliter aſſerentes, nullatenus hæretici ſunt cenſendi, ſed magis oppoſitum pertinaciter aſſerentes.* Quare etiam Concilium Conſtantienſe ut viam ſibi ſterneret ad deponendum Johannem XXIII. niſi ſponte ipſe loco cederet, declaravit, Papam tempore ſchiſmatis parere debere Concilio generali in his, quæ pertinent *ad fidem*; ut niſi obediret, eum hæreticum declararet, eoque nomine dignitate privaret; quod & factum eſt. En igitur, quam ob cauſam addita ſunt verba: *& ad fidem*. Cæterum valde anceps fuiſſe videtur Synodus tum de ſua in Johannem, etſi

Digitized by Google

non certo legitimum, auctoritate, tum de nota hæreſeos illi affixa. Pronunciata enim in eum depoſitionis ſententia, nondum tamen depoſitum eſſe cenſuit; *Sed ſtatim Rex, Cardinales, & Deputati, pluresque tractaverunt materiam, quod Papa conſentiret ſententiæ ſuæ depoſitionis, & ex abundanti renunciaret*, & reipſa conſenſit, *& ex abundanti renunciavit*. Sed quidquid ea de re ſit, illud ex iis, quæ dicta ſunt, certiſſimum eſſe, arbitror, verba: *ad fidem, & extirpationem Schiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in Capite, & in membris*; & utriuſque Seſſionis decreta ad ſingulare illud ſchiſma, & ad ſimile aliud eſſe referenda.

IX. Sed ait præterea Febronius (*ibid.*): Synodus ſuam poteſtatem ex eo deducit, quod repræſentet Eccleſiam, & quod errare non poſſit. Hæc autem cuivis generali Concilio conveniunt, ſive ſchiſma ſit, ſive non ſit.

Verum fateor, Synodum abſque R. Pontifice repræſentare Eccleſiam, ſed eam, quam eo tempore repræſentare poteſt, ideſt maucam, & ſuo Capite, atque Paſtore viſibili carentem. At vero ſedente in Petri Cathedra legitimo Capite, & Paſtore Eccleſiæ, nego Synodum abſque eo Eccleſiam univerſalem repræſentare. Fateor quoque Synodum abſque Romano Pontifice errare non poſſe tempore ſchiſmatis, quoad ea, quæ *directe* pertinent ad Schiſma componendum, & *indirecte* ad fidem; ſed nego, errare non poſſe Synodum ſe ſola definientem, Sedente in Petri Cathedra legitimo Pontifice. Synodus autem Conſtantienſis declarat, ſe repræſentare Eccleſiam, ſeque eſſe in Spiritu Sancto legitime congregatam *ad extirpationem præſentis Schiſmatis &c.* Ergo fruſtra concludit Febronius, ejus Synodi decreta etiam præter Schiſmatis tempus locum habere.

X. Denique ait Febronius (*ib.* §. 16. *n.* 6.): Gerſonius *in operibus, quæ in ipſa Conſtantienſi Synodo edidit, totus in eo eſt, ut auctoritatem Concilii cujuslibet in quemlibet Papam ſtatuat. Pauci tamen ſunt, qui ignorant, decreta Conſtantienſia juxta Gerſonii votum condita fuiſſe*. Sed & Cardinalis Julianus (*ib.* §. 1. *n.* 3.) Eugenii IV. Legatus, & Synodi Baſileenſis Præſes *cum omnibus Nationibus, quarum Prælati* (plurimi quidem: adfuere enim Seſſioni II. Septem vel novem) *Synodo aderant*, poſt ſexdecim annos Conſtantienſis Synodi decreta de Papa certo intellexit.

Sed Gerſonii quidem privati Doctoris auctoritatem fruſtra jactat Febronius. Ego quidem Conſtantienſem Synodum veneror, ſed Gerſonii auctoritatem flocci facio. Non me latet, operæ plurimum in id contuliſſe Gerſonium, ut Synodus ſtatueret generatim, Synodum generalem eſſe ſupra Papam, ſed novi etiam, prudentiſſime Synodum

ſnodum Conſtantienſem ab ea re definienda abſtinuiſſe. Id quoque novi, Gerſonium ineptiſſimis argumentis hujuſmodi cauſam egiſſe, quæ vel adoleſcentem Theologum dedecerent; quod ego facile demonſtrarem, ſi Gerſonii auctoritatem tanti æſtimandam eſſe arbitrarer, ut ei rei a me multum operæ dandum eſſet. Unum ego Febronium rogo, ut ſcilicet oſtendat, decreta Seſſionum IV. & V. ad Gerſonii mentem fuiſſe adornata. Id enim multo præfidentius aſſeritur, quam oſtenditur.

Quod vero attinet ad Cardinalem Julianum, primo quidem is nimium ſibi auctoritatis arrogavit, Eugenii mandata prætergreſſus. Sed ad meliorem frugem tandem rediit, Baſileenſes deſeruit, Eugenium ſecutus eſt, & quæ pro Synodo Baſileenſi geſſerat, & ſcripſerat, retractavit, teſte Pio II. (in Bulla retract.), qui ſe quoque Juliani exemplo ad ea retractanda, quæ pro eadem Synodo ſcripſerat, permotum fuiſſe, fatetur. 2. Synodum Conſtantienſem decreta ſua ad Papam certo legitimum retuliſſe, eo argumento conficiebat Julianus, quod *id etiam facto probatum ſit: Nam propter unum de tribus caſibus Concilium privavit Joannem, & propter alterum privavit Benedictum.* Iſtiuſmodi autem argumento falsò concludebat Julianus, Synodum ſua decreta ad Papam certo legitimum retuliſſe, niſi & uterque Pontifex certo legitimus fuit, & veluti legitimum utrumque Synodus agnovit. Fuiſſe autem utrumque Pontificem legitimum, Catholicorum nemo dixerit: utrumque veluti legitimum a Synodo habitum eſſe, nemo niſi inepte affirmaverit. Falſo igitur *ex facto* concludebat Julianus, Conſtantienſem Synodum ad Papam etiam certo legitimum ſua decreta extendiſſe. Itaque Julianus, non ſecus atque Baſileenſes, Conſtantienſis Synodi decreta contra ipſius Synodi mentem ad Papam certo legitimum retulit.

XI. Secundo: Ante Seſſionem 40. (*Act. Concil. a Schelſtr. edit.*) contenderunt cum Italis, Hiſpanis, & Gallis Germani, ut prius de Reformatione ageretur, quam eligeretur Pontifex; ſed illis hi tandem ceſſere ea conditione, ut electo Pontifice, Reformationi opera daretur ante ejus coronationem. Qua ſuper re *fuerunt factæ diverſæ formæ decreti, ac tandem fuit dictum, quod Papa electus ligari non poteſt.* Priora ergo decreta ad Papam certo legitimum non ſpectant; Papam enim certo legitimum ligari non poſſe, Synodus ipſa affirmavit.

XII. Reſpondet Natalis Alexander (*ib. art. 2. n. 6.*) 1. ea verba prolata eſſe ab aliquibus Deputatis in æſtu diſputationis. Sed nemini facile perſuadebit Vir doctiſſimus, eos, qui Seſſionibus IV. & V. ſtatuerant, Papam etiam certo legitimum, ut ipſe arbitratur, generali Concilio parere debere, poſtea diſputationis æſtu abreptos, poſt

plurimam tamen conſultationem dixiſſe, *quod Papa electus ligari non poteſt*. Multo facilius ejuſmodi reſponſa proferuntur, quam perſuadentur.

XIII. Reſpondet 2. (*ib. n. 7.*), Synodum ſeſſione 38. ſtatuiſſe, ut *futurus Summus Pontifex .... cum hoc ſacro Concilio, vel deputandis per ſingulas Nationes, debeat reformare Eccleſiam in Capite, & in Curia Romana ſecundum æquitatem, & bonum regimen Eccleſiæ, antequam hoc Concilium diſſolvatur, ſuper materiis &c.* Seſſione 39. decreviſſe, ut Synodus œcumenica poſt quinquennium, deinde poſt ſeptennium, & demum deinceps poſt decennium celebraretur, eique decreto Pontificem ipſum obedire, voluiſſe. Seſſ. 40. (*Act. apud Schelſtr.*) propoſuiſſe plures articulos de reformatione a Romano Pontifice *cum hoc Sacro Concilio* perficienda, antequam Concilium diſſolveretur, inter quos is etiam erat: *Propter quæ, & quomodo Papa poſſit corrigi, vel deponi?* Martinum vero V. palam, & aperte profeſſum eſſe, ſe hiſce decretis eſſe ligatum. Synodum enim intra quinquennium indicens Seſſione 44. juxta decretum Seſſionis 39. ait: *Cupientes, ac volentes decreto hujus generalis Concilii ſatisfacere*. Demum ſeſſ. 43. poſtquam plura de reformatione decreta ediderat, voluiſſe Martinum V. ut Concilium publico Inſtrumento fidem omnibus faceret, ſibi ab eodem Pontifice circa reformationis articulos ſeſſione 40. propoſitos fuiſſe factum ſatis. Falſum igitur eſt, concludit Natalis Alexander, quorumdam deputatorum effatum, & a Synodi, imo & a Martini V. mente alienum: *Papam electum ligari non poſſe*.

XIV. Sed hæc Natalis Alexandri argumenta facillime diluuntur. Primo enim decrevit quidem Synodus, ut futurus Summus Pontifex reformaret Eccleſiam in Capite, & in Curia Romana, & Synodum intra quinquennium indiceret; ſed nullam pœnam in eum, ſi parere nollet, ſtatuit, quemadmodum ſtatuerat in decretis Seſſionum IV. & V. Quare vero? Quia ſcilicet noverat Synodus, ſe in legitimum Pontificem nullam auctoritatem habere. At vero, inquit ille, nonne pœnas ſtatuerat ſeſſione V? Statuerat quidem. Sed quidni Synodus, quæ ſexcenties eaſdem loquendi formulas repetit, pœnas etiam addidit decretis ſeſſionum 39. & 40? At legem ſaltem, ait, Romano Pontifici præſcripſiſſe, ſatis fuit. Sed legem præſcripſit, ajo ego, *directivam*, ut vocant, non *coactivam*; Id ſcilicet indicavit, quod a Pontifice faciendum erat *ſecundum æquitatem, & bonum Eccleſiæ regimen*. Reformationem enim flagitabant ſingulæ Nationes, ac præſertim Germanica, cui niſi Synodus illiuſmodi decreto ſatisfeciſſet, vix novus Pontifex ſine turbis eligi potuiſſet. Edidit quoque decretum *Frequens*: *De Conciliis generalibus, & proviſione erga futura ſchiſmata*; ſic enim inſcribitur. Nam ſchiſmata vix evitari

tati, aut extingui tunc temporis poterant, niſi frequenti Conciliorum celebratione, ut ipſa Synodus in decreto affirmat. Quamobrem frequentem Conciliorum celebrationem ut Eccleſiæ utiliſſimam, imo neceſſariam novo Pontifici præſcribit. Sed ſi ſecus Pontifici viſum fuerit, neque Concilium convocaverit, nec pœnam in eum ſtatuit, nec decernit, ut eo invito ab aliis convocetur; quæ duo neceſſaria erant, ſi exiſtimaſſet, Pontificem certo legitimum Concilio ſubjici, & parere omnino debere.

XV. Propoſuit quoque Synodus ſeſſione 40. plures reformationis articulos, eique Martinus V. ſatisfecit. Ea vero de re a Concilio fidem publice fieri, voluit; non quod ſe Synodi legibus obſtringi perſuaſum haberet, aut aliis perſuadere vellet, ſed ut palam omnibus faceret, ſe reformationi, quod, antequam eligeretur, promiſerat, operam dediſſe, fidemque ſuam liberaſſe. Expende, quæſo, Martini V. verba: *Cupientes*, inquit, *& volentes ſatisfacere*. Scilicet Synodi decreto ſatisfecit, non ut ejus auctoritati pareret, ſed ut deſiderium ſuum, & voluntatem impleret.

XVI. Quod attinet ad articulum: *Propter quæ, & quomodo Papa poſſit corrigi, vel deponi*; is propoſitus fuit, non quod exiſtimaret Synodus, ſe in Papam legitimum abſolute auctoritatem habere, ſed ut cauſas ſtatueret, & modum corrigendi, vel deponendi Papam, qua de re erat inter Doctores diſceptatio. Et hunc quidem articulum ſi Gerſonio agente propoſitum fuiſſe, velit Febronius, non magnopere cum eo contendam: aſt ad Gerſonii mentem fuiſſe definitum, confidentiſſime negabo (*ſuper. n.* 10.). Ei enim articulo reſponſum eſt: *Non videtur, prout nec viſum fuit in pluribus Nationibus circa hoc aliquod novum ſtatui, vel decerni*.

Denique Conſtantienſis Synodi decreta ad Pontificem certo legitimum referenda non eſſe, demonſtrant ea, quæ poſt Martini V. electionem contigerunt, quæque narrat Febronius ipſe (*ib.* §. 15. *n.* 3.). Scilicet Martinus V. *Collegium reformatorium inſtituit*. *Verum multum abfuit*, inquit Febronius, *ut hoc Collegium expectationi univerſalis Synodi ſatisfaceret*. Id conqueſti ſunt Germani, Galli, Hiſpani, & Cæſar ipſe. Quare Martinus *die* 21. *Martii anni* 1418. *in ſeſſione generali* 43. *quædam de reformatione Eccleſiæ ſtatuta promulgavit, ſed penitus inſufficientia*. *Poſt hæc die* 22. *Aprilis Seſſione* 45. *& ultima non ſine turbine Concilium ſolvit Pontifex*. Jamvero ſi perſuaſum habuiſſet Synodus, ſe Martino legitimo Pontifice ſuperiorem eſſe, Synodum ab eo ſolvi, re, quam tantopere omnes exoptabant, & poſtulabant, infectâ, non permiſiſſet, imo reformationis Capita Synodus ipſa propoſuiſſet, atque ad ea exequenda Martinum compuliſſet.

Demonſtratum itaque eſt, Conſtantienſis Synodi decreta edita Seſſio-

Digitized by Google

Seſſionibus IV. & V. ad Schiſmatis tempus, & ad Pontificem non certo legitimum eſſe referenda, atque, ſiquidem a Martino V. confirmata ſunt, in eum ſenſum confirmata fuiſſe. Ex iis igitur concludi nequit, Concilia œcumenica Romano Pontifici auctoritate præcellere.

XVII. Nonnulla nunc ſuperſunt Natalis Alexandri argumenta (*ib. art. 3. n. 2.*) paucis refellenda. Inter Wiclefi errores hic quoque recenſetur (*n. 41.*): *Non eſt de neceſſitate ſalutis, credere, Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias;* & hac Cenſura a Synodo Conſtantienſi notatur: *Error eſt, ſi per Romanam Eccleſiam intelligat univerſalem Eccleſiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis ſuper alias Eccleſias Particulares.* Ergo Primatus Romani Pontificis extenditur ſuper Eccleſias omnes particulares, non ſuper Eccleſiam univerſalem.

Sed minus recte argumentari mihi videtur Vir cætera doctiſſimus. Si enim erroris cenſura expendatur, manifeſtum fit, eumdem errorem eſſe, negare, ſive Eccleſiam univerſalem, ſive Concilium generale, ſive particularem Eccleſiam Romanam eſſe ſupremam inter alias, aut ſuper alias Eccleſias particulares; niſi inepte dicere velis, Eccleſiam quidem Romanam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias Particulares, ſed Eccleſiam univerſalem eſſe ſupremam etiam inter Eccleſiam univerſalem: aut Romanum Pontificem habere Primatum ſuper alias Eccleſias particulares: Concilium vero generale, & Eccleſiam univerſalem eſſe etiam ſuper Eccleſiam univerſalem. Ego quidem miror, virum adeo doctum in re leviſſima deceptum fuiſſe. Præterea inter errores Johannis Hus hic recenſetur (*n. 11.*): *Non oportet credere, quod iſte, quicumque eſt, Romanus Pontifex ſit Caput cujuſcumque particularis Eccleſiæ, niſi Deus eum prædeſtinaverit.* Ergo Romanus Pontifex eſt Caput cujuſcumque particularis Eccleſiæ. Hinc vero colliget ne Vir Catholicus, Romanum Pontificem non eſſe Caput etiam Eccleſiæ univerſalis? Ergo cum in cenſura erroris Wiclefi ſuperius memorata aſſeritur Romano Pontifici Primatus ſuper alias Eccleſias particulares, non ei negatur Primatus ſuper Eccleſiam univerſalem; ſed ei aſſeritur id, quod negabat Wiclefus, & omittitur id, de quo ille non agebat. Denique ſtatuit Martinus V. ut qui ab hæreſi Wiclefi, & Johannis Hus redit ad Eccleſiam, interrogetur, *utrum credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expreſſo, ſit ſucceſſor B. Petri, habens ſupremam poteſtatem in Eccleſia Dei?* Qui autem habet ſupremam poteſtatem in Eccleſia Dei, is non modo Eccleſiis particularibus; ſed etiam Eccleſia univerſali, ſi a Pontifice quidem ſejungitur, ſuperior eſt.

CAPUT

CAPUT V.

Baſileenſis Synodi decreta refutantur.

I. BAſileenſis Synodus, quæ ab anno 1431. deinceps celebrata eſt, Synodi Conſtantienſis decreta Seſſionibus IV. & V. edita, quæ ad Schiſmatis tempus, & ad Pontificem non certo legitimum referenda eſſe, ſuperiori Capite luculentiſſime oſtenſum eſt, non modo confirmavit, ſed etiam ad Pontificem certo legitimum extendit Seſſionibus II. III. XVIII. & in aliis. Synodum hanc œcumenicam, & legitimam fuiſſe uſque ad ejus translationem Ferrariam, aut ſaltem uſque ad Seſſionem XXV., ſentiunt Theologi Pariſienſes, imo Eccleſia Gallicana, ſi fides habenda eſt Natali Alexandro (*in h. e. ſæc. 15. & 16. diſſ. 8.*), quem hac de re laudat, conſulique vult Febronius (*cap. 6.* §. 1. *n.* 4. *& alibi*). Quamquam Clerus Gallicanus in celebri ſua declaratione *de Eccleſ. poteſt.* Baſileenſis Synodi ne meminit quidem. Illud certum eſt, Synodum Baſileenſem a pleriſque Catholicis inter Conciliabula recenſeri. Et Conciliabulum quidem eam fuiſſe, pluribus ego argumentis demonſtrare poſſem. Sed ne multus ſim, nonnulla tantum afferam, quæ rem plane conficere mihi videntur.

II. 1. Eugenius IV. duobus Diplomatis Romæ datis Baſileenſem Synodum diſſolvit, & Apoſtolicæ Sedis Legationem Cardinali Juliano demandatam revocavit (*tom. 12. Concil. Labb. app. 1. Concil. Baſil. n. 51. & 52.*)

2. Seſſionibus Secundæ, & Tertiæ non ultra decem Patres interfuerunt (*Eugenius ib.*). Ipſi Baſileenſes (*reſponſ. Synod. dato 6. id. Nov. ann. 1440.*) teſtantur, *tempore primæ diſſolutionis prætenſæ pacis Prælatos Concilii non numerum quatuordecim exceſſiſſe*. Ex hujuſmodi autem Prælatis ſeptem tantum, vel octo Epiſcopos fuiſſe, Hiſtorici teſtantur.

3. Johannes a Turrecremata (*de Eccl. lib. 2. cap. 100.*) Synodo ſynchronus teſtatur, in iis condendis decretis *factiones, & practicas interveniſſe*; eaque edita eſſe *ad furorem quorumdam hoſtium Apoſtolicæ Sedis cum multitudine populi parvi pretii, & nullius auctoritatis*. Æneas Sylvius teſtis oculatus, qui ipſi Synodo primum quammaxime ſtuduit, deinde vero quæ pro ea geſſerat, & ſcripſerat, retractavit: *Inter Epiſcopos*, inquit (*orat. habita ad. Auſtrales. edita a Ludov. Muratorio tom. 2. Anecdot.*), *cæteroſque Patres conſcriptos vidimus in Baſilea coquos, & ſtabularios Orbis negotia judicantes*. Ipſe Ludovicus Arelatenſis Synodi præſes, & Eugenii IV. hoſtis infenſiſſimus ait (*orat. adv. Panormit.*), *opus Dei ea vice fuiſſe, ut inferiores*

viores ad dicendum reciperentur. Et quamvis Seſſioni XVII. centum Prælati cum mitris adfuiſſe dicantur, pauci tamen ex iis Epiſcopi erant.

Itaque decreta Seſſionum II. & III. edita ſunt a Synodo paucorum Epiſcoporum, abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ. Alibi autem ego demonſtravi (*2. p. cap. 19. n. 3. ſeqq.*), legitimam non eſſe Synodum, quæ abſque R. Pontificis auctoritate celebratur. Quare niſi vel levia, vel ſpuria eſſe, quæ ibi allegavi, monumenta, demonſtrent Febronius, Natalis Alexander, aliique, qui cum ipſis ſentiunt, nunquam conficient Baſileenſem Synodum legitimam fuiſſe. Quis præterea dixerit, Synodum octo, vel decem Epiſcoporum Eccleſiam univerſalem repræſentare, & œcumenicis Synodis accenſendam eſſe? Confirmavit equidem Synodus eadem decreta Seſſione XVIII. quo tempore legitima forte erat; qua de re inferius dicam, ſed teſtatur Johannes a Turrecremata (reſponſ. ad Baſil. in Concil. Flor.): *Præſidentes omnes non conſenſiſſe, imo contradixiſſe, & proteſtatos eſſe, omni meliori modo, quo poterant, licet aliqui eorum, non ut Præſidentes, ſed ut particulares perſonæ, quaſi violenter, & cum aliter non admitterentur ad præſidentiam, conſenſerunt*. Et alibi (*de Eccl. lib. 2. cap.* 100.) ait ea decreta, *Multis Prælatis, & Doctoribus in utroque jure graduatis, ſapientia, & virtutibus clariſſimis non conſentientibus edita eſſe, eoſque Seſſionibus intereſſe noluiſſe*: Et præterea in decretis edendis *factiones, & practicas interveniſſe*. Decreta autem a paucis Epiſcopis *cum multitudine populi parvi pretii, & nullius auctoritatis*, pluribus aliis Epiſcopis, ac præſertim Pontificis Legatis contradicentibus, edita, ea ne ſunt, quæ nos veluti ab œcumenica, & legitima Synodo edita veneremur?

III. Quid vero, quod Baſileenſis Synodus tandem in apertiſſimum Schiſma erupit, atque Eugenio IV. Amedeum Sabaudiæ Ducem nomine Felicis V. oppoſuit, quem veluti intruſum & Pſeudo-Pontificem Eccleſia Catholica hactenus improbavit? Quamobrem Eugenius IV. (*Conſtit. Moyſes*) eos vocat *pernicioſiſſimos, qui dum ſuam malignitatem ſub veritatis fuco colorant* (eſt ea Pſeudo-Reformatorum conſuetudo), *Conſtantienſe Concilium in malum, ac reprobum ſenſum .... pertrahunt, cæterorum Hæreticorum, & Schiſmaticorum falſam doctrinam ſequentes. Deinde more Dioſcori, & damnatæ Epheſinæ Synodi* (ſi quæ in utraque Synodo geſta ſunt, contuleris, eamdem fuiſſe utriuſque agendi rationem, facile ſenties) *ad quamdam venenatam, execrabilemque aſſertæ declarationis, ſeu privationis ſententiam a dignitate, & officio Summi Apoſtolatus inexpiabili quodam ſcelere proceſſerunt*. S. Antoninus (*3. p. tit. 22. cap.* 10. §. 4.) vocat Baſileenſem Synodum *Synagogam Satanæ*: S. Johannes de Capiſtrano (*de Pap. & Concil. auctor.*

Hor. p. 3.) profanam, & baſiliſcorum ſpeluncam: Synodus Lateranenſis (*ſeſſ.* 11.) *Conciliabulum Schiſmaticum*.

IV. Sed enim, ajunt, Baſileenſis Synodus poſt ſeſſionem XXV. œcumenica, & legitima non fuit: *Nam duas in partes ſcindi cœpta*, ait Natalis Alexander (*ib. diſſ.* 8. *art.* 3. *n.* 61.), *ſufficienter Eccleſiam univerſalem repræſentaſſe non videtur. Et chriſtiani plerique Principes edita deinceps ab ipſa contra Eugenium decreta improbarunt*. Eugenius vero (*ib. n.* 62.) *Kal. Octob. ann.* 1437. *quo die Seſſio* 28. *habita eſt, Tranſlationem Concilii Baſileenſis de Cardinalium, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum plurimorum conſilio, & aſſenſu decrevit*.

Sed ſcire ego velim cauſam, cur tam ſubito Baſileenſem Synodum Spiritus Sanctus deſeruerit, eaque in Conciliabulum evaſerit? An quod Julianus Cardinalis, & alii Patres deinceps Synodi decretis obſtiterint? Sed plures obſtiterant etiam decretis Seſſionum II. III. & XVIII. An quod Chriſtiani Principes Synodi decreta improbaverint? Aſt ut legitima ſint, vel non ſint Synodorum decreta, Principum auctoritate fieri nequit. An demum quod Eugenius Synodum Ferrariam transtulerit? Aſt eam etiam ante Seſſionem II. Bononiam transferri, decreverat, & irritum tamen Eugenii decretum fuiſſe, contendunt. Ego equidem nullam aliam ejus rei intelligo cauſſam, præter hanc; quod Baſileenſes inaudita ab Eccleſiæ primordiis temeritate Romanum Pontificem ſibi ſubjicere conati ſint, atque in eum *audacter ſententiam dixerint*. Confer quæſo, quæ geſſere Romanæ Synodi in cauſa Symmachi R. P. & Galliarum Epiſcopi, & Canonem XXI. Octavæ Synodi œcumenicæ cum iis, quæ in cauſa Eugenii etiam ab initio geſſit Baſileenſis Synodus. Inde enim facile intelliges, quam longe a Catholicæ Eccleſiæ ſententia, & perſuaſione Baſileenſes receſſerint.

V. Sed quoniam Baſileenſis Synodi decreta, de quibus agimus, ab Eugenio IV. probata eſſe, contendunt Febronius, Natalis Alexander, aliique, hac de re paulo pluribus differendum eſt. Itaque Eugenius IV. ante ſecundam Seſſionem Synodum diſſolvit. Sed cum Baſileenſes, quibus plures Viri Principes, & Reges adhærebant, abdicationis ſententiam Eugenio minitarentur, is eorum minis perterritus, & ſchiſma veritus, Sigiſmundo Romanorum Rege agente, data Diplomata revocavit novo Diplomate dato Romæ 18. Kal. Jan. anno 1433. quod incipit: *Dudum*, ubi ait: *Dudum ſacrum generale Baſileenſe Concilium.... legitime inchoatum, a tempore prædictæ inchoationis legitime continuatum fuiſſe, & eſſe, ac proſecutionem ſemper habuiſſe; continuari, ac proſecutionem habere debere ad prædicta, & pertinentia ad ea, perinde ac ſi nulla diſſolutio facta fuiſſet: ſeque ipſum ſacrum generale Concilium Baſileenſe pure, & ſimpliciter, & cum affectu, ac omni devotione, & favore proſequi*. Hoc autem diplomate con-

firmaſſe Eugenium Baſileenſem Synodum, ejuſque decreta, concludunt Natalis Alexander *(ib. art. 3. n. 37.)*, & Febronius *(cap. 6. §. 16. n. 8.)*. Sed egregie fallitur uterque; quod his ego argumentis demonſtro.

Primo. Qui Synodum legitime inchoatam eſſe, & legitime continuari, fatetur, non propterea etiam Synodi decreta probat, niſi ea etiam ſe probare, profiteatur. Fieri enim poteſt, ut Synodus etiam legitime inchoata, iniqua decreta edat. Ejus rei exemplo eſt Synodus Epheſina II. (*vid. 2. p. cap. 28. n. 9.*). Eugenius autem agnoſcit quidem veluti legitime inchoatam, & continuatam Baſileenſem Synodum, ſed ejus decreta, ſe probare non dicit. Quare, teſte Johanne a Turrecremata(*lib. 2. de Eccl. cap. 100.*), Eugenius Juliano Cardinali *in honorem Baſileenſis Concilii ex ipſius Pontificis Bullis argumentum* opponenti, reſpondit: *Nos quidem progreſſum Concilii approbavimus, volentes, ut procederet, ſicut incœperat; non tamen approbavimus ejus decreta.*

VI. Sed judicat cum Boſſueto Febronius *(ib.)*, *ejuſmodi colloquia, dictaque nullatenus ſufficientia ad evertenda, aut etiam interpretanda ea, quæ Synodice geſta, decreta, & approbata ſunt. Concilium*, inquit, *Imperator unionis interpres, totus denique mundus hæc acceptationis verba ita intellexit, ut non de materiali ſolum Synodi continuatione, ſed de geſtis etiam concluſis, ac decretis Synodicis acciperetur. Omni juri gentium, bonæ fidei, atque honeſtati repugnat tardior illa, & privata, ſi vera eſt, Eugenii interpretatio, quæ ex communibus regulis contra eum facienda eſt, qui poſt multos tractatus clarius loqui potuiſset, ac debuiſset.*

Verum non legiſſe videtur Febronius Eugenii Literas ad Franciſcum Foſcarenium datas eodem anno 1433. (*apud Raynald.*), & ad Sigiſmundum Imp. *unionis interpretem*. Porro Eugenius in literis ad Foſcarenium Venetorum Ducem: *Potius*, inquit, *hanc Apoſtolicam dignitatem, & vitam inſuper poſuiſsemus, quam voluiſſemus eſſe cauſa, & initium, ut Pontificalis dignitas, & Sedis Apoſtolicæ auctoritas ſubmitteretur Concilio contra omnes Canonicas ſanctiones.* Ergo Eugenius non *tardius*, ſed eodem anno proteſtatus eſt, ſe nec probaſſe, nec probaturum eſſe Baſileenſis Synodi decreta.

VII. Sed rem plane conficiunt Literæ ab Eugenio ad Sigiſmundum Imperatorem datæ (*apud Harduinum tom. 8: Concil. col.* 1586.). Nempe Eugenius Conſtitutionem *Dudum* ſuperius memoratam ad Sigiſmundum miſit Synodo exhibendam una cum literis, quibus ſignificavit, ſe Synodi continuationem probare, ea conditione, *ut omnia, & ſingula*, inquit, *contra auctoritatem noſtram facta, & geſta per dictum Concilium, prius omnino tollantur, & in priſtinum ſtatum reducantur.* Qui autem fieri potuit, ut Sigiſmundus, his acceptis Eugenii

Literis

Literis, perſuaſum haberet, Eugenium probaſſe non ſolum *materialem Synodi continuationem*, ſed etiam *geſta concluſa, ac decreta?* Clarius ne loqui potuit eam in rem Eugenius?

Sed cur Eugenius non ita ſcripſit in Conſtitutione *Dudum?* Nempe Eugenius ſatis ſibi, atque Apoſtolicæ dignitati in eo rerum diſcrimine conſuluiſſe videbatur Literis ad Imperatorem datis; præſertim cum in Conſtitutione *Dudum* nullum eſſet verbum, quo ſignificaret, ſe Synodi decreta probare. Ergo Eugenius Baſileenſis Synodi decreta haudquaquam probavit.

VIII. Addit Febronius (*ib. n.* 9.), *Eugenium ante mortem de his Conciliis, ſignanter Conſtantienſi (quod hujus rei Caput eſt) aliter ſenſiſſe.* Nam cum anno 1447. ageretur de concordia inter Apoſtolicam Sedem, & Nationem Germanicam, atque hujus Oratores poſtularent *profeſſionem poteſtatis, auctoritatis, & praeminentiæ Generalium Conciliorum, præſertim Conſtantienſis, & Baſileenſis; ac minitarentur*, ſe alioquin *Eugenii depoſitionem in Baſilea factam amplexuros*; Eugenius reſpondit: *Concilium Generale Conſtantienſe, decretum FREQUENS, at alia ejus decreta, ſicut cætera alia Concilia Catholicam militantem Eccleſiam repræſentantia, ipſorum poteſtatem, auctoritatem, & eminentiam, ſicut & cæteri Anteceſſores noſtri, a quorum veſtigiis deviare nequaquam intendimus, ſuſcipimus, amplectimur, & veneramur.*

Verum quidquid poſtulaverit ab Eugenio Germanica Natio, recte notat Raynaldus (*ad an.* 1447.), *Eugenium in his literis non majorem auctoritatem decreto Concilii Conſtantienſis, quod a voce FREQUENS initium ducit, contuliſſe, quam Martinus tribuiſſet; ac profeſſum, ſe a Prædeceſſorum veſtigiis nolle deflectere.* Nec video, cur hanc Raynaldi obſervationem *viro probo minus dignam* judicet Febronius (*ib.*): ea enim ex Eugenii verbis ſponte ſua fluit. Ego præterea notari volo, poſtulaſſe Cæſaris, ac Principum Oratores, ut Eugenius profiteretur *PRÆEMINENTIAM* Conciliorum generalium: Eugenium vero profeſſum eſſe eorum EMINENTIAM. Quod quidem ab eo non fortuito, ſed conſulto ſcriptum eſt. Nam in literis ad ſuos in Germania Oratores datis, quas paulo inferius allegabo, profitetur, ſe venerari Concilia Conſtantienſe, & Baſileenſe ab ejus initio uſque ad translationem, *abſque tamen præjudicio* PRÆEMINENTIÆ *Sedis Apoſtolicæ.* Me forte veluti verborum aucupem traducet Febronius, ſed immerito. *Eminentiæ* enim, *& Præeminentiæ* vocabula in re, de qua agimus, longe differunt; quærimus enim, Synodus ne Pontifici, an Pontifex Synodo præemineat. Cum ergo Eugenius profeſſus ſit, ſe venerari generalium Conciliorum *Eminentiam*, abſque præjudicio *Præeminentiæ* Sedis Apoſtolicæ, procul dubio profeſſus eſt, ſe generalibus Synodis præeminere.

Digitized by Google

Aſt, inquit Febronius, *non habuit in animo Germanica Natio exigere a Papa declarationem ſuper qualiquali ſubmiſſione, aut acceptatione unius tantum, alterinſve Decreti Concilii Conſtantienſis; ſed univerſim omnium decretorum hujus, ſicut & quorumcumque aliorum Generalium Conciliorum.*

Sed nos hic non quærimus, quid in animo habuerit Germanica Natio, & quid ab Eugenio poſtulaverit; ſed quantum ejus poſtulatis Eugenius conceſſerit. Ita autem ejus poſtulatis conceſſit Eugenius, ut Conciliorum *Eminentiam* profeſſus ſit, ſalva *Præeminentia* Sedis Apoſtolicæ. Ergo vel nihil præterea poſtulavit Germanica Natio: vel ſi poſtulavit, non id illi conceſſit Eugenius.

IX. Præterea cum Baſileenſes Schiſma jam feciſſent, Fridericus Romanorum Rex, & Imperii Electores, qui neutras partes eouſque ſecuti erant, Eugenio promiſerunt, ſe ipſi ut vero, legitimoque Pontifici obtemperaturos, dummodo Baſileenſia decreta *per ipſam Germanicam Nationem acceptata* probaret, & confirmaret. Quamobrem Eugenius, ut Schiſma componeret, & pacem Eccleſiæ reſtitueret, literas ad ſuos in Germania Legatos dedit (*apud Raynald.*) 11. Kal. Aug. anno 1446. in quibus ait: *Generalia Concilia Conſtantienſe, & Baſileenſe ab ejus initio uſque ad tranſlationem per nos factam, abſque tamen præjudicio juris, dignitatis, & PRÆEMINENTIÆ Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, ac poteſtatis ſibi, & in eadem Canonice Sedenti in Perſona B. Petri a Chriſto conceſſæ, cum omni reverentia, & devotione ſuſcipimus, amplectimur, & veneramur.* Vident in his Eugenii Literis Natalis Alexander (*ib. art. 3. n. 64.*), & Febronius (*ib.* §. 16. *n.* 11.) Baſileenſis Concilii confirmationem; ſed velim ego præterea, ut videant decretorum, de quibus agimus, refutationem. Eugenius enim Synodum ſuſcepit, & amplexus eſt, *abſque tamen præjudicio juris, dignitatis, & præeminentiæ Sanctæ Sedis Apoſtolicæ.* Decreta autem Seſſionum II. III. & XVIII. probari non poſſunt abſque præjudicio *Præeminentiæ* Sedis Apoſtolicæ. Ergo iſtiuſmodi decreta Eugenius nec probavit, nec confirmavit. Ut ſummum igitur alia ejus Synodi decreta confirmavit Eugenius, quæ ad Cenſuras, & ad Cauſas *Beneficiales* ſpectant, & ſimilia; ſed decreta Seſſionis II. III. &c. rejecit.

X. Denique Eugenius in Conſtitutione: *Moyſes Vir Dei* (*tom.* 18. *Concil. col.* 1202.) data in Concilio Florentino pridie Nonas Sept. anno 1439. ait: Baſileenſes *quibuſdam decretis Conſtantiæ, Schiſmate tunc vigente, editis inhærere ſe, dicentes, tres Propoſitiones, quas fidei veritates vocant, quaſi Nos, & omnes Principes, & Prælatos, & alios fideles, & devotos Apoſtolicæ Sedis hæreticos facerent, protulerunt, quarum tenor ſequitur in hæc verba:*

Veritas de poteſtate Concilii generalis univerſalem Eccleſiam repræſentantis, ſupra Papam, & quemlibet alterum, declarata per Conſtantienſe,

ſe, & hoc Baſileenſe Concilium, eſt veritas Fidei Catholicæ.

Veritas hæc; quod Papa Concilium generale... ſine ejus conſenſu nullatenus auctoritative poteſt diſſolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, eſt veritas Fidei Catholicæ.

Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnans eſt cenſendus hæreticus.

Has propoſitiones, inquit Eugenius, *juxta pravum Baſileenſium intellectum, quem facta demonſtrant, velut Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, & ipſius Conſtantienſis Concilii ſenſui contrarium, tamquam impias, & ſcandaloſas, nec non in manifeſtam Eccleſiæ ſciſſionem tendentes, ipſo ſacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus.... decernimus etiam, & declaramus, omnes, & ſingulos prædictos* (Baſileenſes) *fuiſſe, & eſſe Schiſmaticos, & hæreticos.* Hac autem Eugenii IV. Conſtitutione, *Sacro approbante* Florentino *Concilio* edita, quam primus ex Codice Vaticano in lucem emiſit Horatius Juſtinianus, Baſileenſis Synodi decreta non modo labefactata, ſed etiam damnata eſſe, mihi videntur.

XI. Valde quidem ſe torquet Natalis Alexander (*ibid. art. 4. n. 15.*), ut huic argumento ſatisfaciat. Reſpondet 1. ideo damnatas eſſe ab Eugenio tres memoratas propoſitiones, quod eas fidei catholicæ veritates eſſe, Baſileenſes definierint.

Sed futile iſtud reſponſum eſt. Eugenius enim damnat præterea etiam ipſas propoſitiones. Scilicet diſtinguit Eugenius tres propoſitiones, & *qualificationem*, ut ajunt e Schola Theologi, iis additam. *Tres propoſitiones*, inquit, *protulerunt* (en propoſitiones), *quas fidei veritates vocant* (en propoſitionum *qualificationem*); Et *qualificationem* quidem veluti nihili faciendam prætermittit: *quaſi nos*, inquit, *hæreticos facerent*: Propoſitiones vero juxta pravum Baſileenſium ſenſum, qui eas contra Conſtantienſis Synodi mentem ad Papam etiam certo legitimum referebant, damnat tamquam *impias, ſcandaloſas*, & Schiſmaticas. Iis autem propoſitionibus Synodi Baſileenſis decreta ſeſſionum II. III. & XVIII. continentur. Ergo ea decreta damnavit Eugenius IV.

XII. Reſpondet 2. Eugenii Conſtitutionem ex iis eſſe, quas Nicolaus V. inita pace cum Baſileenſibus, penitus aboleri voluit, ut conſtat ex ejus epiſtola ad omnes Chriſti fideles.

Sed 1. illud ſaltem certum eſt, Baſileenſium decreta non modo non fuiſſe confirmata ab Eugenio IV. ſed etiam fuiſſe damnata. 2. Nicolaus V. pacis ineundæ cauſa, aboleri voluit; *Literas, proceſſus, mandata, & decreta quæcumque, nec non excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti.... in his literis.... quomodolibet contentas ſententias, cenſuras.... inflictas, & promulgatas per præfatum Eugenium...;*

quibuſ-

Digitized by Google

quibuſcumque ſub literis, & quorumcumque tenorum, & ſub quacumque data exiſtant; etiamſi cum expreſſione, approbatione Ferrarienſis, ſeu Florentini, aut alterius Concilii generalis contra dictum Baſileenſe Concilium, & eos, qui ſub nomine Concilii generalis tam in Baſileenſi, quam in Lauſanenſi civitatibus fuerunt .... nec non contra præfatum Amedeum, Felicem V. in ſua obedientia nuncupatum &c. His autem literis aboleri quidem vult Nicolaus V. quaſcumque ſententias in perſonas Baſileenſium ab Eugenio IV. latas; ſed aboleri quoque ſe velle ſententias latas in eorum propoſitiones, doctrinam, & decreta ad doctrinam pertinentia, nullibi in memoratis Literis indicat. 3. Si ſuppreſſam fuiſſe velis a Nicolao V. Eugenii IV. conſtitutionem, ſuppreſſa quoque fuiſſe, fatearis neceſſe eſt Baſileenſium decreta. Nam inter ineundæ pacis propoſitiones a Galliarum Rege, & ab Imperii Electoribus præſcriptas, hæc etiam erat: *Omnia hinc inde conſcripta, ſtatuta, facta, promulgata abroganda eſſe, etiamſi univerſalem Eccleſiam, & auctoritatem Conciliorum, aut Sedis Apoſtolicæ concernant quovis modo*. Quamobrem aut ab Eugenio IV. aut a Nicolao V. Baſileenſium decreta ſuppreſſa ſunt. Sed præterea hoc loco notari velim, Nicolaum V. ſupremam ſuam auctoritatem etiam ſupra Concilia generalia memoratis in literis aſſeruiſſe, eâque uſum eſſe: ait enim: *Sententias .... etiamſi cum expreſſione, approbatione Ferrarienſis, ſeu Florentini, aut alterius Concilii generalis ...... latas .... motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Sedis Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine .... decernimus, & declaramus, nullum effectum penitus ſortiri*.

XIII. Reſpondet 3. Natalis Alexander, datam fuiſſe Eugenii IV. Conſtitutionem, poſtquam Græci Florentia diſceſſerant, ideoque cum Synodus Eccleſiam univerſam non ſatis repræſentabat.

Sed ingenui Viri fidem in Natali Alexandro deſidero. Baſileenſem enim Synodum, quæ ſeptem, vel octo Epiſcopis conſtabat, cum Seſſionem II. habuit, Eccleſiam univerſalem repræſentaſſe contendit, quamvis Eugenius eam diſſolviſſet, & ejus decreto Eugenii Legati obſtitiſſent: Florentinam vero Synodum, quam multo plures Epiſcopi conſtituebant, cuique Eugenius ipſe præerat, œcumenicam fuiſſe negat. Sed qualiſcumque demum fuerit tunc Florentina Synodus, Eugenius, quod ego nunc ago, Baſileenſium decreta damnavit.

Reſpondet 4. quidquid ſenſerit Eugenius contra hujuſmodi decreta, id a Germanica, & Gallicana Eccleſia receptum non fuiſſe; & præterea Baſileenſes in ſua ſententia permanſiſſe, & pacem tamen cum iis Nicolaum V. iniiſſe.

Sed quidquid ſentiat Gallicana Eccleſia cum Germanica, ajo ego,

ego, maxima Eccleſiæ pars una cum Eugenio Baſileenſia decreta improbavit. Quamquam neque celebris Cleri Gallicani declaratio dici poteſt Eccleſiæ Gallicanæ doctrina (*vide præm.*); neque aliquorum Principum potius, quam Epiſcoporum in Germania opinio, Germanicæ Eccleſiæ dogma vocari poteſt. Sed de his agere non eſt hujus loci. Quod vero ait Natalis Alexander, etiam Nicolaum V. in eadem fuiſſe cum Baſileenſibus ſententia, riſu potius, quam ſeria confutatione dignum eſt. Id enim colligit ex decreto, quo Baſileenſes Lauſanæ congregati Nicolaum V. quem maxima Eccleſiæ pars ut verum, ac legitimum Pontificem venerabatur, in Pontificem elegerunt, ubi *Fida relatione*, ajunt, *intelligentes illum eamdem credere, & tenere veritatem*, nempe Concilium generale eſſe ſupra Papam &c. Aſt ex hujuſmodi decreto, quod Nicolaus V. pacis Eccleſiæ percupidus non improbavit, non minus colligi poteſt Nicolaum in eadem fuiſſe cum Baſileenſibus ſententia, quam de ſua legitima electione, antequam a Baſileenſibus eligeretur, dubium fuiſſe. Sed ineptiis cur ego detineor?

XV. Denique Pius II. Conſtitutione, quæ incipit: *In minoribus*. data 6. Kal. Majas. anno 1463. retractat, quæ ſcripſerat olim adhuc Æneas Sylvius pro Baſileenſi Concilio adverſus Eugenium IV. ideoque ipſum Baſileenſe Concilium improbat. Sed Conſtantienſe Concilium ſe venerari fatetur: *Cum his*, inquit, *& Generalis Concilii auctoritatem, & poteſtatem complectimur, quemadmodum & avo noſtro Conſtantiæ, dum ibi fuit Synodus univerſalis, declaratum, definitumque eſt. Veneramur enim Conſtantienſe Concilium, & cuncta, quæ proceſſerunt a Prædeceſſoribus noſtris approbata: Inter quæ nullum unquam invenimus, fuiſſe ratum, quod ſtante Romano indubitato Præſule, abſque ipſius auctoritate convenerit*. Quare ex his Pii II. verbis colligit Natalis Alexander (*ib. art.* 4. *n.* 19.), etiam Baſileenſe Concilium, in quo Conſtantienſis Concilii decreta renovata ſunt, ſaltem uſque ad ejus tranſlationem, a Pio II. fuiſſe confirmatum. At vero ſi Pius II. confirmare voluiſſet Baſileenſe Concilium, illius ſaltem meminiſſet, præſertim cum ibi retractet ea, quæ olim ipſe Baſileæ egerat, & ſcripſerat pro eodem Concilio contra Eugenium tum ante, tum poſt ejuſdem Concilii tranſlationem. Deinde deſcriptis verbis hæc ſtatim addit Pius II. *Quia non eſt corpus ſine Capite, & omnis ex Capite difluit in membra poteſtas....... Qui etſi filius eſt propter regenerationem; propter dignitatem tamen Pater habetur: Et ſicut filiationis cauſa venerari debet Eccleſiam tamquam matrem; ita & prælationis cauſa præfertur ei* (in aliquibus Mſſ. legitur *præeſt*), *ut Paſtor gregi, Princeps populo, Rector familiæ*. Ergo Conſtantienſe quidem Concilium, cujus decreta ad ſchiſmatis tempus, quo *indubi-*

dubi-

dubitatus Pontifex non eſt, referuntur, confirmat, ſed Baſileenſe, quod eadem decreta etiam *ſtante indubitato Romano Præſule*, vigere voluit, improbat, & rejicit. Et id quidem pervidit Natalis ipſe Alexander. Quare, *Si quid aliud*, inquit, *ſenſit Pius II.*, *rationibus certe ſuis conſuluit, & humani aliquid paſſus eſt, quod veritatem, quam in minoribus defenderat, ſtatim atque creatus eſt Pontifex, abſque examine deſeruerit, ejuraveritque.* Eſto. An non ergo Baſileenſia decreta rejecit Pius II? Sed falſo etiam affirmat Natalis Alexander, Pium II. priorem ſententiam abſque examine deſeruiſſe. Eam enim Juliani Cardinalis, qui Baſileenſi Concilio Eugenii nomine præfuit, pluraque pro Concilii auctoritate in Papam egerat, & ſcripſerat, exemplum ſecutus, deſeruerat ab anno 1452. ut conſtat ex ejus Oratione Viennæ adverſus Auſtrales habita, quam edidit Cl. Muratorius (*tom. 2. Anecdot.*). Cum enim illi a R. Pontificis judicio Concilium appellaſſent, ſupremam Pontificis auctoritatem propugnavit, atque oſtendit, ab eo Judice eos appellaſſe, qui Judicem in terris ſuperiorem habet nullum. In ipſa Conſtit. retract. ait: *Eramus pene laici, quando ad Eugenii obedientiam redivimus*. Sed de Baſileenſi Concilio nimis multa dixi.

Itaque cum Baſileenſes, diſſentiente R. Pontifice, decreta, de quibus agimus, ediderint, neque ullus Rom. Pontifex ea confirmaverit, in eo demum tota verſatur quæſtio, utrum decreta a Synodo quavis edita, diſſentiente Romano Pontifice, nec ab eo confirmata, legitima auctoritate edita, & velut œcumenicæ Synodi decreta ſint habenda? Affirmant Galli: negamus nos, ideſt duæ ſaltem e tribus Eccleſiæ partibus. Illi Synodi Baſileenſis auctoritate nobiſcum pugnare nequeunt; ea enim in quæſtione verſatur, quæ aliis propterea argumentis eſt decernenda. Atque nos quidem ex Sacris literis, & ex Traditione oſtendimus, ſupremam in Eccleſia poteſtatem non œcumenicæ Synodo, nec Eccleſiæ, ut a R. Pontifice ſejungitur, ſed Apoſtolo Petro, & Romano Pontifici immediate a Chriſto traditam eſſe. (1. & 2. *p.*): Præterea ex eadem Eccleſiæ traditione, & ex œcumenicarum Synodorum canonibus, rebuſque geſtis confecimus, Synodos abſque Romani Pontificis auctoritate congregatas Conciliabulis adnumerandas eſſe (2. *p. cap.* 19.), & decreta aut diſſentiente Romano Pontifice edita, aut ab eo non confirmata, irrita prorſus eſſe (*ibid. cap.* 28.). Baſileenſis autem Synodus Romano Pontifice diſſentiente niſi congregata, ſaltem celebrata eſt; ejuſque decreta a nullo Romano Pontifice confirmata, ſed ab Eugenio IV. & ab aliis improbata ſunt. Ergo Synodus Baſileenſis inter Conciliabula, ſaltem quoad rem, de qua agimus, numeranda eſt, ejuſque decreta nihili facienda ſunt.

CAPUT

CAPUT VI.

Diluit argumenta, quæ ducit Febronius ex Tridentinæ Synodi Actis.

I. Ipſum Concilium Tridentinum, inquit Febronius (*cap. 6. §. 1. n. 5.*), *ſuperioritatem in Pontificem actu exercuiſſe, variis locis deprehenditur. Sic 1. Concilium concipit decreta, & Canones ſuo nomine, & hac ratione ſibi ea attribuit. 2. Licet Paulus III. legatis ſuis dediſſet facultatem Concilii, cum neceſſe foret, alio transferendi, nihilominus translatio ipſa Bononiam ipſius auctoritate Synodi decreta, ordinata, & effectuata fuit ſeſſ. 9. die 21. Menſis Aprilis an. 1547. 3. Abolevit mandata Apoſtolica, & mentales reſervationes ſeſſ. 24. cap. 19. &c. 4. Inſinuat, Papam quaſdam poteſtates, quibus fruitur, ab Eccleſia tenere. Huc pertinet jus ſtatuendi, & diſpenſandi in impedimentis Matrimonii dirimentibus, anathema pronuncians can. 3. & 4. ſeſſ. 24. de Matrim. in eos, qui dixerint, Eccleſiæ jus non eſſe, novos gradus adjicere eis, qui in Levitico expreſſi ſunt, aut in horum aliquibus diſpenſare ... Committit Papam pro conceſſione uſus Calicis ſeſſ. 22. decreto ult. 5. Tribuit inerrantiam Eccleſiæ. Ait enim ſeſſ. 4. Eccleſiæ eſſe judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum .... Argumentum, quod hanc in rem ex ſeſſ. 21. cap. 1. deſumitur, reliquis fere validius eſt; in eo ad judicium Eccleſiæ ſic provocatur:* = Sancta Synodus a Spiritu S... edocta, atque ipſius Eccleſiæ judicium, & conſuetudinem ſecuta, declarat, ac docet &c.

II. Sed nugæ ſunt iſtiuſmodi argumenta, a quibus ego refellendis libentius abſtinerem, niſi vererer, ne fucum imperitis facerent. Itaque, quia Febronius controverſiam ipſam, de qua agimus, identidem oblitus eſſe videtur, eſt ei ſæpe in mentem revocanda. Cum quæritur, Synodus ne Pontifice, an Pontifex Synodo ſuperior ſit, ſecernenda eſt Synodus a Pontifice. Et ſiquidem conſtet, Synodum certo legitimam in Pontificem ab ipſa ſecretum *ſuperioritatem exercuiſſe*, nos victos eſſe, fatebimur. Sin vero conſtet, Pontificem in Synodum auctoritate ſua uſum eſſe, cauſa nobis adjudicanda erit. Jamvero ex Orientalium Synodorum Actis conſtat, Pontificem in ipſas Synodos auctoritate ſua uſum eſſe. Nam Cœleſtinus Epheſinæ Synodo non modo fidei dogma amplectendum, ſed etiam ſententiam in Neſtorium pronunciandam præſcripſit (*2. p. cap. 23.*). Leo M. ne phraſes quidem, quas ipſe in Epiſtola ad Flavianum uſurpaverat, a Synodo in fidei definitione prætermitti, paſſus eſt: Dioſcorum a Synodo veluti Epiſcopum, & Judicem recipi,

Digitized by Google

omnino vetuit (*ib. cap.* 24.): Canones ab univerſa Synodo probatos, *B. Petri Apoſtoli auctoritate, generali prorſus definitione caſſavit* (*ib. cap.* 28. *n.* 10.). Eadem auctoritate uſi ſunt Agatho, Hadrianus I. & Hadrianus II. in Synodos VI. VII. & VIII. (*ib. cap.* 25. 26. & 27.). E contra in earumdem Synodorum Actis nihil eſt, ex quo confici poſſit, eas auctoritatem in R. Pontificem exercuiſſe. Utraque res manifeſta fit etiam ex Actis Synodorum Occidentalium, quas veluti œcumenicas Catholici omnes venerantur; cujuſmodi ſunt quatuor Lateranenſes, duæ Lugdunenſes, Viennenſis, & Florentina. Cujus rei illud etiam non leve argumentum eſt, quod in earum Actis nihil Febronius invenerit, quod in rem ſuam duceret. Tridentina tantum Synodus plura ei argumenta ſuppeditat. Quanti ea ſint, expendamus.

III. *Concilium*, inquit, *decreta, & Canones ſuo nomine concipit, & Concilii tranſlationem Bononiam decernit*.

Verum primo: etiam œcumenica Concilia in Oriente celebrata communi nomine decreta ediderunt. Sed cum edenda decreta ipſis præſcripſerint Romani Pontifices, Pontifices quidem in Concilia, non vero Concilia in Pontifices *ſuperioritatem* exercuerunt. Deinde: cum omnes Concilii Patres ſint Judices, imo unum cum R. Pontifice Judicem, unumque Tribunal efficiant, communi quidem totius Concilii nomine decreta edi debent. An vero quia omnes Judices in eadem decreta conſentiunt, eaque communi nomine edunt, ideo in ſe mutuo ſuperioritatem exercent?

Sed Concilium *abolevit mandata Apoſtolica, & mentales reſervationes ſeſſ.* 24. *cap.* 19. *Item acceſſus, & regreſſus a Romanis Pontificibus eo ævo concedi ſolitos &c.*

Verum edita ne ſunt iſtiuſmodi reformationis decreta, invito R. Pontifice, ejuſve Legatis? Nonne Pontificis Legati ea primi probarunt, & ſubſcripſerunt, atque Synodo probanda propoſuerunt? Qui ergo dici poteſt Synodus auctoritatem ſupra Papam exercuiſſe?

Quod vero ait Febronius, *inſinuare Concilium, Papam quaſdam poteſtates, quibus fruitur, ab Eccleſia tenere*; eſt omnino falſum. Definiens enim Synodus (*ſeſſ.* 24. *de Sacram. Matr. can.* 3. & 4.) *Eccleſiam potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonii*, præter ea, quæ in Levitico exprimuntur, *& poſſe in nonnullis illorum diſpenſare*; Eccleſiæ nomine non fidelium multitudinem intelligit; quaſi ſignificare velit, eam poteſtatem fidelium multitudini datam eſſe: id enim a Catholico homine dici nequit (*vid. Proœm. n.* 5.); ſed intelligit Eccleſiæ Paſtores, ac præcipue R. Pontificem. Et eam quidem poteſtatem Romano Pontifici convenire, veluti certum ſumit Tridentina Synodus:

Digitized by Google

dus: nullibi vero eam ipſi ab Eccleſia, aut a Synodis commiſſam eſſe, affirmat. Nempe quidquid poteſtatis Romano Pontifici a Chriſto datum eſt, id Eccleſiæ Catholicæ, cujus ille Caput, Paſtor, & Rector eſt, datum eſſe, vere dicitur. Quemadmodum vere dicimus, eſſe e. c. in Galliis ſummam auctoritatem, quamvis non penes Populi multitudinem ea ſit, ſed penes Regem. In eumdem ſenſum accipienda ſunt ea loca, in quibus memorat Tridentina Synodus *conſenſum*, *judicium*, *interpretationem Eccleſiæ*, ideſt Paſtorum Eccleſiæ, niſi dicere Febronius velit, ſpectare ibi Synodum ad Sutorum, & muliercularum judicium. Imo eumdem in ſenſum provocat Synodus ad *conſuetudinem* Eccleſiæ, cum ait (*ſeſſ. 21. cap. 1.*): *Sancta Synodus a Spiritu Sancto... edocta, atque ipſius Eccleſiæ judicium, & conſuetudinem ſequuta, declarat, ac docet, nullo divino præcepto Laicos, & Clericos non conficientes, obligari ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub utraque ſpecie ſumendum*. Non enim ibi provocat Synodus ad conſuetudinem tantum Laicorum non ſumendi; ſed etiam, & præcipue ad Eccleſiæ Paſtorum conſuetudinem non adminiſtrandi Euchariſtiam ſub utraque ſpecie: niſi forte opinatur cum Proteſtantibus Febronius, Laicorum eſſe, interpretari præceptum Domini (*Jo. 6. 54.*): *Niſi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*.

Falſo etiam ait Febronius, Synodum *committere Papæ pro conceſſione uſus Calicis*: quaſi tribuerit Papæ facultatem ejus uſus concedendi. Synodus enim *decrevit*, *integrum negotium ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum eſſe referendum, prout præſenti decreto refert; qui pro ſua ſingulari prudentia id efficiat, quod utile Reip. Chriſtianæ, & ſalutare petentibus uſum Calicis fore, judicaverit*. Aſt integrum negotium ad Pontificem referre, non idem profecto eſt, atque facultatem ei committere. Si enim Senatus a Rege conſtitutus, ut de aliquo negotio judicaret, rei difficultate permotus, decerneret, integrum negotium ad Regem eſſe referendum; an ideo ipſe judicandi facultatem Regi tribueret?

IV. Hactenus Febronii argumenta ex Tridentinæ Synodi Actis ducta refutavi. Nonnulla ego nunc ex iiſdem Actis ducam, quæ Pontificem Synodo ſuperiorem eſſe, plane conficiunt. Iraque Tridentina Synodus ſeſſ. 25. cap. 21. *Poſtremo*, inquit, *Sancta Synodus omnia, & ſingula, ſub quibuſcumque clauſulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque Eccleſiaſtica diſciplina tam ſub fel. rec. Paulo III. ac Julio III. quam ſub beatiſſimo Pio IV. Pontificibus maximis in hoc Sacro Concilio ſtatuta ſunt, declarat, ita decreta fuiſſe, ut in his ſalva ſemper Sedis Apoſtolicæ authoritas & ſit, & eſſe intelligatur*. Jamvero qui fieri poteſt, ut Synodus perſuaſum habeat, ſe eſſe Pon-

Digitized by Google

tifice ſuperiorem, imo ſe in eum, niſi Synodi decretis parere velit, poſſe auctoritate ſua uti, & nihilominus, poſtquam multa decreta edidit, declaret, hæc ita decreta fuiſſe, *ut in his ſalva ſemper Pontificis auctoritas & ſit, & eſſe intelligatur?* Ego quidem, niſi plane bardus ſum, duo hæc ſecum pugnare, ideoque alterutrum falſum eſſe, intelligo. Poſtremum autem eſt verum; nam in Synodi Acta relatum eſt: Ergo falſum eſt primum.

Ait quidem Febronius, *per has clauſulas inferri non poſſe: quaſi ſacra hæc Synodus ſuorum decretorum vigorem ſummi Pontificis auctoritati, & Concilii jura ejus poteſtati ſubjecerit; quemadmodum demonſtrat Gibert:* Sed ipſe interea nullum aſſerti ſui argumentum profert. Giberti opus ad manum non habeo; ſed non dubito, futilibus argumentis rem hanc eum agere. Si quod enim ſolidum argumentum afferret, non illud prætermitteret Febronius in deſcribendis etiam prolixioribus ſimilium Scriptorum locis diligentiſſimus. Itaque argumenti loco ait, *obſervaſſe, & referre Illuſtr. Boſſuetum def. declar. Cler. Gall. lib.* 11. *cap.* 18. *his clauſulis Gallos ita commotos fuiſſe, ut vel ea cauſa Tridentinam Synodum admittere recuſaverint.* Sed nos non quærimus, quid ſenſerint, & quantum commoti fuerint Galliarum Senatus; ſed quid Tridentina Synodus ſenſerit, ac decreverit.

Denique Tridentina Synodus ſuorum decretorum confirmationem a Pontifice petiit: aſt decretorum confirmationem non petiiſſet, niſi Synodo Pontificem ſuperiorem eſſe, exiſtimaſſet. *Vide* 2. *p. cap.* 28. *n.* 21.

CAPUT VII.

Continet Febronii argumenta, eaque refellit.

I. FEbronius cap. 6. §. 1. oſtendendum aſſumit, *jura univerſalium Conciliorum prætenſo ſtatui monarchico Eccleſiæ repugnare. In primis*, inquit, *conſtat, a Generali Concilio univerſam Eccleſiam repræſentari, non item a ſolo Romano Pontifice. Conſtat item, generalia Concilia in Spiritu S. legitime congregata, ſuam immediate a Chriſto habere auctoritatem.* Id ſe probaſſe, ait, cap. 1. §. 5. ubi hæc Scripturæ teſtimonia affert: = Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis = (*Jo.* 14.): = Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum = (*Matth.* 18. 20.): = Ut ſcias, quomodo oporteat, te in Domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis (1. *Tim.* 3.). = Viſum

ſum eſt Spiritui Sancto, & nobis = (*Act.* 15.). Quare Baſileenſes (ad Eugen. P.) ajunt: *Ipſe Spiritus Sanctus adſtabit medius judex & arbiter* (inter Eugenium, & ipſos), *quid in Eccleſia Dei tenendum, & agendum ſit. Aderit plane Spiritus Sanctus, in cujus nomine congregata eſt hæc S. Synodus... Blaſphemia eſſet, ſiquis negaret, Spiritum S. dictare ſententias, Canones, & decreta Conciliorum.*

Et hæc quidem Apoſtolorum Collegio promiſit Chriſtus. De ſingulis vero, *ne excepto quidem primo*, ait (*Matth.* 23.): = Nolite vocari Rabbi &c. =. Præterea ait Petro (*Matth.* 18.): = Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum... Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos... Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus =. Aſt etiam Pontifex eſt *Frater*; poteſt itaque, & debet corrigi, *maxime ſi ob hæreſim*, inquit Febronius, *ſchiſma, vel diſſolutos mores multis ſcandalo ſit, & offenſioni*. Si vero *Fratrem corripientem, vel adhibitis teſtibus, non audierit, denunciandus erit Eccleſiæ non diſperſæ, quæ ipſum coercere non valebit, ſed congregatæ in univerſali Concilio*: Eccleſia enim *non poteſt eſſe ipſe Pontifex; ne idem ſit reus, & Judex. Sed non poſſet Papa Eccleſiæ ſic congregatæ denunciari, nec ab ea corrigi, niſi hujus eſſet ſuperior poteſtas, immediate a Deo accepta ad ligandum, ſolvendumque omnes fideles, atque ipſum etiam Romanum Pontificem.* Hactenus Febronius.

II. Hæc autem argumenta, quæ plurimi ipſe facit, nonniſi imperitos decipere poſſunt. Enimvero fateor, Concilia generalia in Spiritu Sancto legitime congregata, univerſam Eccleſiam repræſentare, & auctoritatem a Deo habere immediate. Sed cum etiam Hæreticorum, & Schiſmaticorum Conciliabula, ſe in Spiritu Sancto legitime congregata eſſe, & univerſam Eccleſiam repræſentare, contendant, opus eſt *criterio* aliquo, quo legitima Concilia a Conciliabulis diſcernere quiſque facile poſſit. Rurſus: cum fieri poſſit, ut Concilia etiam in Spiritu Sancto legitime congregata, & univerſam Eccleſiam repræſentantia, Canones edant non a Spiritu Sancto dictatos, cujuſmodi fuerunt, quos edidit Concilium Chalcedonenſe; ſtatuendum eſt criterium, quo decreta a Spiritu Sancto dictata, a decretis humano Spiritu editis ſecerni poſſint. Jamvero juxta antiquiſſimam Eccleſiæ Traditionem, quam alibi (2. *p. cap.* 19. *n.* 3. & 4.) exponebam, ea tantum Concilia legitima ſunt, & univerſalem Eccleſiam repræſentant, quæ auctoritate Romani Pontificis celebrantur, eumque ſecum vel decernentem, vel decreta probantem habent. Patres quidem Septimæ œcumenicæ Synodi hoc argumento negarunt, Synodum a 338. Epiſcopis Conſtantinopoli celebratam, fuiſſe *magnam*, & *generalem*;

quod

quod ſcilicet *non habuerit cooperantem illius temporis Romanorum Papam, ut poſtulat Lex Conciliorum*. Rurſus: juxta antiquiſſimum Eccleſiæ Canonem ea tantum Conciliorum decreta veluti a Spiritu S. dictata, ſuſcipienda ſunt, quæ vel Romani Pontificis ſententiâ edita ſunt, vel ab eo probata ſunt (*ib. & cap.* 28. *n.* 4. 10. *&* 14.). Ergo Concilia, quæ abſque Romani Pontificis auctoritate celebrantur, eumque *cooperantem* non habent, in Spiritu S. legitime congregata non ſunt, nec univerſam Chriſti Eccleſiam repræſentant, ſed Conciliabula ſunt; eorumque, & aliorum etiam legitimorum decreta, R. Pontifici non probata, Spiritui Sancto tribui nequeunt. Ergo ad prioris tantum, non vero etiam ad poſterioris generis Concilia, & decreta ſpectant Chriſti promiſſiones, & memorata a Febronio Scripturæ teſtimonia. His ergo Scripturæ teſtimoniis abutitur Febronius cum Baſileenſibus, ea referens (*cap.* 6. §. 16. *n.* 5.) etiam *ad Concilium a Papa derelictum, eoque contradicente* celebratum. Et Patrum quidem nemo ad hujuſce generis Concilia retulit memorata Scripturæ teſtimonia, niſi forte impius Dioſcorus Alexandrinus, Photius, Iconomachi, & qui eos hac in re ſecuti ſunt, Baſileenſes. Perperam igitur ex iis Scripturæ teſtimoniis concludit Febronius, *potiorem eſſe Concilii a Papa derelicti*, quam ipſius Papæ auctoritatem, & *jura univerſalium Conciliorum ſtatui Monarchico Eccleſiæ repugnare*.

III. Quid vero ſibi vult Febronius, cum ait, *a generali Concilio univerſalem Eccleſiam repræſentari, non item a ſolo R. Pontifice?* Si enim de Concilio loquitur, quod auctoritate R. Pontificis congregatum eſt, eumque cooperantem habet, fateor, ab iſtiuſmodi Concilio univerſam Eccleſiam repræſentari; ſed nego, non repræſentari univerſam Eccleſiam a ſolo R. Pontifice. Conſtans enim S. Auguſtini dogma eſt, ut vult Febronius ipſe (*cap.* 1. §. 6. *n.* 4.), S. Petrum, cum Claves regni cœlorum, ideſt Eccleſiæ Primatum, & ſummam auctoritatem a Chriſto accepit, geſſiſſe figuram, & perſonam Eccleſiæ (*vid.* 1. *p. cap.* 3. *n.* 7. *ſeqq.*). Ergo S. Petrus etiam ſolus propter ſuum Primatum univerſam Eccleſiam repræſentabat. Ergo etiam Romanus Pontifex, qui in Petri Primatum ſuccedit, propter eumdem Primatum univerſam Eccleſiam etiam ſolus repræſentat. Id præterea demonſtrat communionis ab omnibus, qui Catholici eſſe volunt, cum Romano Pontifice conſervandæ neceſſitas. Niſi enim ſolus R. Pontifex Catholicam Eccleſiam repræſentaret, poſſet quis eſſe Catholicus etiam ſine communione cum R. Pontifice. Quare Neſtoriani Epiſcopi, quos nuper ad Eccleſiam Catholicam rediiſſe, ingenti cum gaudio audivimus, unius Ro. Pontificis communionem quæſierunt: vetuſtiſſima Traditione edocti, eos tantum eſſe Eccleſiæ Catholicę membra, qui cum ejus Capite R. Pontifice communio-

munionem habent. Id autem verum non eſſet, niſi Romanus Pontifex etiam ſolus Catholicam Eccleſiam repræſentaret. Igitur non modo Concilium generale, quod quidem R. Pontificis auctoritate congregatum eſt, eumque cooperantem habet, ſed etiam ſolus R. Pontifex univerſam Eccleſiam repræſentat.

Si vero loquitur Febronius de Concilio generali, quod a Pontifice derelictum eſt, eoque contradicente celebratur, nego iſtiuſmodi Concilium univerſam Eccleſiam repræſentare. Id ex ſuperius a me allatis argumentis conſtat.

IV. Quod attinet ad reliqua duo Scripturæ teſtimonia, iis quoque abutitur Febronius. Sed de primo alibi dixi (1. *p. cap.* 5. *n.* 7.): quare poſtremum tantum nunc expendam. Mihi quidem ridendi potius, quam refutandi eſſe, videntur Gerſonius, Natalis Alexander, Febronius, aliique eorum ſimiles, qui ex iis Chriſti verbis: *dic Eccleſiæ*: colligunt, R. Pontificem Fratrum correctionem contemnentem ad Synodum generalem deferendum eſſe; quaſi Eccleſia, ad quam deferendus eſt peccator, ſit Fidelium, aut Epiſcoporum Synodus. Grave quidem, & permoleſtum eſſet Eccleſiæ negotium, ſi quotieſcumque Peccatores Fratrum correctionem contemnunt, Fidelium, aut Epiſcoporum multitudo congreganda eſſet, quæ eos corrigeret. Ubique enim locorum perpetua Synodus habenda eſſet. Sed Febronii interpretatio ab Eccleſiæ ſententia, & conſuetudine prorſus aliena eſt. Hæc enim Eccleſiæ nomine non fidelium multitudinem, nec Epiſcoporum Synodum, ſed Eccleſiæ Præſides intellexit, uti etiam docuerunt Origenes (*in Matth.*), S. Johannes Chryſoſtomus (*hom.* 60. *al.* 61. *in Matth.*) Theophilactus, Euthymius (*in eum loc.*), & alii plurimi. Cum igitur Romanus Pontifex omnibus aliis Eccleſiæ Præſidibus auctoritate præſter, nemo ei; moneri quidem a Minoribus poteſt, & corrigi, ſi peccaverit, uti correxit S. Petrum Apoſtolus Paulus, ſed ad Eccleſiam deferendus non eſt. Quid igitur agendum eſt, ſi Fratrum monita contemnat? Scilicet *arbitrio divino eſt dimittendus*, ut ſtatuit R. Synodus habita in Cauſa Symmachi (*vid. ſup. cap.* 2.).

Aſt, inquit Febronius, Chriſtus præcipit ut Peccator quilibet deferatur ad Eccleſiam: Eccleſia autem non *poteſt eſſe ipſe Pontifex, ne idem ſit reus, & judex; nec Eccleſia diſperſa, quæ ipſum coercere non valebit: ergo eſt Eccleſia congregata.*

Perlepidum quidem argumentum! facile enim eo conficitur, ne ad Synodum quidem Pontificem eſſe deferendum 1. enim Pontifex deferendus profecto non eſt ad judicem, qui nullibi eſt: Synodus autem oecumenica nullibi eſt. 2. Pontifex ut ſummum deferendus eſt ad Synodum legitimam: Synodus autem legitima abſque

Ponti-

Pontificis auctoritate celebrari nequit (*ex ſupp.*): ergo quoniam in Synodum ipſum judicaturam Pontifex nunquam conſentiet, nulla unquam legitima Synodus celebrabitur, ad quam Pontifex ipſe deferri poſſit. Ergo demum Eccleſia, cui denunciandus eſt Pontifex, eſt Pontifex ipſe, ut proinde ipſe ſit reus ſimul, & Judex. Id equidem abſurdum Febronio videtur: Sed Apoſtolicæ dignitati, & auctoritati, qua *major nulla eſt*, ut ait S. Nicolaus I. (*ep.* 8.), conſentaneum eſſe, viſum eſt S. Ivoni Carnutenſi (*ſup. cap.* 2. *n.* 6.), & S. Bernardo (*ib. cap.* 3. *n.* 14.), imo ex communi veteris Eccleſiæ perſuaſione, Romanum Pontificem *humano judicio non ſubjacere*, neceſſario conſequitur. *Vide ſup. cap.* 2.

Præterea Febronius, poſtquam prolixam æque, & ineptam, atque ſuperioribus Capitibus a me refutatam Gerſonii argumentationem deſcripſit (*ib. n.* 1. *&* 2.); ait (*n.* 3.), S. Petrum fuiſſe membrum Eccleſiæ, *ut ut principalius*. *Quis autem dubitet*, inquit, *uni membro minorem eſſe authoritatem, quam toti Corpori*. Sed iſtud ego argumentum refutavi ſuperius (*cap.* 1. *n.* 5. *&* 9.). Verum addit Febronius: *Agnovit id S. Gregorius M. lib.* 5. *ep.* 18. (*al. lib.* 4. *ep.* 39.) *ad Jo. C. P. ſcribens*. = Certe Petrus Apoſtolus primum membrum Sanctæ, & univerſalis Eccleſiæ eſt. Paulus, Andreas, Johannes quid aliud, quam ſingularium ſunt plebium Capita. Et tamen ſub uno Capite omnes membra ſunt Eccleſiæ =.

Verum conſecutionem ex S. Gregorii verbis ducit Febronius, quæ non modo in iis non continetur, ſed etiam contraria eſt ei, quæ ex iis ſponte ſua fluit. Etenim S. Gregorius ait, Petrum eſſe primum membrum, ideſt Caput univerſalis Eccleſiæ, cui, ut alibi (*lib.* 2. *ep.* 76. *ad Marc. Aug.*) dicit, *totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt*: Paulus vero, Andreas, Johannes non *univerſalis Eccleſiæ*, ſed *ſingularium Plebium ſunt Capita*. Major autem eſt Pauli, Andreæ, Johannis, quam ſingularium Plebium, quarum illi Capita ſunt, auctoritas: ergo major eſt etiam Petri, quam univerſalis Eccleſiæ auctoritas.

Denique affert Febronius quoddam S. Hieronymi effatum, quod eſt hujuſmodi apud Gratianum diſt. 39. can. 24. = Si auctoritas quæritur, Orbis major eſt Urbe =: *quo loco*, ait Febronius, *non quæritur, quis multitudine, aut quantitate, ſed quis authoritate præſtet*.

Verum agit ne ibi S. Doctor de auctoritate Romani Pontificis? Nequaquam. In epiſtola enim 85. ad Evagrium, ex qua memoratam ſententiam deſumpſit Gratianus, redarguit S. Hieronymus quemdam, qui *Diaconos Presbyteris anteferebat*, eo etiam uſus argumento, quod *Romæ ad teſtimonium Diaconi Presbyter ordinaretur, & Diaconi inter Presbyteros abſente Epiſcopo ſederent*. Hanc autem Dia-

conorum

conorum Romanorum conſuetudinem carpens S. Hieronymus, ait: Si auctoritas &c. Quare non de auctoritate Romani Pontificis, ſed de auctoritate conſuetudinis perperam a Romanis Diaconis invectæ ibi agit S. Doctor. De auctoritate autem R. Pontificis lege, quæ ſcribit Damaſo epiſt. 57.

CAPUT VIII.

Refellit argumenta, quibus Julianus Synodi Baſileenſis Præſes pro Conciliorum in R. Pontificem auctoritate depugnavit.

I. Julianus Cardinalis Cæſarinius, Patriâ Romanus, moribus & Doctrina conſpicuus, cum Apoſtolicæ Sedis Legatione apud Baſileenſem Synodum fungeretur, multa geſſit, ſcripſitque pro ſumma Synodi etiam in Eugenium IV. auctoritate. Sed cum Eugenius Synodum Ferrariam transferri decreviſſet, Julianus ad Eugenium defecit, & quæ geſſerat, ſcripſeratque pro Concilii auctoritate, retractavit. Rem narrat Pius II. in *Bulla retractat*. In colloquio enim Viennæ habito: *Tuebamur*, inquit Pius, *antiquam ſententiam: ille novam defendebat. Extollebamus generalis Concilii authoritatem: ille Apoſtolicæ Sedis poteſtatem magnopere collaudabat .... ad extremum cum ſuis ſcriptis, dictiſque Cardinalem vinceremus, premeremuſque vehementer, ſubridens ille, Tu, inquit, Ænea, tabellis obſignatis agis mecum: & quoniam aliquando ſenſimus, ut dicis, idcirco & hodie idem putas debere ſentire .... Fateor, me dixiſſe, & ſcripſiſſe, quæ refers; verum a vero remotum erraſſe: At tu, qui, ut ais, me Doctore Baſileenſibus credere adductus es, errantem olim ſectatus es, cur modo non ſequeris recta monentem? Præſumpſi de me ipſo, dum eſſem Baſileæ: nimis, quamvis deceptus, decepi, & credens prodeſſe, nocui. In medio Eccleſiæ docens, quæ non didici, cæcus erravi, & in tenebris ambulavi. Reliqui tandem Eccleſiam malignantium, & cum impiis ſedere recuſavi .... cognovi priorem errorem .... & Eugenio, cui fuiſſem rebellis, ſubmiſi cervicem: a quo miſericordiam conſecutus, ad unionem Græcorum navavi operam ..... ad fontem veri perveni, quem Sancti Doctores oſtendunt Græci, & Latini, quorum una vox eſt, ſalvari non poſſe, qui S. R. Eccleſiæ non tenet unitatem, omneſque illas virtutes maneas eſſe ei, qui Summo Pontifici obedire recuſat ... Romanum Præſulem in Eccleſiæ vertice conſtitutum eſſe, conſtat, a quo nullam ex Ovibus Chriſti exemptam novimus. Ego ad ovile redii, qui diu erraveram extra Caulas, & Paſtoris Eugenii vocem*

 audivi.

audivi. Tu, ſi ſapias, idem facies. Hæſerunt, addit Pius II., *pectori noſtro verba Viri, quæ ſæpe ad nos repetiit non ſine charitate ardenti, & amore ſingulari. Multum profuit nobis &c.... Quibus conſideratis, caligo tandem ab oculis noſtris cecidit... Eramuſque adhuc pene Laici, quando ad Eugenii obedientiam redivimus*. Prolixiorem hunc locum ex Bulla Pii II. conſultò deſcripſi. Febronius enim, ut eſt ſubleſtæ fidei homo, ſæpe (*præſertim cap. 6. §. 1. n. 3. & §. 16.*). Julianum ſummis laudibus effert, ut vim, & auctoritatem iis addat, quæ pro Synodo Baſileenſi, ejuſque in Pontificem auctoritate Julianus ſcripſit, atque ut imperiti ſaltem, tanti Viri auctoritate permoti, Concilium Pontifici præferant: Quamobrem Juliani retractationem caute ſilentio præterit. Sed utinam Febronius, qui Juniorem Julianum *errantem* ſectatus eſt, ſequatur tandem ſenem *recta monentem*.

Ne autem Juliani ea, quæ olim pro Synodis ſcripſerat, retractantis auctoritati nimium concedere videar; argumenta etiam refellam, quibus ille pro ſumma Synodorum in R. Pontificem auctoritate depugnavit in diſputatione habita cum Archiepiſcopo Spalatenſi Eugenii Legato. Ea affeтuntur a Febronio cap. 6. §. 16. veluti *potiora* in hanc rem.

II. 1. Itaque *cum generale Concilium*, inquit Julianus, *ſit adunatio totius Eccleſiæ, facta in virtute, & auctoritate Spiritus Sancti, ſequitur, ibi in repræſentatione eſſe Eccleſiam, ubi eſt Concilium*.

Recte quidem concludit Julianus, id veluti certum ſumens, quod in quæſtione verſatur; ſcilicet Generale Concilium, quod a Pontifice diſſolutum eſt, quodque in Pontificem ſententiam dicere audet, quod demum decreta a Pontifice improbata edit, *eſſe adunationem Eccleſiæ factam in virtute, & auctoritate Spiritus Sancti*. Id non veluti certum ſumere, ſed demonſtrare, Juliani erat. Nos quidem invictiſſimis argumentis oſtendimus (2. *p. cap.* 19. *& alibi*), hujuſmodi Concilium eſſe Conciliabulum, longe alia, quam Spiritus Sancti auctoritate *adunatum*.

III. 2. *Claves*, ait Julianus, *in perſona Petri Eccleſiæ datæ ſunt: neque enim Eccleſia propter Papam, ſed Papa eſt propter Eccleſiam: & non dicitur*; = Credo in Papam =: *ſed*: in Sanctam Eccleſiam Catholicam =. *Proinde quidquid Papa tamquam miniſteriale Caput Eccleſiæ, & ejus jure, ac nomine poteſt; hoc multo magis illa in Spiritu Sancto congregata, valebit per ſe ipſam*.

Verum Claves datas eſſe non Eccleſiæ, ſed Petro immediate, alibi (1. *p. cap.* 3.) ego oſtendi. Utraque autem ratio, quam Julianus affert, falſa, & inepta eſt. Nam neque Regnum perfecte Monarchicum, eſt propter Regem, ſed Rex eſt propter Regnum; nec

Digitized by Google

nec tamen ſummum imperium eſt apud Regnum, ſed eſt apud Regem. Scilicet Pontifici quidem datæ ſunt Claves a Chriſto, ſed ad utilitatem Eccleſiæ illi datæ ſunt: quemadmodum Regi non ipſius, ſed Regni commodo, & utilitati data eſt a Deo ſumma poteſtas. Cum vero ait Julianus, non dici: *Credo in Papam*; Concilii Conſtantienſis oblitus eſſe videtur. Nam inter articulos Wicleſi ab illo damnatos, ſunt etiam hi: *Eccleſia R. (n. 37.) eſt ſynagoga Satanæ, nec Papa eſt proximus, & immediatus Vicarius Chriſti, & Apoſtolorum. Non eſt (n. 41.) de neceſſitate ſalutis credere, Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias*: Cui articulo hæc apponitur cenſura: *Error eſt.... pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares*. Quare Martinus V. decernit, ut qui de damnatis articulis ſuſpectus eſt, interrogetur, præter alia, *utrum credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expreſſo, ſit Succeſſor B. Petri, habens ſupremam authoritatem in Eccleſia Dei*. Ergo ſiquidem Catholici eſſe volumus, debemus credere etiam *in Papam*: quod fidei dogma continetur in illo, quod exprimitur in Symbolo: *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam*. Neque enim credit *Sanctam Eccleſiam Catholicam*, qui non credit *Papam* Eccleſiæ Catholicæ Caput a Chriſto datum. Cum igitur quæ Julianus ſtatuit antecedentia, falſa ſint; conſecutio quoque, quam ex iis ducit, falſa eſt. Cæterum iſtiuſmodi argumentum diligentiſſime a me refutatum eſt *1. p. cap. 3*.

IV. 3. *Aſſeverant Ss. Patres*, inquit Julianus, *decreta generalium Conciliorum, tamquam ab univerſali Eccleſia condita, & a Spiritu Sancto dictata, ſicut Sancta quatuor Evangelia, veneranda, ſervandaque eſſe*. Addit Febronius, *talia de Conſtitutionibus, quæ a ſolis Romanis Pontificibus emanant, non tradi*.

Imo vel ipſi Romani Pontifices, ajo ego, generalium Conciliorum decreta ſe venerari profeſſi ſunt. Sed quæ? Ea ne, quæ abſque Romani Pontificis auctoritate edita ſunt, aut ab eo confirmata non ſunt? S. Gregorius (*epiſt. 49. lib. 2.*), ſe quatuor generalia Concilia Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe, veluti quatuor Evangelia ſuſcipere, & venerari, profeſſus eſt; ſed Conciliorum Conſtantinopolitani, & Chalcedonenſis Canones omnino rejecit: Quia ſcilicet decreta quidem fidei ab illis Conciliis edita, Romani Pontifices confirmaverant; Canones vero rejecerant. Itaque Sancti Patres, & univerſa Eccleſia ea tantum Concilia, & Conciliorum decreta venerata eſt, quæ ab Eccleſia Romana probata, & confirmata ſunt. Porro Synodi Baſileenſis decreta aliqua quidem a Romana Eccleſia probata ſunt: ſed decreta, quæ Synodus illa edidit contra auctoritatem Romani Pontificis, a Romana Eccleſia con-

ſtantiſſime refutata ſunt: *Quod autem in Synodo refutavit Sedes Apoſtolica*, inquit S. Gelaſius, *habere non potuit firmitatem*. *Vid.* 2. *p. cap.* 19. *&* 28. Quare cum Eccleſia eas tantum Synodorum Conſtitutiones veluti Evangelia venerata ſit, quas Apoſtolica Sedes probavit, confirmavitque, tota demum tantæ venerationis cauſa eſt Apoſtolicæ Sedis auctoritas; quaſi ab ea ſola manaſſent. Quamquam Eccleſia ſolius etiam Apoſtolicæ Sedis Conſtitutiones veluti divina oracula venerata eſt, ut conſtat ex generalium Synodorum Actis (2. *p. cap.* 24. *n.* 3. *cap.* 26. *n.* 2. *cap.* 27. *n.* 2.).

V. Vel ipſe Febronius fatetur, nos *nullum velle agnoſcere Concilium pro Generali, niſi cui Papa præſideat*. *Sed his*, inquit, *ex mente Cardinalis Juliani ſatisfaciemus infra num.* 5. & 11. Audiamus, quæſo, ejus argumenta: *Baſileenſes*, inquit *n.* 5. *non ſolum verbis decretorum* (Concilii Conſtantienſis), *ſed & concomitantibus ejuſdem Synodi actionibus, vim, & ſenſum verborum interpretantibus, uſi ſunt ad probandam auctoritatem Concilii etiam a Papa derelicti, eoque contradicente. Concilium Conſtantienſe, inquit Card. Julianus, declaravit diſceſſum Johannis XXIII. ſcandaloſum, & turbativum univerſalis Eccleſiæ: & tamen per talem fugam non diſſolvebatur Concilium*. Egregie quidem, Febroni. Sed nos negamus, Concilium Conſtantienſe fuiſſe œcumenicum, antequam ad illud acceſſerunt qui a Gregorio, & Benedicto ſtabant. Id negavit etiam Johannes a Turrecremata, qui Synodo interfuit. Imo negamus, fuiſſe œcumenicum ante electionem Martini V. Nam *neque magna*, neque *œcumenica eſt Synodus, quæ non habet cooperantem illius temporis*, quo celebratur, *Romanorum Papam*, quemadmodum declaravit Septima certo œcumenica Synodus (2. *p. cap.* 19.). Aſt Conſtantienſis Synodi tempore nullus erat Romanorum Papa certo legitimus (*vid. ſup. cap.* 4. *n.* 2.): vel ſiquis erat, eum Synodus *cooperantem* non habuit, ut fatetur Julianus ipſe. Ergo ante Martini V. electionem neque *magna*, neque *œcumenica* fuit. Niſi Febronius Traditionis monumenta convellat, quæ a me alibi (2. *p. cap.* 19.) allata ſunt, nunquam conficiet, Conſtantienſem Synodum ante ſeſſionem 42. fuiſſe œcumenicam.

Præterea dicimus, Synodorum etiam œcumenicarum decreta rata, & firma non eſſe, niſi a R. Pontifice probata, & confirmata fuerint. Id ego validiſſimis argumentis alibi oſtendi (2. *p. cap.* 28.). Decreta autem Synodi Conſtantienſis, de quibus ſermo eſt, a Martino V. vel confirmata non ſunt (*vid. cap.* 4. *n.* 5.); vel non in eum ſenſum, in quem ea Baſileenſes acceperunt, confirmata ſunt (*ib. n.* 6. *ſeqq.*). Eugenius vero ea in Baſileenſium ſenſum accepta, apertiſſime refutavit (*cap.* 5. *n.* 5. *ſeqq.*). Ergo iſtiuſmodi decreta irrita ſunt. Fruſtra igitur Synodi Conſtantienſis decretis uſi ſunt Julianus, & Baſileen-

Digitized by Google

Baſileenſes *ad probandam auctoritatem Concilii etiam a Papa derelicti, eoque contradicente*.

VI. Audiamus nunc, quomodo nobis ſatisfaciat Febronius num. 11. *Poſſe*, inquit, *etiam ſine præſidio Papæ in Generalibus Conciliis ordinate procedi, probarunt Conſtantinopolitanum anni 381. & Conſtantienſe inde a fuga Johannis XXIII. uſque ad electionem Martini V.*

Egregie iterum, Febroni. Sed Concilium C. P. œcumenicis adnumeratum non eſt, niſi poſtquam hanc illi dignitatem tribuit, quoad Fidei definitionem, Apoſtolica Sedes, quæ tamen ejus Canones rejecit (*vid.* 2. *p. cap.* 20. *n.* 4.). De Concilio Conſtantienſi multa jam dixi. Ad Juliani argumenta regredior.

4. *Concilium generale*, ait Julianus, *ſuperius eſt Pontifice, habens conformiter decreto Concilii Conſtantienſis jus reformandi Eccleſiam in Capite, & in membris* (huic argumento ſuperius abunde ſatisfeci). *Hanc poteſtatem Concilia effective exercuerunt: Romanum anno 963. deponendo Papam Joannem XII.*

Verum Romanum iſtud Concilium Febronius quidem legitimum fuiſſe, putat, ſed Conciliabulum fuiſſe, demonſtravit non modo Baronius, ſed etiam cum aliis Natalis Alexander (*in h. e. ſæc.* 9. & 10. *diſſ.* 16.). Et 1. quidem Concilium iſtud contra Canones congregatum, & celebratum eſt: 2. etiam propoſitionem contra Catholicam Fidem aſſeruit; improbum nempe Pontificem poteſtatem ligandi, & ſolvendi amittere. 3. Concilio illi aliud Concilium oppoſuit Johannes, quod Leonem veluti intruſum, & illegitimum damnavit. 4. Si legitime ab eo Concilio Johannem damnatum eſſe, dicimus, fateamur etiam neceſſe eſt, Romanum Pontificem a Provinciali Synodo legitime damnari poſſe; quod ne Febronius quidem affirmat. Denique argumenta, quæ a me ſuperius ex veteri Eccleſiæ Traditione allata ſunt (*cap.* 2.), inviĉtiſſime oſtendunt, temere, & abſque legitima auctoritate a Romano Concilio Johannem judicatum eſſe. Quod vero jure abdicatum fuiſſe Johannem, non dubitaverint Luitprandus, Andreas Bremenſis, & alii, qui Luitprandum ſecuti ſunt, id nihil auctoritatis Romano Conciliabulo tribuit. Eorum enim plerique, ut qui Germani erant, Ottoni Imperatori adulantium more nimium tribuerunt. Quamquam Otto Friſingenſis (*lib.* 6. *cap.* 23.): *Otto*, inquit, *miſſa legatione, Papam* (Johannem) *revocat; ſed eo venire nolente, collecta Synodo Epiſcoporum, Leonem ei in Pontificatu ſubſtituit. Quæ omnia utrum licite, an ſecus acta ſint, dicere, præſentis non eſt operis. Res enim geſtas ſcribere, non geſtarum rerum rationem reddere propoſuimus.*

Sed *nobis*, inquit Febronius, *in præſentiarum ſufficit, ſæculo X., & deinceps communiter in Eccleſia creditum fuiſſe, Romanos Pontifices*

propter

propter impia facta, & ſcandaloſam vitam a Conciliis deponi poſſe.

Sed quænam, quæſo, Eccleſia id credidit? Nempe Conciliabulum, quod etiam a Catholica fide erravit; & Hiſtorici Imperatoris, cujus operâ coactum eſt, adulatores. Cæterum Eccleſiam Catholicam longe aliter ſenſiſſe, me ſuperius (*cap.* 2.) demonſtraſſe, confido.

VII. Quid vero dicimus, quod idem cum Romano Conciliabulo credidit etiam Innocentius III? Febronius quidem hac de re dubitari non vult. *Hoc ſane*, inquit, *creditum fuit Innocentio III. Cum ad Philippum Auguſtum ab Ingeburge Conjuge ſeparari cupientem, Epiſt.* 106. *lib.* 15. *ſcriberet:* = *Si ſuper hoc abſque Generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offenſam, & mundanam infamiam, forſan Ordinis, & Officii nobis periculum immineret, cum contra præmiſſam veritatis ſententiam noſtra non poſſit auctoritas diſpenſare* =. Alibi vero (§. 10. *n.* 5.) ex his Innocentii verbis colligit Febronius, eum Philippi *cauſam ad futurum Concilium remiſiſſe, cujus amplior ſit auctoritas, quam Pontificis, & a quo ipſe periculum ordinis, & officii metuere poſſit.*

Ego vero Febronii oſcitantiam miror, qui Innocentii mentem aſſecutus non eſt; quæ tamen ex præcedentibus ejus verbis manifeſte colligitur. Cum enim Philippi conjux matrimonium conſummatum eſſe, jurejurando affirmaret: *Non auderemus*, ait Innocentius, *ſuper hujuſcemodi caſu de noſtro ſenſu pro te aliquid definire, propter illam ſententiam Evangelicam, quam ipſe Chriſtus expreſſit; ut quod Deus conjunxit, homo non ſeparet; cum abſque dubio nec Sanctorum exempla, nec Patrum decreta intentioni tuæ in hoc articulo ſuffragentur. Verum ſi ſuper hoc &c.* Exiſtimavit igitur Innocentius, Regis petitionem Chriſti ſententiæ contrariam eſſe. Aſt credidit ne doctiſſimus Pontifex, Generalis Concilii auctoritate Chriſti ſententiæ derogari poſſe? Igitur Philippi cauſam ad generale Concilium remiſit Pontifex, non quod exiſtimaret, Concilii auctoritate Matrimonium conſummatum dirimi poſſe; aut ampliorem eſſe Concilii, quam Pontificis auctoritatem; ſed tum ut congregandi generalis Concilii difficultate Regem ab ea petitione deterreret, tum ut denegatæ diſpenſationis invidiam a ſe amoveret. Quare etiam addit, ſibi *forſan Ordinis, & Officii periculum imminere, ſi ſuper hoc abſque Generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaret*. Ipſe quidem Innocentius, cujus verba etiam Febronius affert (*ib. n.* 5.), teſtatur (*ſerm.* 2. *de Conſecr. Pontif.*), *ſe propter ſolum peccatum, quod in fidem committitur, poſſe ab Eccleſia judicari*.

VIII. 5. Pergit porro Julianus: *Eamdem poteſtatem, & jus exercuit Conſtantienſe Concilium in Joannem XXIII.*

Sed

Digitized by Google

Sed 1. Johannes non erat Papa certo legitimus (*ſup. cap.* 4. *n.* 2.). 2. quamvis Conſtantienſis Synodus perſuaſum omnino non haberet, Johannem eſſe legitimum Papam, nihilominus ne in ipſum quidem ſe certam auctoritatem habere credidit. Quare enim *Cardinales, & deputati tractaverunt materiam, ut Papa conſentiret ſententiæ ſuæ depoſitionis, & ex abundanti renunciaret?* Quare reipſa *ex abundanti renunciaſſe* dicitur?

Addit Febronius, nos *fateri, Pontificem hæreticum deponi poſſe. Verum*, inquit, *in primis non ſolum lupus reputatur ille, qui talis eſt ex vitio fidei, ſed etiam qui ex morum incorrigibilitate.*

Verum ignorat ne, an ignorare ſe fingit Febronius, quid hæreticum inter, & peccatorem interſit? An neſcit, hæreticum extra Eccleſiam eſſe: Peccatorem vero, qui fidei vitio non laborat, adhuc in Eccleſia eſſe? Hæc cum facile Catholicus quiſque Theologus docebit: Pontifex igitur Peccator in Eccleſia adhuc eſt, ejuſdemque Eccleſiæ Caput. Quamdiu autem Eccleſiæ Caput eſt, neque ab Eccleſia, neque ab œcumenica Synodo dignitate privari poteſt, quemadmodum hactenus demonſtratum eſt. Si vero Pontifex in hæreſim ſponte labatur, atque pervicax in ea perſtet, ab Eccleſia ſponte recedit. Ergo Eccleſiæ Caput ultra non eſt. quin opus ſit, ut dignitate privetur. Ergo Pontifex hæreticus non ſecus ac alii hæretici ab Eccleſia judicari poteſt.

Sed reſpondet Febronius: *Si hæreſeos crimen ipſo jure privationis pœnam inducit, erit hoc indubie ex jure Eccleſiaſtico humano: Textum enim ad id evincendum in S. Scriptura non habemus: Et Petrus etiam abnegato Chriſto adhuc remanſit Apoſtolus. Si autem ſic lege Eccleſiaſtica humana ſtatutum eſt, ſequitur, eamdem Legem, & Eccleſiam... ſuperiorem eſſe Pontifice.*

Sed præfidenter nimium ait Febronius, iſtiuſmodi pœnam ex jure Eccleſiaſtico humano *indubie* inductam eſſe. Apoſtolus quidem (*Tit.* 3. 10.): *Hæreticum hominem*, inquit, *poſt unam, & alteram correctionem devita, ſciens, quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio judicio condemnatus.* In quæ Apoſtoli verba S. Hieronymus: *Propterea*, ait, *a ſemetipſo dicitur eſſe damnatus, quia fornicator, adulter, homicida, & cætera vitia per Sacerdotes ex Eccleſia propelluntur: Hæretici autem in ſemetipſos ſententiam ferunt, ſuo arbitrio de Eccleſia recedentes: quæ receſſio propriæ conſcientiæ videtur eſſe damnatio.* Eadem eſt omnium Patrum, & Theologorum doctrina, nempe hæreticos ſponte ſua ab Eccleſia recedere, nec in Eccleſia eſſe. Non igitur Eccleſiaſtica lex, ſed ipſa hæreſeos ratio hæreticos extorres ab Eccleſia facit, & qualibet Eccleſiaſtica dignitate privat. Non ergo hinc conficitur, Eccleſiam Pontifice ſuperio-

rem

Digitized by Google

rem eſſe. Cæterum Romanorum Pontificum nemo hactenus in hæreſim lapſus eſt; nec quemquam lapſurum eſſe, ſperamus. Imo Petri privilegium non deficiendi etiam privatim a fide, ad ejus Succeſſores quamlibet improbos tranſiiſſe, ego quidem perſuaſum habeo.

Quis vero æquo animo ferat Febronium confidentiſſime ſcribentem, *Petrum etiam abnegato Chriſto adhuc remanſiſſe Apoſtolum:* quaſi Petrus, cum Chriſtum negavit, fidem amiſerit, & hæreticus fuerit? Niſi enim veluti certum ſumit Febronius, Petrum fidem amiſiſſe, & in hæreſim lapſum eſſe, Petri exemplum non eſt ad rem, de qua nobiſcum agit. Aſt Petrus fidem amiſiſſe, & hæreticus fuiſſe dici nequit, quin Chriſtus quoque mentitus eſſe dicatur. Hic enim Petro promiſit, ejus fidem non defecturam eſſe: *Ego*, inquit (*Luc. 22.*), *rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua*, non modo poſt lapſum, ſed etiam in ipſo lapſu. Atque in hunc ſenſum Chriſti promiſſionem interpretantur omnes Patres: ex quorum ſententia Natalis Alexander (*in h. e. ſæc. 15. & 16. diſſ. 4. art. 1. n. 14.*) ait, *Chriſtum oraſſe pro S. Petri perſeverantia in vera fide, & gratia, ne ſcilicet Paſſionis ſuæ tempore, quo Apoſtolis graviſſima tentatio immi-nebat, ipſeque concutiendus erat, & caſurus, fidem amitteret, ſed ut fide ſervata in ipſo lapſu, cito reſurgeret.* Sed aſſerendi præſidentiâ Febronium nemo præſtat. Ad Julianum nunc redeo.

IX. 6. Ait Julianus: *Declarat inſuper eadem S. Synodus, pro hæretico habendum, qui diceret Concilium non poſſe omnia facere in his, quæ pertinent ad generalem reformationem Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris.*

Id equidem declaravit Synodus Baſileenſis, ſed ejus propoſitiones damnavit Eugenius IV. in Synodo Florentina (*vid. ſup. cap. 5. n. 10.*). Synodus vero Conſtantienſis nihil hujuſmodi declaravit.

7. Ait Julianus, *unum Concilium generale poſſe indicere aliud ſequens* abſque Pontificis auctoritate; *nec poſſe a Pontifice diſſolvi, & ſi Papa a Concilio ſe ſeparet, eique contrarietur, poſſe Synodum illo abſente, aut invito procedere; & protectionem a Regibus, & Principibus petere adverſus Papam.*

Sed quoniam quæ Julianus aſſerit, ea nullo argumento confirmat, eodem jure ab ipſo aſſeruntur, atque a nobis negantur. Cæterum invictis argumentis ea ego alibi refutavi (*2. p. cap. 19. & 28. & 3. p. cap. 2.*).

Addit Febronius: *Si ea occaſione ſchiſma oriatur in Eccleſia, erit illud, & tenebit ſe a parte Papæ, non Concilii.* Imo *ſe tenebit*, ajo ego, ex *parte Concilii*, non ex *parte Papæ*. Unitatis enim Catholicæ centrum non eſt Concilium, ſed Romanus Pontifex; non enim

a Con-

a Concilio, ſed a Romana Eccleſia *in omnes veneranda communionis jura dimanant*, ut ajunt Patres Concilii Aquilejenſis (*vid.* 2. *p. cap.* 8. *n.* 1.): neque ad Concilium a Romana Eccleſia ſejunctum, ſed ad ipſam Romanam Eccleſiam, *propter potiorem principalitatem, omnem neceſſe eſt convenire Eccleſiam, hoc eſt eos qui ſunt undique fideles*, ut ait S. Irenæus (*vid.* 2. *p. cap.* 1. *n.* 3.). Si ergo Concilium cum Romana Eccleſia communionem abrumperet, Schiſmaticum quidem eſſet Concilium, ſed Pontifex Schiſmaticus non eſſet. Et ego quidem, ſi tantum malum, quod Deus avertat, contingeret, Concilium desererem, atque cum B. Hieronymo clamarem: *Ego Cathedra Petri communione conſocior. Super illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt*. (*Vid.* 2. *p. cap.* 1. *n.* 3.).

Denique ait Julianus, *Bullam quamdam ab Eugenio Papa pro diſſolutione Concilii ad omnes fideles miſſam, plenam hæreſibus*, & repetit *qualiter generalium Conciliorum placita a Romanis Pontificibus ſatis male obſerventur*.

Ita ſcilicet Julianus *Eugenio rebellis*, ut ipſe faſſus eſt, & cœcus a veritate aberravit; *In medio Eccleſiæ docens, quæ non didicit. Præſumpſit de ſe ipſo, dum eſſet Baſileæ: deceptus decepit, & credens prodeſſe, nocuit*. Sed *reliquit tandem Eccleſiam malignantium, cognovit priorem errorem, & Eugenio cervicem ſubmiſit, ejuſque vocem audivit*, atque Æneam Sylvium hortatus eſt, ut ſi *ſaperet, idem faceret, & qui errantem ſecutus erat, ſequeretur recta monentem*. Eadem non dubito, exprobraret Febronio Julianus, ſi viveret, eumque ſincero animo hortaretur, ut qui errantis auctoritatem magni fecit, recta monentis auctoritatem pluris faceret.

CAPUT IX.

Continet Propoſitiones totius Diſſertationis conſectarias.

I. PROPOSITIO I. Eccleſiæ forma Monarchica a Chriſto inſtituta eſt. Forma enim Reipublicæ, cui Unus cum ſumma poteſtate præeſt, Monarchica eſt: Eccleſiæ autem unus Romanus Pontifex ex Chriſti ipſius inſtitutione cum ſumma poteſtate præeſt (*ex ſupp.*): ergo &c.

Non negaverim tamen, Eccleſiæ formam Monarchicam Ariſtocratia quodammodo temperatam eſſe. Scilicet Chriſtus ſingularibus Eccleſiis Epiſcopos interiori charactere, & poteſtate cum Rom.

Pontifice pares præeſſe voluit (2. *p. cap.* 4. *n.* 3. & 4.); ſed exteriorem ſingulorum poteſtatem, & juriſdictionem ſingularum Diœceſeon, & Provinciarum finibus voluit contineri (*ibid.*). Quare cum ſinguli tum interiori, tum exteriori poteſtate commiſſas ſibi Eccleſias regant, ſunt veluti univerſæ Eccleſiæ Principes, & Optimates ſingularibus Eccleſiis regendis a Chriſto ipſo inſtituti. Sed ſunt ſinguli Rom. Pontifici ſubjecti; atque in eos quoque, & in eorum Eccleſias Rom. Pontifex juriſdictionem obtinet (*ex ſupp.*): Ergo Eccleſiæ forma Monarchica quidem eſt, ſed & Ariſtocratia quodammodo temperata eſt.

Neque tamen Monarchico-Ariſtocratica eſt, quaſi qui univerſæ Eccleſiæ præeſt Rom. Pontifex, eidem Eccleſiæ, & œcumenicæ Synodo ſubjiciatur; Id enim eſſe falſum, hactenus demonſtravi.

II. PROPOSITIO II. Monarchicam Eccleſiæ formam confictis a Pſeudo-Iſidoro Epiſtolis inductam eſſe, Febronii commentum eſt: Iſdori enim Epiſtolæ nonniſi medio Sæculo IX., vel ut ſummum ſub finem Sæculi VIII. prodierunt (2. *p. cap.* 14. *n.* 2.). At vero Rom. Pontificem univerſæ Eccleſiæ cum ſumma poteſtate, & juriſdictione a Chriſto præfectum eſſe, ac propterea Monarchicam Eccleſiæ formam a Chriſto inſtitutam eſſe, invictiſſimis ego argumentis ex Sacra Scriptura, & ex perpetua Traditione Sæculis VIII. & IX. multo antiquiore demonſtravi: ergo &c.

III. Mihi quidem portento ſimile ſemper viſum eſt id, quod perſuadere omnino vult Febronius, nempe Iſidori commento veterem Eccleſiæ diſciplinam repente immutatam, & novam a veteri plane alienam invectam eſſe: Synodorum Provincialium, & Metropolitarum jura ſubito convulſa eſſe: paucis: ſummam juriſdictionem in cujuſvis generis cauſis Rom. Pontifici attributam eſſe; nec tamen tanta rei novitate ullos tumultus, turbas ullas excitatas eſſe. Credat id *Judæus Apella*. Ego quidem perſuaſum habeo, Iſidorum ex ea, quæ tunc ubique vigebat, diſciplina collectionem ſuam adornaſſe, atque in eo tantum peccaſſe, quod diſciplinam, quæ paulatim poſt priora ſæcula obtinere cœpit, a veteribus Pontificibus inſtitutam eſſe, perſuadere voluerit; vix enim ullum afferri poteſt diſciplinæ Caput ex Iſidori collectione, cujus, niſi antiquiſſimum, ipſo ſaltem Iſidoro antiquius Monumentum non extet.

IV. Cæterum non Apoſtolicæ Sedis, ſed Epiſcoporum gratia collectionem ſuam adornavit Iſidorus, uti ex ejus præfatione perſpicuum eſt. Sæpe enim accuſabantur, & opprimebantur Epiſcopi a pravis hominibus, qui eorum bonis ſe ſe ditare cupiebant. Quare ut iis conſuleret, plura de Epiſcoporum judiciis congeſſit, oſtenditque Epiſcopos accuſatos, & damnatos, ante eſſe reſtituendos, quam

quam ad cauſam dicendam cogendos &c.

Sed demus Febronio, Iſidori commento novam diſciplinam in Eccleſiam invectam eſſe. Ea inducta eſt ſola auctoritate veterum Romanorum Pontificum, quibus ejus inſtitutio ab Iſidoro tribuitur: Ergo Iſidori ætate vulgo credebatur, veteres Romanos Pontifices Leges univerſæ Eccleſiæ dare, & diſciplinam ab ea ſervandam inſtituere potuiſſe. Alioquin Epiſcopi, Synodi Provinciales, Metropolitani, præſertim vero Synodi generales, quæ poſtea celebratæ ſunt, iſtiuſmodi diſciplinam rejeciſſent: ejuſque rei hanc cauſam dediſſent; veteres Pontifices auctoritatem ſibi, quam Chriſtus ipſis non tribuerat, arrogaſſe: Rom. Pontificem primum quidem Epiſcoporum eſſe, ſed ejus juriſdictionem Romanæ Diœceſeos finibus contineri. Aſt nihil hujuſmodi geſtum, vel ſcriptum eſſe, novimus. Ergo vulgo credebatur, ſummam eſſe in Eccleſia Rom. Pontificis poteſtatem, & juriſdictionem. Ergo non ex Iſidori commento orta eſt idea Monarchiæ in Eccleſia, ut vult Febronius: ſed e contra ex idea Monarchiæ originem habuit Iſidori commentum; ideſt quæ tunc ab Eccleſiæ exordio vigebat perſuaſio apud omnes, ſummam eſſe Rom. Pontificis in univerſa Eccleſia auctoritatem, Iſidoro decretales Epiſtolas confingendi anſam dedit.

V. PROPOSITIO III. Quæ nunc temporis obtinet diſciplina in Eccleſia, ea ne ab œcumenica quidem Synodo abſque R. Pontificis auctoritate mutari poteſt. Ea enim a Synodis, vel Provincialibus, vel Generalibus, Romano Pontifice conſentiente; vel etiam ſolius R. Pontificis auctoritate inducta eſt. Rom. autem Pontificis auctoritate in Eccleſia major nulla eſt (*ex 5. p.*): ergo &c.

VI. Differt Eccleſiæ diſciplina a Fidei, & morum doctrina; quod hæc eadem ſemper ſit; illa vero juxta rerum rationem mutari poſſit, ac reipſa mutetur. Ejus rei exemplum unum antiquiſſimum affero. Concilium Conſtantinopolitanum I. ejuſdem Urbis Epiſcopo, qui Heracleenſi Metropolitæ ſubjectus erat, ſecundum in Eccleſia honoris gradum contra Nicænos Canones, & veterem diſciplinam aſſeruit: Concilium vero Chalcedonenſe novum præterea jus ei attribuit, quo non modo Patriarcharum, ſed etiam Metropolitarum jura lædebantur. Improbavit illud quidem Romana Eccleſia, ſed deinceps non ægre tulit, ac tandem in Concilio Lateranenſi III. confirmavit. Imo alia præterea jura in Oriente ſibi adrogavit C. P. Epiſcopus, quæ Orientalibus Epiſcopis conſentientibus, & Eccleſia Romana non repugnante, in jus ei legitime acquiſitum tranſierunt. Si autem Epiſcopo C. P. nova jura antiquo juri contraria acquiri legitime potuerunt; quidni etiam R. Pontifici? Febronius ipſe fatetur (*cap. 5. §. 4. n. 2.*), improbatum fuiſſe a Leone M. Canonem Chalcedonen-

cedonenſem, quia *erat Romani Pontificis tales prærogativas* Epiſcopo C. P. *concedere*. Quod autem jus aliis Epiſcopis concedere poterat R. Pontifex, quidni illud ſibi poterat vindicare? Quamquam cum R. Pontifex Chriſti ipſius inſtitutione Primatum jurisdictionis obtineat in univerſam Eccleſiam (*ex ſupp.*), ſi quæ Epiſcoporum, & Synodorum jura ſibi reſervavit, non jus novum ſibi acquiſivit, ſed vetus ſibi a Chriſto attributum vindicavit. Cum vero eo jure a pluribus ſæculis, Eccleſia ipſa conſentiente, utatur R. Pontifex, idque œcumenicis etiam Synodis, ac præſertim Tridentinæ probatum ſit, qua, quæſo, auctoritate, Romano Pontifice diſſentiente, Epiſcopis reſtitui poteſt? Vult quidem Febronius (*cap.* 8. §. 6.): *non prodeſſe hac in parte Romanis præſcriptionem, ceſſionem, poſſeſſionem, conſuetudinem &c;* Sed id argumento perſuadere conatur, quod ego hactenus inviſtiſſime refutavi: nempe Chriſtum *Eccleſiæ formam regiminis præſcripſiſſe a Monarchia alienam*. Quare quidquid ibi, & deinceps addit de reſtituenda antiqua diſciplina, ſponte ſua ruit. Sed prætermittere nequeo, quod ibi ait, ut ejus ingenium penitus noveris. Itaque diſciplinam, quæ nunc viget, vocat (§. 6.) *abuſus ignorantia, & ſuperſtitione adverſus divinum Inſtitutum introductos:* ait iiſdem cauſis *obſcuratam eſſe per aliquot ſæcula veritatem*. *Quod*, inquit (§. 7.), *circa cultum Imaginum fecit populus, ut eum ultra condignum proveheret, idem quoque egit circa reverentiam debitam Summo Pontifici*. Sed in Imaginum cultu *ultra condignum* populus tantum, nec univerſus peccavit. In re vero, de qua agimus, *Principes, Populi, Epiſcopi, omnes eamdem viam errarunt, & quaſi certatim damnaverunt, ac perſecuti ſunt eos, qui eorum hac in parte errores diſſipare, & nebulam ab oculis depellere ſtudebant*. Jamvero quoniam Principes, Populi, Epiſcopi, omneſque, qui Romano Pontifici parent, Catholicam Eccleſiam conſtituunt, conſequitur ex Febronii doctrina, Catholicam Eccleſiam ab inſtituto Chriſti, & a veritate, quam ipſe nos docuit, pluribus ab hinc ſæculis aberraſſe, atque non in imperito tantum, & facile credulo vulgo, ſed in ipſa Catholica Eccleſia ſuperſtitionem radices egiſſe. Quid vero præterea Catholicæ Eccleſiæ objecerunt Donatiſtæ, Wiclefus, Lutherus, aliique Hæretici? Ego quidem a viro Catholico abſque impietate hæc Eccleſiæ Catholicæ exprobrari non poſſe, arbitror. Sed fanaticus homo, qui nihil niſi reformationem crepat, vix intra eos fines contineri poteſt, *quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum*.

VIII. Inde vero Febronii error originem ducit, quod humanum mutabile jus cum immutabili divino jure ſæpe confundat. Veterem enim Eccleſiæ diſciplinam modo vocat *divinum Inſtitutum* (*cap.* 8. §. 6.): modo *antiquum, & genuinum jus*, quod *mutari non potuit*

Digitized by Google

potuit (*cap.* 4. §. 3. *n.* 3.); cum tamen certiſſimâ res ſit, neque Chriſtum, neque Apoſtolos diſciplinam perpetuo in Eccleſia ſervandam inſtituiſſe, nec ulla peculiaria jura ad exteriorem Eccleſiæ adminiſtrationem ſpectantia, Epiſcopis, Metropolitis, aut Synodis attribuiſſe. Imo cum Petrus acceperit a Chriſto Claves regni Cœlorum, ideſt ſummam in Eccleſia auctoritatem, & juriſdictionem in Romanos Pontifices transferendam, poteſtatem quoque accepit ea ſtatuendi, quæ juxta rerum, temporum, hominumque rationem optimæ Eccleſiæ adminiſtrationi conducerent, eaque mutandi, ſi rerum ratio mutaretur, novaque inſtituta rerum rationi conſentanea inducendi. Vel ipſi Apoſtoli abſtinentiam a ſanguine, & ſuffocato quamquam non diu duraturam præceperunt. Quare igitur quæ obtinuit olim diſciplina, ea mutatis rerum adjunctis mutari non potuit? Cur quæ recens inducta eſt, hæc ea ſolum de cauſa abroganda eſt, quod nova ſit? Quamquam recens ne tu inductam eſſe diſciplinam dixeris, quæ pluribus ab hinc ſæculis obtinet?

Cum igitur Epiſcoporum, Metropolitarum, & Synodorum jura, quæ ad exteriorem Eccleſiæ adminiſtrationem ſpectant, Epiſcopatui eſſentialia non ſint (2. *p. cap.* 4. *n.* 3. & 4.); ſed humana inſtitutione, vel conſuetudine inducta ſint, eorum plura ad R. Pontificem, cujus ſumma eſt in Eccleſia auctoritas, tranſire legitime potuerunt. Febronius ipſe (*cap.* 4. §. 3.) oſtendit, *confirmationem electionis Epiſcoporum GENUINO JURE ad Synodum Provincialem pertinere*: & nihilominus fatetur (*ib. n.* 1.), *ſenſim ex quodam ſaltem tacito Eccleſiæ conſenſu ad Metropolitanum devolutum eſſe*. Si autem ſaltem tacito Eccleſiæ conſenſu a Synodo Provinciali ad Metropolitanum legitime devolutum eſt iſtiuſmodi jus, quidni eadem ratione a Metropolitano ad R. Pontificem, qui multo Metropolitanum præſtat, devolvi legitime potuit?

Igitur Epiſcoporum Confirmationes, Translationes, Ceſſiones, & Depoſitiones, Coadjutorum conceſſiones, & novorum Epiſcopatuum erectiones, quas olim ad Synodos Provinciales, vel ad Metropolitas Epiſcopos pertinuiſſe, oſtendit Febronius (*cap.* 4. §. 3. *ſeqq.*), cum pluribus ab hinc ſæculis inter cauſas majores Romano Pontifici reſervatas numerentur, Synodorum, vel Metropolitarum juri, invito R. Pontifice, reſtitui nequeunt. Idem dicito de diſpenſationibus, Proviſionibus, de caſibus Romano Pontifici reſervatis, aliiſque ſimilibus, quæ juxta vigentem nunc Eccleſiæ diſciplinam ad R. Pontificem ſpectant.

VIII. Sed paucis rem conficio. Si R. Pontifex accepit a Chriſto Primatum juriſdictionis immediatæ non modo in ſingulos fideles, & Epiſcopos, ſed etiam in Synodos quamlibet œcumenicas, poterit

profecto

profecto Epiſcoporum & Synodorum jura coarctare, graviores cauſas judicio ſuo reſervare, integros etiam Monachorum cœtus immediatæ ſuæ juriſdictioni ſubjicere, &, ne ſingula enumerando longus ſim, eam, quæ nunc obtinet in Eccleſia, diſciplinam inducere. Febronius ipſe agens de veteri diſciplina reſtituenda (*cap.* 8. §. 2.) *Conſidero*, inquit, *Papam, ut Caput Eccleſiæ, non ut Monarcham, penes quem jus, & authoritas per ſe univerſam Eccleſiam, & ſingula ejus membra regendi, & pro exercitio Sacri hujus Imperii Epiſcopis partem ſuæ poteſtatis pro arbitrio* (prudenti quidem) *communicandi, tollendique reſideat. Si in hoc erro, fateor, me ſcripſiſſe totam errorum congeriem*. Aſt ego in mea hac, qualiſcumque ea ſit, diſſertatione demonſtravi, Eccleſiæ formam Monarchicam a Chriſto inſtitutam eſſe, ideſt Romano Pontifici creditum eſſe a Chriſto Primatum juriſdictionis immediatæ in ſingulos Fideles, & Epiſcopos, & in univerſam Eccleſiam tum diſperſam, tum congregatam. Ergo potuit R. Pontifex Epiſcoporum, & Synodorum jura imminuere, eamque, quæ nunc obtinet, diſciplinam inducere. Niſi ergo Febronius falſa eſſe demonſtret argumenta, quibus cauſam hanc hactenus egi, fateatur neceſſe eſt, *ſe totam errorum congeriem ſcripſiſſe*.

IX. Dixi, potuiſſe RR. Pontifices Epiſcoporum, & Synodorum jura imminuere. Siquidem enim de ſumma poteſtate agitur, hanc illi ego hactenus vindicavi. Ut ſummum igitur de iſtiuſmodi poteſtatis uſu quæſtio eſſe poteſt. Febronius quidem R. Pontificem poteſtate abuſum eſſe, & abuti etiam nunc, contendit. Sed abuſus, ſi qui in legitimæ poteſtatis uſum irrepſerunt, nos quoque damnamus. An vero ideo poteſtas ipſa neganda eſt? Videat, quæſo Febronius, ne quamlibet poteſtatem hominibus auferendam eſſe, contendat. Quis enim ſummorum etiam Principum ſua poteſtate non abutitur? Nunquam ne ſua poteſtate abutebantur olim Epiſcopi? Nunquam ne abutuntur nunc? Imo multo plures, gravioreſque fuiſſe arbitror olim, cum vetus diſciplina obtineret, Eccleſiaſticæ poteſtatis abuſus, quam nunc ſunt. Quamvis enim Sanctiſſimis Legibus Eccleſiaſticæ diſciplinæ identidem conſultum fuerit, abuſus nihilominus nec auferri, nec præcaveri potuerunt. Qui Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ imperitus non eſt, ignorare id nequit. Ut innumera, quæ ad alia diſciplinæ Capita ſpectant, exempla prætercam, *Canones*, inquit Febronius (*cap.* 4. §. 8.), *decernunt, Epiſcopos in Conciliis ſuarum Provinciarum judicari, & ſi cauſa Canonica ſubſit, deponi debere*. Allegat in hanc rem plures Canones Conciliorum Antiocheni, Sardicenſis, Conſtantinopolitani I. Chalcedonenſis, & Eccleſiæ Africanæ. Atqui ex Eccleſiaſtica Hiſtoria conſtat, Synodos Provinciales, &, qui iis præerant, Metropolitanos ea poteſtate quam ſæpiſſi-

Digitized by Google

ſæpiſſime abuſos eſſe, ut inſontes Epiſcopos opprimerent. Modum quidem Synodorum & Metropolitarum poteſtati poſuit œcumenica Synodus Sardicenſis, aſſertâ damnatis Epiſcopis Romanum Pontificem appellandi facultate (2. *p. cap.* 10.); ſed neque id ſatis fuit. Deinceps enim ſæpe adeo accuſabantur, & damnabantur Epiſcopi, ut non aliam ob cauſam collectionem ſuam adornaſſe videatur celebris Impoſtor, quam ut Epiſcoporum innocentiæ conſuleret. Ut enim fatetur Febronius ipſe (*ibid.*), *nulla eſt ex cauſis, quæ majorum titulo honorantur, circa quam plures textus confecti ſint, quam depoſitio Epiſcoporum*. Quamobrem Provincialibus Synodis & Metropolitanis auferenda demum fuit, & R. Pontifici vindicanda Epiſcopos judicandi auctoritas. Atque id quidem pergratum Epiſcopis fuit. Innocentiam enim ſuam multo facilius apud R. Pontificem probant, quam apud Provinciæ Epiſcopos, quos ſæpe propter privatas ſimultates infenſos ſibi eſſe, ſentiunt. An vero Eccleſiæ intereſt, veterem hac de re diſciplinam reſtitui, & Provinciales Synodos, ac Metropolitanos in antiqua jura redire? Id equidem contendit Febronius; ſed eum, arbitror, rident Epiſcopi.

X. Quod autem hactenus de Epiſcoporum judiciis dixi, idem de cæteris cauſis, quæ *majores* dicuntur, de *diſpenſationibus*, *Proviſionibus &c.* non difficile oſtendere poſſem: ſcilicet ideo tandem ſoli R. Pontifici reſervatas eſſe, quia Epiſcopi, Metropolitani, & Provinciales Synodi ſua poteſtate circa eas abutebantur.

XI. Sed etiam in Romana Curia, inquit Febronius, vigent abuſus. Quid porro? Nulli ne futuri ſunt in Eccleſia abuſus, ſi vetus diſciplina reſtituatur? Mihi quidem vetera Eccleſiæ monumenta memoriâ repetenti plures, gravioreſque fuiſſe videntur olim abuſus, quam nunc ſunt. Nam ſunt etiam nunc abuſus, eruntque porro, donec erunt homines ex Adamo progeniti. Erat in Sanctiſſimo Apoſtolorum cœtu Judas *fur, & loculos habens* (*Jo.* 12. 6.), cujus forte avaritia multos a Chriſto ſequendo abſtinebat. Atqui eum Chriſtus tolerabat. Quid igitur mirum eſt, adeſſe etiam R. Pontifici aliquos, qui pecuniis inhiant, atque ejus gratia, & auctoritate abutuntur?

XII. Sed ſunt etiam abuſus, inquit Febronius (*cap.* 6. §. 14. *n.* 5.), qui *non modo tolerantur, ſed ab ipſo Pontifice probantur*. Quinam autem ſunt? Prætermitto *gravamina*, quæ ſe pati conqueſtæ ſunt Nationes Germanica, & Gallica, quæque ſe referre ait Febronius (*ib.* §. 13.) ex probatiſſimis Scriptoribus Sæculi XVI. Nam 1. probatiſſimi iſti Scriptores ſunt Leibnitius, Claudius Eſpencæus, Freherus, Melchior Goldaſtus, Paulus Langius, Balutius, quorum alii acatholici ſunt, alii incertæ Fidei. 2. ea gravamina

partim

partim initis cum Apoſtolica Sede *Concordatis*, partim a Tridentina Synodo ſublata ſunt. Denique ea invidiæ tantum Romano Pontifici creandæ cauſa recenſuiſſe videtur Febronius; nam proxime ſequenti paragrapho 14. tantum recenſet *Summam abuſuum hodiedum in Eccleſia vigentium, qui forti indigent remedio*. Sed cum de his nemo ex doctiſſimis Viris, qui Febronium refutarunt, ſingillatim diſſeruerit, vereor, ne cui ego temere provinciam hanc aſſumpſiſſe videar. Aſſumam tamen confidenter. Neque enim qui ſummam R. Pontificis auctoritatem ex ſinceris Theologiæ fontibus propugnavi, vereri debeo, ne propter aliquos ejus auctoritatis abuſus, in dubium revocetur. Paucis tamen eos expediam; pluribus enim verbis opus non eſt. Sunt autem abuſus hi.

XIII. 1. *Sancti, & genuini Canones extra uſum, & vigorem, quem eis ſequior ætas abſtulit, relinquuntur*. Sed qui ſint iſti Canones, Febronius non indicat. Porro ſi de iis Canonibus loquitur Febronius, qui quædam jura Epiſcopis, Metropolitanis, & Provincialibus Synodis aſſerunt, eos eſſe extra uſum, & vigorem, Eccleſiæ intereſt. Iis enim juribus perſæpe abutebantur illi: qua de re ſuperius diſſerui: Quare eos Canones obſoleviſſe, abuſus non eſt.

2. *Conſtitutiones anteriorum Pontificum etiam ſaluberrimæ, nonnullæ quoque Regulæ Cancellariæ, quæ ſi ſervarentur, ſuam haberent utilitatem, ligant, donec pecunia ſolvantur*. Abuſus equidem eſt, ſaluberrimis conſtitutionibus, & regulis abſque cauſa derogare; ſed nulla ne unquam eſt legitima iis derogandi cauſa? Cum vero cauſa eſt, abuſus ne eſt derogatio?

Aſt, inquit, *ligant, donec pecunia ſolvantur*. An vero injuſta eſt pecuniæ ſolutio? *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus*, inquit Apoſtolus (1. *Cor*. 9. 11.), *magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus?* Qui igitur R. Pontifici in Eccleſiæ adminiſtratione præſto ſunt, & ſpiritualia miniſtrant, æquum eſt, ut totius etiam Eccleſiæ ſumptibus alantur, & carnalia metant. Ne vero ſinguli fideles graventur, quod permoleſtum eſſet, æquitati conſentaneum eſt, ut iis id oneris imponatur, vel qui Eccleſiaſtica beneficia conſequuntur, vel quorum cauſâ Pontificum, aut Conciliorum conſtitutionibus, vel Cancellariæ regulis derogari contingit. Alias etiam ejus rei cauſas dare poſſem, ſed ſufficit, quæ data eſt, ut Febronio os occludatur.

3. *Laudabilibus conſuetudinibus particularium Eccleſiarum derogatur promiſcue, uti ſine ſumptu, & expenſis, ita ſine ſcrupulo*. Sed id eſt falſum. Nihil enim magis cordi eſt Romano Pontifici, quam ut *laudabiles* particularium etiam Eccleſiarum conſuetudines ſerventur. Ideo vero aliquando his derogat, vel quia laudabiles reipſa non ſunt, vel ut eamdem ubique diſciplinam conſtituat, quod laudabilius eſt.

4. Putat,

4. *Putat, & prætendit Curia, ſe Concordatis non ligari*. Id quoque falſum eſſe, ego quidem arbitror. Sed quoniam Concordata omnes fortuitos etiam rerum eventus, & omnia adjuncta complecti non potuerunt, fieri aliquando poteſt, ut Curia etiam Concordatis in aliqua rerum ratione ſe non teneri putet. At generatim putare Curiam, ſe Concordatis non teneri, ego non credo.

5. *Captantur ibidem utilitates, & temporalia lucra ex uſu clavium*. Eſt hæc Febronii impoſtura, ſiquidem de R. P. aut de Curia generatim loquitur. Nam privatos aliquos quandoque lucrum ex uſu Clavium captare, non negaverim. Sed & Judas lucrum ex Chriſti diſcipulatu capraſſe videtur. An vero Judæ vitium Apoſtolorum Collegio tribuendum eſt? An non alibi, præter quam Romæ, ſunt improbi homines, qui lucrum ex clavibus captant?

6. *Fiunt, & auctorizantur variis ſub titulis, & prætextibus beneficiorum nundinationes*. Sed hæc quoque Febronii impoſtura eſt, ſi de Pontifice quidem, & de Curia generatim loquitur. Nam fieri a privatis aliquibus iſtiuſmodi nundinationes, non magnopere contendo; auctorizari vero a R. P. aut a Curia, ſine impoſtura dici nequit. An vero Romæ tantum ſunt iſtiuſmodi homines?

7. *Annatæ tolluntur ſine juſto originario titulo, & exiguntur juxta enormem taxam arbitrarie impoſitam*. De Annaris diligenriſſime diſſeruerunt, earumque æquitatem vindicarunt plures eruditi Viri, inter quos numerandus eſt etiam Natalis Alexander (*in h. e. ſæc. 15. & 16. diſſ. 9.*). Quare in hac cauſa agenda non immorabor.

8. *Pro confirmatione electionis, & juribus pallii levantur expenſæ tam exceſſivæ, ut integræ Provinciæ ſummopere graventur, & fere depauperentur*. Verum ſi de expenſis ipſis ſermo eſt, nimium profecto eas exaggerat Febronius. Quænam, quæſo ſunt, iſtæ Provinciæ *tam exceſſivis expenſis fere depauperatæ?* Si vero expenſarum juſtitiam, & æquitatem quæras, in eamdem fere cum Annatarum juſtitia recidit.

9. *Tanta neceſſitas petendorum Palliorum Metropolitanis imponitur, ut ſine illis nequidem valeant, quod jure divino poſſunt Epiſcopi eorum ſuffraganei*. Siquidem Metropolitani Romano Pontifici ſubjecti ſunt, Pallium a R. Pontifice petere debent, nec ante ſacra munera obire, quam illud obtinuerunt.

10. *Impediuntur Epiſcopi in exercitio propriæ ſuæ juriſdictionis, & paſtoralis officii, quod divino jure obtinent*. Scilicet æquali juriſdictione Febronius a Chriſto inſignitos eſſe vult Epiſcopos, & Romanum Pontificem: Quare quidquid Epiſcoporum juriſdictionis ſibi reſervavit Romanus Pontifex, id abuſu non ferendo Epiſcopis ablatum eſſe, contendit. Sed Febronii ſcitum falſum eſſe, ego Scripturæ, & Traditionis auctoritate oſtendi. Igitur Romanum Pontificem quæ-

dam Epiſcoporum jura ſibi vindicaſſe, inter abuſus numerari nequit. Cæterum impediri a R. Pontifice Epiſcopos in exercitio propriæ jurisdictionis, & paſtoralis officii, calumnia eſt. Neminem enim latet, Romano Pontifici quammaximæ curæ eſſe, ut Epiſcopi commiſſos ſibi Greges paſcant, eaque munera expleant, quæ ab ipſis exigit Apoſtolus in Epiſtolis ad Timotheum, & ad Titum. Quo enim ſpectant tot Romanorum Pontificum Conſtitutiones, & Literæ encyclicæ ad Epiſcopos datæ, niſi ut eos paſtoralis officii commoneant, atque ad illud diligentiſſime implendum adhortentur?

11. *Præveniuntur Epiſcopi, & multis modis arcentur a ſeligendis, & deputandis aptioribus Miniſtris ad ſervitia ſuarum Eccleſiarum.* Imo eos ſæpiſſime hortantur Romani Pontifices, ut aptiſſimos, ſi fieri poſſit, Miniſtros eligant; nec aliam ob cauſam eos quandoque præveniunt, niſi ut aptiores Eccleſiis Miniſtri præficiantur. An ſemper Epiſcopi digniores, aptioreſque Miniſtros ſeligunt? Imo in iis aliquando rerum adjunctis ſunt, ut fere nequeant.

12. *Jura Ordinariorum læduntur per exorbitantes exemptiones.* Scilicet cum Epiſcoporum juriſdictio Epiſcopatui eſſentialis non ſit (*2. p. cap. 4. n. 3.*); imminui & augeri poteſt a R. Pontifice, cujus juriſdictio ſumma in Epiſcopos eſt. Quidni igitur poteſt Rom. Pontifex quoſdam hominum cœtus immediatæ ſuæ juriſdictioni ſubjicere? Cum vero non modo eorumdem cœtuum, ſed etiam Eccleſiarum utilitas id aliquando poſtulet, nihil cauſæ eſt, cur id abuſibus adnumeret Febronius.

13. *Neque minus præjudicatur juribus Parochorum per enormia privilegia Mendicantium.* Mendicantium præſertim privilegia, quamlibet poſt Tridentinam Synodum moderata, Febronium torquent. Mendicantium Cœtuum elogium contexere, eorumque in Eccleſiam merita, ob quæ pluribus privilegiis ab Apoſtolica Sede donati ſunt, enumerare, non eſt hujus loci. Illud tantum dicam, eorum Privilegia, & exemptiones etiam Tridentinam Synodum probaſſe, atque ad eam moderationem redegiſſe, ut nonniſi Febronius, ejuſque ſimiles quaſi enormia adhuc, & Epiſcoporum, ac Parochorum juribus noxia in invidiam adducere poſſint. Quo enim demum ſpectant Mendicantium privilegia? Nempe ut intra domos ſuas legibus ſuis, quæ quidem ſanctiſſimæ ſunt, vivant, ſuiſque Moderatoribus pareant. Cæterum extra domos ſuas nihil juriſdictionis exercent. Charitatis quidem officia Fidelibus exhibent, eâque in re Parochis opem ferunt, ſed horum jura haudquaquam lædunt.

14. *Lites in cauſis etiam levioribus, & ordinariis, variis modis, maxime autem per appellationes, trahuntur ad Curiam Romanam cum ingenti diſpendio rerum, & perſonarum.* Siquid hac in re abuſus eſt, non

non Romanæ Curiæ, ſed appellantium, eorumque, qui ipſorum cauſas agunt, vitio tribuendum eſt. Hi enim ſæpe etiamſi ſe non juſtam cauſam agere noverint, ob pravos tamen fines ſuperiorem Judicem appellant. Cæterum qui ſe juſtam cauſam habere putat, eum ne ſuperior Judex rejicere debet ?

15. *Diſpenſationes in beneficialibus, matrimonialibus, aliiſque conceduntur abſque legitima cauſa directo contra Canones; eadem ratione diſpenſatur ſuper pluralitate beneficiorum cum quovis petente ſine conſideratione meriti, aut alterius rationis Canonicæ.* Si Febronium audias, tam facile eſt a Romano Pontifice diſpenſationes ſine legitima cauſa obtinere, quam petere; cum tamen certiſſima res ſit, non conſueviſſe R. Pontificem abſque legitima cauſa iſtiuſmodi diſpenſationes concedere. Porro docent vulgo Theologi, legitimas diſpenſandi cauſas eſſe *pietatem, neceſſitatem, & utilitatem* communem, ita ut diſpenſatio vel directe, vel indirecte in bonum commune vergat. *Non ſum tam rudis*, ait Eugenio III. S. Bernardus (*lib. 3. de Conſid. cap. 4.*), *ut ignorem, poſitos vos diſpenſatores, ſed in ædificationem, non in deſtructionem .... Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt; ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt; utilitas, dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.* Omnes ne vero diſpenſationes a R. Pontifice conceduntur ſine utilitate, aut neceſſitate? Nam aliquas ſine ulla ex iſtis cauſis concedi, non negaverim. Verum id non R. Pontifici, ſed petentibus vitio vertendum eſt. Hi enim ſæpe diſpenſationis cauſas prætendunt, quæ veræ non ſunt.

16. *Approbantur Coadjutoriæ cum futura ſucceſſione etiam ſuper beneficiis nullam curam annexam habentibus, & ubi nullum a Coadjutore ſervitium expectatur, ſola intentione tranſmittendi beneficium quaſi hæreditarie.* Ego quidem hac in re nullum abuſum video, dummodo a Coadjutore idem ſervitium expectetur, quod a coadjuto exigitur, quodque beneficio ex: c. Canonicatui adnexum eſt. Id vero fieri *ſola intentione tranſmittendi beneficium, quaſi hæreditarie*, temere Febronius addit.

17. *Præbendæ etiam exiles gravantur penſionibus, non attento, an ſub tali reſervatione reſignans egeat, aut quale meritum in Eccleſiam ei ſuffragetur.* Nempe aliquando quia pluribus providendum eſt, præbendas etiam exiles penſionibus gravari opus eſt. Sed raro id fit, neque quoad præbendas adeo exiles. Meritorum vero quinam Judex eſſe debet?

18. *Erga præſtationem certæ taxæ ſpurii indiſtincte legitimantur, ac per hoc habiles redduntur ad beneficia, & honores.* Sed adverbium *indiſtincte* præter veritatem additum eſſe, facile intelligis. Non enim niſi graves cauſæ ſint, Spuriis legitimatis beneficia, & honores con-

cedi ſolent. Cæterum raro adeo id contingit, ut mirum ſit, inter abuſus *hodiedum in Eccleſia vigentes, qui forti remedio indigent*, a Febronio numeratum eſſe.

19. *Indulgentiæ conceduntur ſine diſcretione, aut Canonico motivo, cum manifeſta infractione pœnitentialis diſciplinæ; quæ proinde etiam ſuo effectu deſtituuntur, & fructu carent, populo in hac ſua remiſſionis pœnarum temporalium ſpe male deluſo.* Cur autem etiam Indulgentiarum multitudo bilem Febronio moverit, ego non video. An enim inter abuſus id quoque numerandum eſt, quod Romanus Pontifex ſpe remiſſionis pœnarum temporalium peccatores ad ſinceram pœnitentiam ſæpe, & fere quotidie alliciat? Non enim ignorat populus, id a Paſtoribus ſuis, & a Sacris Miniſtris edoctus, eos tantum Indulgentiarum participes eſſe, qui conditiones a Romano Pontifice requiſitas implent: quarum ea præcipua eſt, ut Pœnitentiæ Sacramento rite ſuſcepto animam a peccatorum ſordibus expurgaverint. Concedi vero Indulgentias *cum infractione pœnitentialis diſciplinæ*, falſum eſt. Docent enim ſaniores Theologi, idque Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtris præſcribunt Eccleſiæ Paſtores, non eſſe occaſione Indulgentiæ gravium peccatorum reis leves pœnitentias imponendas, ſed eas, quæ, quoad fieri poteſt, peccatorum numero, & gravitati reſpondent: Peccatores peragendæ condignæ pœnitentiæ onere non liberari, ſed levari: idest, quam ipſi ſive virium debilitate, ſive vitæ brevitate perficere nequeunt, eam Indulgentiis ſuppleri. Hæc autem a ſuis Paſtoribus edoctus Populus, non deluditur inani ſpe; ſed dumtaxat ad veram pœnitentiam allicitur.

20. *Denique ligantur Epiſcopi per noxia juramenta defendendi omnia Romanæ Sedis jura, ac privilegia, illa utique in quorum poſſeſſione eadem invenitur.* Ea juramenta non modo noxia non ſunt, ſed imo ſunt Epiſcopis ipſis utiliſſima; cum enim Romanæ Sedis jura defendunt, eâdem operâ ſua quoque defendunt, & ſuarum Eccleſiarum jura. Sed neque noxia ſunt Principum juribus. Non enim ideo prohibentur Epiſcopi *reddere quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo*.

Hæc, Febronii ſententiâ, eſt *ſumma abuſuum hodiedum in Eccleſia vigentium, qui forti indigent remedio*. Sed 1. inter abuſus recenſet Febronius etiam Sanctiſſima Romani Pontificis jura, quæ illi Chriſtus attribuit, & perpetua Eccleſiæ Traditio aſſeruit. 2. Inter abuſus nonnulla enumerat, quæ abuſus non ſunt, ſed ſunt legitimus poteſtatis uſus Eccleſiæ, & Fidelibus utiliſſimus. 3. Abuſus, qui privatorum hominum vitio ſunt adſcribendi, Romano ipſi Pontifici, & Romanæ Curiæ univerſim tribuit. Hæc ex ſuperiori eorum cenſu manifeſte conſtant. An vero propter abuſus, qui Romæ pra-

vorum

vorum hominum vitio in legitimæ poteſtatis uſum ſæpe irrepunt, poteſtas ipſa quamlibet legitima auferenda eſt? Optamus quidem omnes, peroptant & Romani Pontifices, ut auferantur abuſus. Sed ut veluti abuſus traducatur etiam legitimæ poteſtatis uſus, eoque nomine coerceatur, ferre non poſſumus. Abuſus vero, qui vere abuſus ſunt, neque ſi vetus diſciplina reſtituatur, auferentur unquam; niſi hominum etiam natura immutetur. Nulli ne ſunt abuſus in quovis politico regimine? Utinam tantum non graviſſimi. An vero ideo Populi commovendi ſunt, atque adhortandi, ut legitimis Poteſtatibus reſiſtant, ut iis etiam invitis generalia Comitia habeant, & in his *ſubtractionem* ab obedientia decernant: paucis: ut excuſſo obedientiæ jugo, in primævam libertatem redeant? Atqui hæc abuſuum e politico regimine auferendorum ratio, quam animus horret, Febronianæ doctrinæ conſectaria eſt. Eamdem enim abuſuum, qui in Eccleſiæ regimen irrepſerunt, auferendorum rationem præſcribit toto Capite IX. Quare cum non minus ſaltem Romani Pontificis, quam Regum poteſtas a Deo ſit (*ex* 1. *p.*); ſi legitima eſt memorata abuſuum Eccleſiaſticæ poteſtatis coercendorum ratio, quidni eâdem legitime uti poſſunt Populi, ut abuſus politicæ poteſtatis coerceant? Aſt ea abuſuum politicæ poteſtatis coercendorum ratio illegitima eſt, & Dei ordinationi contraria: Nam *qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit* (*Rom.* 13. 2.): & præterea ſeditiones, graviores abuſus, & innumera mala inveheret: ergo illegitima quoque eſt eadem abuſuum Eccleſiaſticæ poteſtatis cohibendorum ratio. Cum enim R. Pontificis poteſtas certiſſime a Deo ſit, qui ei reſiſtit, *Dei ordinationi reſiſtit*; ut graviores abuſus, Schiſmata, & innumera alia mala, quæ inde orirentur, prætermittam.

Et ſeditiones quidem, quas in Politico regimine horret Febronius, in Romanum Pontificem commovere conatus eſt, imo certo commovendas minitatus eſſe videtur. *Erit*, inquit (*cap.* 1. §. 10.), *horum libertatis, & veritatis impedimentorum aliquando finis*. Forte etiam ſibi plauſit, quod Pacem inter Sacerdotium, & Imperium turbatam viderit. Sed Deus, in *cujus manu eſt Cor regis* (*Prov.* 21. 1.), Catholicorum Principum pietatem, & Religionem, iniquorum hominum, qui unâ quaſi opera in Eccleſiam conſpiraſſe videbantur, conſiliis, & machinationibus decipi, paſſus non eſt. Singulari præterea providentia Paſtorem Eccleſiæ ſuæ præfecit, cujus prudentia pacem partim reſtitutam eſſe, videmus, brevi vero omnino reſtituendam eſſe, ſperamus. Fremunt iniqui homines; Sed ingenti gaudio exultat Eccleſia Catholica, atque Paſtori ſibi divinitus dato, ſuiſque nobiliſſimis Filiis Catholicis Principibus gratulatur.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
RERUM, ET VERBORUM.

A

ABaelardus. 92.
Abuſus poteſtatis non derogant poteſtati 214. olim graviores, quam nunc. *ib.* quos nunc in R. Curia vigere, contendit Febronius, recenſentur, & vindicantur 216. *ſeqq.*
S. Agatho R. P. aſſeruit Ap. Sedi privilegium non errandi. 84. Monothelitas damnavit. Fidei definitionem irretractabilem Synodo VI. præſcripſit 131. *ſeqq.*
Africani de appellationibus Clericorum cum R. P. contenderunt 79. *ſeqq.*
Africanarum trium Synodorum inſigne teſtimonium. 88.
S. Ambroſius 10. 12. 14. 15. 16. 18. 29. ejus narratio de S. Petro 36.
Anſegiſus Senonenſis Epiſcopus 63.
Appellationum jus R. Pontifici vindicatum 72. *ſeqq.*
Appellationes a R. P. ad concilium illicitæ 166. *ſeqq.* Eas improbarunt S. Auguſtinus, & S. Proſper 168. eas licitas eſſe, opinari cœptum eſt ſub finem ſæculi XIV. 170. eas improbarunt Pius II. 167. & Martinus V. 171.
Apoſtoli fundamenta Eccleſiæ 17. 18. duplex Apoſtolorum poteſtas 32.
Aquilejenſe Concilium 68.
Ariminenſe Concilium 142.
Ariſtrocratia quid? 1.
Arnobius Junior 29. 91.
S. Athanaſius R. Pontificem appellavit 77.
S. Auguſtinus 10. cur *petram* Chriſtum interpretatus ſit? 16. inſignis ejus locus 20. cur claves Eccleſiæ datas eſſe, dixerit? 24. 25. 34. 51. teſtis eſt appellationum ad Apoſt. Sedem 79. infallibilitatem Ap. Sedi aſſeruit 93. Concilia generalia abſolute neceſſaria eſſe, negat 98. Pelagianorum appellationem improbavit 168.
S. Avitus Viennenſis 162.

B

BAlſamon 75.
Barthelius notatus. 59.
Baſileenſis Synodi inſigne teſtimonium de Primatu R. P. 160. ejus argumentum refutatur. *ib.* ea Conciliabulum fuit 183. ejus decreta Eugenius IV. non probavit 168. nec probavit Pius II. 191.
Baſilides Aſturicenſis Epiſc. a S. Stephano R. P. reſtitutus 41.
S. Baſilius 10. 12.
Ven. Beda 23. 24.
Berengarius damnatus 92.
S. Bernardi inſignis locus de Primatu R. P. 29. appellationum abuſum

abuſum carpit, ſed uſum commendat 83. peremptoriam vocat ſententiam R. Pontificis 167. appellari vult a Papa ad Papam 172. diſpenſationum uſum probat 219.
Beſſarion 156.
Bonifacius I. R. P. 11. 59. judicium Apoſtolicæ Sedis retractari non vult 166.
Boſſuetus laudatus, & notatus 136.

C

Caput miniſteriale Eccleſiæ 5.
Capitula Hadriano I. ab Ingilramno tradita 84.
Caroli M. Imp. inſigne monitum 71.
Cauſæ majores ad Apoſt. Sedem ſpectant 7. 61. ſeqq. propter abuſus olim vigentes reſervatæ ſunt Ap. Sedi 215.
Cerinthus neceſſitatis Legalium propugnator 95.
Claves regni Cœlor. datæ ſunt Petro immediate 11. 21. ſeqq.
S. Cœleſtinus I. R. P. 13. 65. 69. Appellationes ex Africa ſibi vindicat 80. S. Cyrillo mandat, ut Neſtorium deponat 91. juriſdictione in Neſtorium uſus eſt 116. regulam Epheſino Concilio præſcribit 118. quam Concilium non retractavit, ſed executioni mandavit, 119. Concilii ejuſdem ſententiam temperavit 121.
Communio cum R. P. neceſſaria eſt. 37. 38. 68. 69.
Concilia generalia quomodo neceſſaria? 97. ſeqq. eorum convocatio ſpectat ad R. P. 101. abſque auctoritate R. Pontificis celebrari, nefas eſt ib. ſeqq. Octo priora convocata ſunt ab Imperatoribus, non ſine auctoritate R. Pontificis 104. ſeqq. iis præſidere, eſt R. Pontificis 109. Quomodo examinent decreta RR. Pontificum? 113. ſeqq. irrita ſunt eorum decreta, niſi confirmata ſint a R. P. 139. Univ. Eccleſiam repræſentant, ſi habeant cooperantem Papam, ſecus, non. 197. 198. Si deferantur a R. P. ſchiſmatica fiunt 209. mutare non poſſunt diſciplinam nunc vigentem 211.
Concilium Nicænum I. a Conſtantino M. & a S. Silveſtro convocatum eſt 105. ei præfuit Oſius Cordubenſis nomine S. Silveſtri 111. confirmatum fuit a S. Silveſtro 141.
Concilium Sardicenſe 58. Appellationes Epiſcoporum aſſeruit Apoſt. Sedi 73. ſeqq.
Concilium C. P. I. non fuit œcumenicum 105. ejus Canones rejecit Sedes Apoſtolica 106. quæ tamen ei œcumenici dignitatem tribuit, quoad fidei decreta ib.
Concilium Epheſinum a Theodoſio Imp. convocatum eſt, non inconſulto S. Cœleſtino I. R. P. 106. Cœleſtini Sententiam in Neſtorium pronunciavit 119.
Conciliabulum Epheſinum ab Apoſtolica Sede rejectum 141.
Concilium Chalcedonenſe a Marciano Imp. conſentiente S. Leone M.

ne M. convocatum eſt 107. S. Leonis Epiſtolam ad S. Flavianum veluti Petri oraculum ſuſcepit 125. ejus Canones Sedes Apoſt. rejecit. 143.
Concilium C. P. II. a Juſtiniano Imp. convocatum eſt, conſentiente Vigilio R. P. 107. Contrariam Vigilii Conſtituto ſententiam non edidit 130. a Vigilio confirmatum fuit 148.
Concilium C. P. III. convocatum eſt a Conſtantino Pogonato Imp. conſentiente S. Agathone R. P. 107. ei fidei definitionem præſcripſit S. Agatho, eamque Concilium ſuſcepit 131. *ſeqq.* Confirmationem decretorum ab Agathone petiit 149.
Concilium Nicænum II. convocatum eſt ab Imp. conſentiente Hadriano I. R. P. 108. ſuſcepit literas Hadriani I. 137. forte etiam decretorum confirmationem petiit 150.
Concilium C. P. IV. a Baſilio Imp. voluntate Hadriani II. convocatum eſt 108. ſubſcripſit libellum Hadriani 137. vetuit Synodum etiam generalem dicere ſententiam in R. Pontificem 164.
Concilium Lateranenſe III. 36.
Concilium Conſtantienſe 172. *ſeqq.*
Concilium Baſileenſe 183. *ſeqq.*
Concilium Florentinum 30. ejus locus vindicatus 56. 57. 155.
Concilium Tridentinum perperam a Febronio allegatum 5. 22. 27. 57. 58. Leonis X. judicium in Lutheri errores non examinavit 138. decretorum confirmationem a R. P. petiit 152. 153. in omnibus ſalvam eſſe voluit Ap. Sedis auctoritatem 195. *ſuperioritatem* in R. Pontificem non exercuit 193.
Concilia RR. in cauſa Symmachi R. P. 161. 162.
Concilium Rom. contra Photium 163.
Concilium Rom. in cauſa Leonis III. R. P. 162.
Concilium Rom. quod Johannem XII. depoſuit, illegitimum fuit 205.
Conradi IV. Imper. appellatio 169.
Conſtantinus M. Imp. 100.
Conſtantinus Pogonatus 59.
Conſultationes de gravibus cauſis 57.
S. Cornelius R. P. æmulus Imperatoris Sacerdos 41.
S. Cyprianus Primatum juriſdictionis in S. Petro agnovit 33. inſignes ejus loci de S. Petri Primatu 40. *ſeqq.* erravit in quæſtione de Bapt. hæret. & peccavit S. Stephanum perſtringens 44. *ſeqq.* ſententiam ſuam correxit *ib.* ejus ſententia de uno Epiſcopatu 51.
S. Cyrillus Alexandrinus 11. 22. conſulit S. Cœleſtinum de Neſtorii hæreſi 88.

D

Democratia quid? 1.
Depoſitio Epiſcoporum ſpectat ad R. P. 213.

S. Dio-

Digitized by Google

S. Dionyſius R. P. damnavit Sabellianos 90.
Dioſcorus Alex. a S. Leone M. damnatus 126.
Diſciplina Eccleſiæ mutari poteſt 63. 211. quæ nunc viget, ſine auctoritate R. P. mutari non poteſt *ib. ſeqq.* nova minoribus abuſibus obnoxia eſt, quam vetus 214.
Donatiſtæ a S. Melchiade R. P. damnati 94. Imperatorem appellarunt 169.

E

Eccleſiæ forma Monarchica 2.
Eccleſia R. centrum unitatis 37. 40. fons Epiſcopatus 52. omnium Eccleſiarum Mater, & Magiſtra 156.
Ennodius Ticinenſis 162.
S. Epiphanius 10. 13. 29.
Epiſcopi miniſtri Eccleſiæ cur? 27. Paſtores ſunt Petro ſubjecti 30. 54. eorum poteſtas duplex 48. æqualem habent poteſtatem ordinis; inæqualem poteſtatem juriſdictionis 49. Quomodo Apoſtolorum ſucceſſores? 50. æqualem habent Religionis curam 51. eorum depoſitio ſpectat ad R. P. 118. 213.
Epiſcopatus unus 51.
Epiſcopus univerſalis 54.
Eucherius Lugdunenſis 28.
Eugenius IV. Baſileenſem Synodum diſſolvit 183. poſtea Schiſmatis metu eam probavit, ſed ejus decreta rejecit 185. *ſeqq.* Conciliorum eminentiam profeſſus eſt, ſalva præeminentia Sedis Apoſtolicæ 187. Doctrinam Baſileenſium de Conciliorum auctoritate in R. Pontificem damnavit 188. *ſeqq.*
Euſebii Cæſareenſis locus mutilatus 111.
Eutherius Thianenſis 98.
Excommunicatio multiplex 68. 69. major, eſt actus juriſdictionis *ib.* ejus a R. P. latæ vis non pendet ab Eccleſiæ conſenſu 70. excommunicatus injuſte, non eſt ligatus apud Deum 71.

F

Facundus Hermianenſis 147.
Febronius: ejus ſyſtema ſecum pugnans 2. 3. nullam agnoſcit Eccleſiæ formam *ib.* Gallicanæ Eccleſiæ ſententiam fruſtra jactat 4. 5. negat, ex Chriſti verbis Matth. 16. *Et ego dico tibi &c.* colligi Primatum juriſdictionis Petro datum 13. *ſeqq.* & ex iis Jo. 21. *Paſce oves meas* 29. Omnes Apoſtolos æquali juriſdictione præditos fuiſſe, vult 31. *ſeqq.* contendit, Primatum a R. Epiſcopo ad alium transferri poſſe 36. S. Cyprianum non agnoviſſe in R. P. Primatum juriſdictionis 42. & in eadem cum Cypriano ſententia de auctoritate R. P. fuiſſe S. Auguſtinum 45. æqualem eſſe omnium Epiſcoporum juriſdictionem 48. Pontificem habere *præſidium, & directorium univerſi, ſed non immediatam curam ſingularum ovium* 55. ejus injuria in

 Trid.

Digitized by Google

Trid. Synodum 58. vult, non neceſſario referenda eſſe graviora negotia ad R. P. ejuſque judicio reſervanda 59. leges R. Pontificis non ante vim habere, quam communi conſenſu fuerint receptæ 63. eum non poſſe derogare uſibus Nationum, & ſingularum Eccleſiarum, & legibus Conciliorum ; imo his eum teneri 66. excommunicationem non eſſe actum juriſdictionis 69. Sardicenſem Synodum non aſſeruiſſe R. Pontifici jus appellationum 75. Canonum Sardicenſium vix ullum fuiſſe uſum in Oriente, & in Africa 77. jus appellationum a Pſeuſdo-Iſidoro inductum eſſe 81. Chriſti verba Luc. 22. *Ego rogavi pro te Petre &c.* nihil attinere ad Petri Succeſſores 85. reſervationem graviorum cauſarum, & quæſtionum fidei ab Iſidoro, & Gratiano inductam eſſe 88. ſupremum non eſſe R. Pontificis in hæreticos judicium 90. S. Auguſtinum non exiſtimaſſe Pontificis judicium infallibile, & ſupremum 93. Supremam non fuiſſe S. Petri ſententiam in cauſa Legalium 96. Concilia generalia eſſe abſolute neceſſaria 97. ſibi contradicit 99. vult, nulla lege divina, aut humana convocationem Conciliorum generalium R. Pontifici reſervari 101. Octo priora ab Impp. convocata eſſe, quædam etiam invito Pontifice 105. Concilium C. P. I. fuiſſe œcumenicum *ibid.* *in facultate Concilii eſſe præſentibus Pontificis legatis, alteri præſidium deferre*. Oſium Cordub. præfuiſſe Concilio Nicæno I. per electionem Concilii cum beneplacito Imperatoris 109. Synodos generales frequenter ad novum examen revocaſſe materias, & quæſtiones a Summis Pontificibus deciſas 113. 115. *ſeqq.* S. Cœleſtinum juriſdictione in Neſtorium uſum non eſſe 116. RR. PP. Cœleſtini, Leonis M. Vigilii, Agathonis, Hadriani I. Hadriani II. judicia ab œcumenicis Synodis retractata eſſe 119. *ſeqq. minutias* vocat Italorum argumenta, eoſque irridet 136. Generalium Synodorum ſtatuta non indigere Pontificia confirmatione ; imo poſſe Synodos adverſus Papam ſua auctoritate uti, ſi decretis ſubſcribere recuſet 139. *ſeqq.* Nullum Concilium Orientale 139. Ex Occidentalibus ſolum Tridentinum Confirmationem decretorum petiiſſe, ſed non quæ decretis auctoritatem impertiretur 152. non proprie dici debere Eccleſiam R. *omnium Eccleſiarum Matrem & Magiſtram* 156. R. P. eſſe Caput Eccleſiæ, ſed ut Caput *Collegii, univerſitatis &c.* 158. legitimas, & antiquiſſimas eſſe appellationes a Papa ad Concilium 168. Synodum Conſtantienſem fuiſſe œcumenicam, ejuſque decreta ad Papam certo legitimum ſpectare 174.

174. *ſeqq.* legitimam fuiſſe Synodum Baſileenſem, ejuſque decreta ab Eugenio IV. fuiſſe probata 186. *ſeqq.* Tridentinam Synodum ſuperioritatem in Pontificem exercuiſſe 193. Concilia generalia univerſam Eccl. repræſentare; R. Pontificem Ecclefiæ denunciandum eſſe 196. *ſeqq.* Julianum Card. exaltat, ejuſque argumenta refert 201. *ſeqq.* vult Ecclefiæ diſciplinam decretalibus depravatam eſſe, ideoque eſſe reſtituendam 210. exprobrat Ecclefiæ Catholicæ errorem ab Inſtituto Chriſti 212. recenſet abuſus hodie in Rom. Curia vigentes 215. *ſeqq.*
Ferrandus Carthag. 147.
Firmillianus 12.
S. Flavianus appellavit Ap. Sedem 77. rogavit S. Leonem confirmationem ſententiæ a ſe in Eutychen latæ 92.
Forma Eccleſiæ aliqua 1. eſt Monarchica 2. 209.
Fridericus II. Imp. a Gregorio IX. & ab Innocentio IV. excommunicatus 169. ejus appellatio *ib.*

G

GAllicanæ Eccleſiæ declaratio de Eccl. pot. 6.
Gerſonii auctoritas, quanti ſit? 7. 178.
Gelaſius Cyzicenus 111.
S. Gelaſius 36. 67. appellationes ſuæ Sedi vindicavit 72. defenditur a Febronii calumnia 77. Conciliorum etiam generalium vim repetit a confirmatione Apoſt. Sedis 141, 142. ejus inſignis locus 161. appellationes a Rom. Pontificis judicio, damnat. 166.
Gotthesfealcus damnatus 92.
Gravamina Nationis Germaniæ, & Gallicæ 215.
S. Gregorius Nazianzenus 10. cur S. Cyprianum Epiſcopum univerſalem appellaverit? 51.
S. Gregorius Nyſſenus 12.
S. Gregorius M. 11. ejus inſignia teſtimonia 23. 29. ejus non eſt expoſitio in Lib Reg. 23. ſuæ auctoritatis vindex in Epiſcopos 53 cur Epiſcopi univerſalis appellationem improbaverit? 55. Cauſas majores ſibi reſervavit 62. carpi non vult dicta, vel facta meliorum 68. ejus locus explicatus 200.
Gregorius IX. excommunicavit Fridericum II. Imp. 169.

H

HAdrianus I. 108. 137.
Hadrianus II. ſumma auctoritate in Synodo VIII. uſus eſt 137. R. Pontificem niſi cauſa hæreſis judicari non poſſe, ſtatuit 163.
Hæreticus non eſt in Eccleſia 207. privatur Eccleſiaſtica dignitate, non jure humano, ſed ipſa natura hæreſis *ib.*
Helladius Tharſenſis 98.
Henricus Valeſius notatus 102.
S. Hieronymus 10. 14. 16. 19. inſignis ejus locus 20. 39. 49. 55. 58.

Digitized by Google

55. 58. ejus teſtimonium explicatum 200.
S. Hilarius 10. 12. 29.
Hincmarus Rhemenſis notatus 84. ejus locus inſignis 141.
Hoſius Corduben ſis nomine S. Silveſtri præfuit Concilio Nicæno 111.
S. Hyginus R. P. Cerdonem, & Valentinum damnavit 90.

I

Jeroſolymitanum Concilium 95.
S. Innocentius I. R. P. 52. ejus reſponſa ad Synodos Milev. & Carthag. 58. 60. 88. majores cauſas ſibi reſervavit 61. Siricii legem cuſtodiri, jubet 64 Pelagianorum cauſam finivit 93.
Innocentius III. 71. vindicatus 89 cur Philippi Auguſti cauſam ad futurum Concilium remiſerit? 106.
Innocentius IV. excommunicavit Fridericum II. & Conradum IV. Impp. 169.
S. Johannes Chryſoſtomus 10. 12. 15. 29. R. Pontificem appellavit 77.
Johannes XII. a R. Conciliabulo illegitime depoſitus 105.
Johannes XXII. excommunicavit Ludovicum Bavarum Imp. ſchiſmaticum 170.
Johannes XXIII. non certo legitimus Pontifex 173.
Jovinianus a Siricio damnatus 90.
S. Irenæus 37. 55. 64. 135.
Iſidorianæ decretales ſæculo VIII. vel IX. confictæ 89. Monarchiæ ideam iis deberi, Febronii commentum eſt 210. perperam iis tribuit Febronius eam, quæ nunc viget, Eccleſiæ diſciplinam *ib.* Epiſcoporum gratia confictæ *ib.* & 215.
Julianus Cæſarinius refutatus 179. Synodo Baſileenſi ſtuduit 201. ejus retractatio *ib.* ejus argumenta refutata 202. *ſeqq.*
S. Julius R. P. 73. 101.
Juriſdictio non eſt eſſentialis Epiſcopatui 49.
S. Ivo Carnutenſis 163. 171.
Juſtinianus Imp. notatus 81. 82.

L

Lateranenſe Concilium III. 36.
Leges R. Pontificis ab Eccleſia ſervandæ 64. Non pendent ab Eccleſiæ conſenſu *ib.* alicubi, & in Galliis, ipſius Pontificis conſenſu non obbligant, niſi promulgentur 65.
Leges Conciliorum a R. P. temperari poſſunt 67. iis obligantur etiam R. Pontifices directive *ib.*
S. Leo M. 11. 17. 30. 36. 39. 49. 52. 62. 65. 69. 76. 77. Cur Synodum a Theodoſio, & a Marciano Impp. petierit? 123. *ſeqq.* Dioſcorum veluti Judicem in Synodo Chalced. ſedere, noluit 125. ejus Epiſtolæ ad Theodor. locus explicatus 139. Synodo Chalced. fidei definitionem præſcripſit 126. ejuſdem Synodi Canones irritavit 144. confirmavit fidei decreta

Digitized by Google

ejuſdem Synodi 146.
Leo X. primus Lutherum damnavit 92. ejus Conſtitutionem Synodus Tridentina non examinavit 138.
Liberatus 77.
Lutherus futurum Concilium appellavit 169.
Ludovici Bavati appellatio 170.

M

MAjores cauſæ Ap. Sedi reſervatæ 61. *ſeqq.* quia jure ſibi attributo circa eas abutebantur ſæpe Metropolitani, & Synodi Provinciales 214. 215.
Marcianus Arelatenſis a S. Stephano abdicandus 41.
Martinus V. decreta Concil. Conſt. ſeſſ. IV. & V. non confirmavit intellecta de Papa legitimo 175. *ſeqq.*
S. Maximus Taurinenſis 11. 29.
S. Maximus Martyr 105.
Metropolitani jure humano præſunt Conciliis Provinc. 158. abutebantur olim juribus ſibi attributis 214.
Milevitana Synodus conſuluit Apoſt. Sedem de hær. Pelag. 58. 88. ejus ſententiam confirmavit Innocentius I. 93.
Monachorum cœtus ab Epiſcoporum juriſdictione exempti 145. 214. id non eſt abuſus 219.
Monarchia, quid? 1. Monarchica eſt Eccleſiæ forma 2. 209. Ea non debetur Pſeudo-Iſidoro 210.

N

NAtalis Alexander laudatus 4. 16. notatus 25. 56. 86. 141. 164. 174.
Neſtorius a S. Cœleſtino damnatus 91. Concilium appellavit 169.
Nechites Schiſmaticus a Febronio laudatus 155.
Nicæni cur dicti ſint Canones Sardicenſes? 79.
S. Nicolaus I. 73. 165. 167.

O

SAnctus Optatus Milevitanus 12. 37. 68.
Origenes 10. 12. 17. 18.
Orſi Cardinalis vindicatus 119.

P

PAſchaſius Ratbertus 13. 18. 19.
Paſchaſinus S. Leonis Legatus 106.
S. Paulinus Nolanus 10.
Pecunia cur ſolvatur pro diſpenſationibus 216.
Pelagianorum cauſam finivit Innocentius I. 93. eorum appellationem ad Concilium improbarunt S. Auguſtinus, & S. Proſper.
Pelagius II. R. P. 147.
S. Petrus Petra Eccleſiæ 9. *ſeqq.* Claves immediate a Chriſto accepit 21. *ſeqq.* figura Eccleſiæ, quomodo? 24. ſolus univerſam Eccleſiam repræſentat 198. Totius Eccleſiæ Paſtor 28. *ſeqq.* Primatum Romanæ Sedi affixit

Digitized by Google

56. quæſtionem de Legalibus ſummo judicio decrevit 96.
S. Petrus Chryſologus 11. 29.
Petrus Meldenſis Epiſcopus 4.
Petrus de Marca notatus 56. 61. 76. laudatus 148.
Philippus Presbyter S. Cœleſtini Legatus 11.
Philippi Pulchri appellatio 170.
Pius II. appellationes ad Concil. damnavit 167. quæ olim ſcripſerat pro Concil. Baſil. retractavit 191.
Pius IV. confirmavit Synodum Tridentinam 152.
Poloni Oratores primi futurum Concil. appellarunt 171.
Polyarchia, quid? 1.
Primatus Eccleſiæ a R. Sede ad aliam transferri nequit 36.
S. Proſper 168.

R

Richerius, notatus 2.
Romanus Pontifex S. Petro ſuccedit 36. habet Primatum juriſdictionis 38. præſtat juriſdictione omnibus Epiſcopis 48. *ſeqq.* eſt Epiſcopus univerſalis 54. ejus juriſdictio in omnes eſt immediata 55. *ſeqq.* eſt omnium Chriſtianorum Pater, & Doctor 56. cauſas graviores ſibi reſervare potuit 57. de gravioribus negotiis ab univ. Eccleſia conſuli conſuevit 58. *ſeqq.* majores cauſæ ad eum ſpectant 61. *ſeqq.* ferre poteſt leges 63. Canones tum ſuos, tum Conciliorum temperare poteſt 67. 121. poteſt excommunicare 68. *ſeqq.* ei convenit jus appellationum 72. *ſeqq.* eſt infallibilis in decernendis cauſis fidei 83. *ſeqq.* fidei cauſæ ad eum ſunt referendæ 87. Hæreticos ſummo judicio damnare ſolet 90. ad eum ſpectat gener. Concilia convocare 101. & iis præeſſe 109. ejus decreta examinantur, ſalva eorum auctoritate 113. Epiſcopos deponere poteſt 118. Fidei definitiones, & res agendas Conciliis gener. præſcribit 118. *ſeqq.* ab eo decreta Conciliorum confirmari, opus eſt 139. *ſeqq.* Eccleſia, & œcumenica Synodo ſuperior eſt 154. *ſeqq.* ab ejus judicio appellare non licet 166. *ſeqq.* quæ nunc obtinet diſciplina, eo diſſentiente, mutari non poteſt 211. *ſeqq.*

S

Sabelliani a Dionyſio R. P. damnati 90.
Sardicenſis Synodus 58. 73. ejus Canones cur dicti Nicæni? 79.
Sergius Cypri Epiſc. 11.
Siricius R. P. cœlibatum Clericis majoribus præſcripſit. 64. Jovinianum damnavit 90.
S. Sixti III. locus explicatus 158.
Socratis, & Sozomeni teſtimonia vindicata 102.
Succeſſio Petri affixa R. Sedi 36.
S. Symmachus R. P. Dei judicio dimiſſus 161. 162.

T

Tertullianus 10. 54.

Thara-

Tharaſius C. P. 150.
Theodoretus 87.
Theodorus Diaconus Alex. 54.
Theodorus R. P. 88.
Theodoſii Imp. Lex 59. 60. ejus, & Valentin. Lex celebris 65.
Theophilactus 17. 18. 28.
Tiburienſis Synodi inſigne monitum 71.
Toſtatus Abulenſis notatus 27.
Tournely laudatus 5. 115.
Tridentinum Concil. *vide* Concil.

V

VAlentiniani Lex celebris 65.

77.
S. Victor R. P. 64. 70. 90.
Vigilius R. P. 13. 29. 62. 69. 130.
Vincentius Lirinenſis 43.
Unitatis Catholicæ centrum R. Eccleſia 37. 40.
Unus Epiſcopatus, quomodo? 51.

Z

SAnctus Zephirinus R. P. damnavit Montaniſtas 90. dictus a Tertull. Epiſcopus Epiſcoporum 54.
S. Zoſimus R. P. 59. 49. 71. 74. 79. 80.

	ERRATA	*CORRIGE*
Pag. 49.	Juridictionis	Juriſdictionis
Pag. 86.	tanum	tantum
Pag. 90.	Orientes	Orientis
Pag. 98.	Catholice	Catholicæ
Pag. 152.	ann. 757.	754.
Pag. 159.	ann. 775.	754.
Pag. 160.	Corporis	Corpori

99 718 F4

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google